This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Educ 1365.10

HARVARD COLLEGE LIBRARY

VE RI TAS

HOHENZOLLERN COLLECTION

IN COMMEMORATION OF THE VISIT OF
HIS ROYAL HIGHNESS
PRINCE HENRY OF PRUSSIA
MARCH SIXTH, 1902
ON BEHALF OF HIS MAJESTY
THE GERMAN EMPEROR

PRESENTED BY ARCHIBALD CARY COOLIDGE PH.D.
ASSISTANT PROFESSOR OF HISTORY

FROM THE LIBRARY OF PROFESSOR KONRAD VON MAURER
OF MUNICH. No 2095



Joan. Amandus Wink del. Monachii. et F. X. Jungwierth sc. ibid.

ANNALES INGOLSTADIENSIS ACADEMIAE.

PARS I.

AB ANNO 1472. AD ANNVM 1572.

INCHOARVNT

VALENTINVS ROTMARVS

P. L. ORATORIAE PROFESSOR ORDINARIVS,

ET

IOANNES ENGERDVS

SS. THEOL. BACC. P. L. AC POESEOS PROFESSOR ORDINARIVS.

EMENDAVIT, AVXIT, CONTINVAVIT
ET CODICEM DIPLOMATICVM ADIECIT

IOANNES NEPOMVCENVS MEDERER

SS. THEOL. DOCT. SERENISS. ELECT. PALAT. BAV. CONSIL. ECCLES. ACTVAL. DIPLOMAT. NVMISMAT. ET HIST. PATR. PROF. P. O. ELECT. ACAD. SCIENT. MONAC. SOCIVS.

INGOLSTADII
in Bibliopolio Elect. Acad. apud Ioan. Wilhelm. Krüll,
ex Typographia Luzenbergeriana, 1782.

Educ 4736.10

Harvard College Library
Von Maurer Collection
Gift of A. C. Coolidge
July 15, 1904

2016

SERENISSIMO

AC

POTENTISSIMO

PRINCIPI

DOMINO DOMINO

CAROLO THEODORO

COMITI PALATINO RHENI

VTRIVSQVE

BAVARIAE DVCI

S. R. I. ARCHIDAPIFERO ET ELECTORI,
DVCI IVLIACI, CLIVIAE ET MONTIVM, LANDGRAVIO
LEVCHTENBERGAE, PRINCIPI MOERSIAE, MARCHIONI BERGAE
AD ZOMAM, COMITI VELDENTIAE, SPONHEMII, MARCHIAE
ET RAVENSPERGAE, DOMINO RAVENSTEINII
RELIQ. RELIQ.

PRINCIPI

AC

DOMINO, DOMINO

MEO

CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME

PRINCEPS,

POTENTISSIME

ELECTOR,

DOMINE, DOMINE

CLEMENTISSIME!

Nonus hic annus eſt, ex quo Patrum academicorum auctoritate ad continuandos edendosque Annales Rotmarianos animum, manumque adieci. Iamque alterum poſt annum eo deduxeram hunc laborem, primum illorum volumen in lucem publicam emittere vt poſſem; cum maleuolorum quorundam conſiliis a cathedra inprimis academica remotus; deinde in ipſorum Annalium editione ita ſemper nouis artibus fui impeditus, vt nonniſi poſt captum a TE regimen Bauariæ ea ſublata fuerint impedimenta; at-

que

que ea demum ratione mihi libera euulgandorum Annalium academicorum poteſtas fuerit reddita. Sufficerent certe hæc, ſi alia cauſſa nulla eſſet, cur a TE ſupplex petam, vt illos glorioſiſſimo Nomini TVO inſcribi permittas. Eſt vero illud præcipuum, quod hi Annales ſingulari quodam Titulo TVI ſint; cum enim glorioſ. mem. Anteceſſor TVVS, MAXIMILIANVS IOSEPHVS illorum dedicationem clementiſſime iam acceptarit, ac ita SVOS fecerit; TV vero in omnia, quæ IPSIVS erant, ſucceſſeris, quidni TVOS dicam, Iure ſcilicet hæreditario ad TE transmiſſos?

ſos? Et vero liceat quæſo TVIS eſſe, qui, quidquid beneficiorum a Maioribus TVIS, eodem ſcilicet Wittelsbachico ſanguine TEcum natis, pro optimarum ſcientiarum incremento in hanc Muſarum ſedem eſt collatum; quidquid per tria continuo ſecula ab indigenis exterisue huius Academiæ Alumnis præclare in re literaria eſt præſtitum, totum continent. Patere igitur Sereniſſime CAROLE THEODORE, vt ſacratiſſimum illud TVVM, ſemperque venerandum Muſis nomen in ipſo horum Annalium fronte præfulgeat: accedet inde TVAE Vniuerſitati nouus ſplendor; huic

libro

libro firmiſſimum contra maleuolos præſidium; mihi vero ipſi, poſtquam in Cathedram academicam ſummo TVO beneficio reſtitutus ſum, grauiſſimum incitamentum, vt tanti Nominis auctoritate, quidquid in me eſt virium, id totum gentis TVAE commodo, TVAE domus immortalitati, ac Nominis TVI gloriæ impendam ac conſecrem

ELECTORALIS SERENITATIS
TVAE

ſubiectiſſimus deuotiſſimusque
Ioannes Nepomucenus Mederer.

PRAEFATIO
AD NOVAM EDITIONEM HORVM ANNALIVM.

Quæ mihi ſcribendi fuerit occaſio, & quid in noua hac editione præſtiterim, paucis te docebo beneuole Lector! Cum anno 1772. Seculum tertium fundatæ huius Academiæ ſolennius ageretur, conſilium cepere Patres Academici, Annales Rotmarianos, librum iam admodum rarum, & vix quocunque pretio aquirendum, de nouo edendi, eosdemque ad hæc vſque tempora continuandi. Commiſſum eſt mihi vnanimi calculo hoc negotium; quod tanto etiam lubentius in me ſuſcepi, quanto pluris cum ad huius honorem Vniuerſitatis, cui in quartum iam annum publicus Hiſtoriarum Profeſſor adſcriptus eram, tum ad communem rem literariam intereſſe putabam, vt nihil eorum, quæ poſt Rotmari tempora in Vniuerſitate Ingolſtadienſi laudabiliter ac præ-

)(clare

clare geſta ſunt, ab eruditis ignoraretur. Accinxi igitur me operi; iamque altero mox anno primam atque ſecundam illorum partem, ac paulo poſt reliquas duas euulgaturus eram in publicum, niſi motis continuo nouis difficultatibus contra meam voluntatem ad hoc vſque tempus impeditus fuiſſem. Tandem rebus meis ſuperum prouidentia ac Principum auctoritate compoſitis, anno ſuperiori licuit typis initium dare; iamque excuſis Parte prima Annalium, & Codice diplomatico, qui Partem quartam efficiet, promittere auſim Partem ſecundam ac tertiam anno proxime ſequenti certo ſecuturas eſſe.

Quid vero in noua hac Annalium academicorum editione præſtiterim ſequentibus capitibus explicabo. 1.) Textum Rotmarianum, qui quidem ad hiſtoriam huius Vniuerſitatis pertinere quacunque ratione videbatur, totum deſcripſi; omiſſis tantum acclamationibus poeticis, quæ aliorum etiam iudicio, quod exquiſiui, neque decoris quidquam, in hac muſarum ætatis noſtræ elegantia, neque vtilitatis ad poſteros eſſent allaturæ. Elogia quoque Principum, Epiſcoporum, & Illuſtrium, huius aliquando Vniuerſitatis Alumnorum, Facultatis item Theologicæ Profeſſorum, quæ Rotmarus, & poſt

ipſius

SERENISSIMO

AC

POTENTISSIMO

PRINCIPI

DOMINO DOMINO

CAROLO THEODORO

COMITI PALATINO RHENI

VTRIVSQVE

BAVARIAE DVCI

S. R. I. ARCHIDAPIFERO ET ELECTORI,
DVCI IVLIACI, CLIVIAE ET MONTIVM, LANDGRAVIO
LEVCHTENBERGAE, PRINCIPI MOERSIAE, MARCHIONI BERGAE
AD ZOMAM, COMITI VELDENTIAE, SPONHEMII, MARCHIAE
ET RAVENSPERGAE, DOMINO RAVENSTEINII
RELIQ. RELIQ.

PRINCIPI

AC

DOMINO, DOMINO

MEO

CLEMENTISSIMO.

In concinnando toto opere vſus non ſum niſi fontibus limpidiſſimis, Matricula ſcilicet academica & Diariis Facultatum, medicæ inprimis ac philoſophicæ, quæ nuſpiam fere deficiunt; inde licuit etiam Alumnos Medicinæ ad vnum omnes ſuprema doctoratus laurea apud nos ornatos nominatim his in Annalibus deſignare; id quod de Iurium quoque ac Theologiæ Doctoribus facturus eram, ſiquidem monumenta ad texendam illorum ſeriem ſuffeciſſent. Propria Nobilium atque Illuſtrium nomina eo prorſus ordine ac modo deſcripſi, quo in Matricula Vniuerſitatis expreſſa erant; quod illorum maxime in gratiam adnotare placuit, qui paſſim primi atque inferioris ſubſellii Nobiles inter ſe confuſos, ac familiarum antiquiſſimarum nomina paulo aliter, ac hodie vſus fert, expreſſa eſſe, mirari fortaſſis poſſent.

Proba conatus meos, Lector! ſique minus aliquoties expectatione tua præſtitiſſe tibi videbor, benignus excuſa; neque enim, quæ maxime volebam, perficere ſemper potui, neceſſariis ſcilicet ad huius generis ſcriptionem ſubſidiis perſæpe deſtitutus. Vale.

VA-

VALENTINI ROTMARI

EPISTOLA DEDICATORIA.

Illuſtriſſimo, Optimoque Principi ac Domino, Domino Philippo, Marchioni Badenſi, & Comiti in Spanham &c. Domino & Mecænati ſuo Clementiſſimo Obſervandiſſimoque.

Τὸ ἐυπράττειν καὶ ὑγιαίνειν.

Qui rerum geſtarum condunt hiſtorias, Illuſtriſſime Princeps, non ſolum præclariſſimarum virtutum, dictorum atque factorum commendatione & exemplis poſteritati conſulere, ſed etiam virtuti viriſque illuſtribus, & bene de Republica meritis immortalem nominis gloriam, tanquam præmium inter omnia præmia longe pulcherrimum, comparare volunt. Et quanquam diuerſis ratio ſcribendi eſt diuerſa, neque eadem etiam omnibus & par ſuppetit rerum vbertas & maieſtas; nullius tamen conatus, qui lucis aliquid politiori literaturæ adferre, aut hiſtoriarum amatoribus gratificari cupiunt, quomodocunque illi cadant, improbandos arbitror.

Neque vero in iis ſemper, quæ longiſſime ab hominum memoria ſunt remota, lubenter verſamur, neque grauioribus

tan-

tantum delectamur ſtudiis, ſed noſtra quoque tempora, quæque ſunt communia, & præſertim quæ noſtram reſpiciunt conditionem, nos afficiunt. Iucundum enim eſt, eorum nobis refricari memoriam, quibuscum familiariter aliquando viximus, vel mutuo amicitiæ vinculo, quantumuis locorum intercapedine diſiuncti, etiamnum ſumus coniuncti, vel denique, qui nos in eadem Repub. Scholaſtica & literaria palæſtra anteceſſerunt. Quin etiam rerum geſtarum in eadem Repub. nobis recordatio, licet illæ tenues ſint, voluptatem adfert, & in iis aliisque eiusmodi, quoties a grauioribus ſtudiis, quaſi feſſi, animum ſeuocamus, molliter requieſcimus.

Mihi certe, cum ad ſuperiora ſcholæ noſtræ tempora cogitationes meas conuertiſſem, partimque ea, quæ vel ipſe meminiſſem, vel ex aliis facta audiuiſſem, partim quæ actis comprehenderentur publicis, ad animum reuocaſſem, dulciſſimum fuit, Academiæ noſtræ initia, incrementa, progreſſumque, ac Rectorum ſeriem & ſucceſſionem intueri: in illuſtrium virorum, clariſſimorum Profeſſorum, & amicorum, cum iam olim defunctorum, tum etiamnum viuentium, & tam præſentium, quam abſentium memoriam incidere; res denique ſcholaſticas ad vnum obiectas intuitum, quaſi tabula quadam depictas, oculis animoque perluſtrare.

Atque hæc ſi cui leuis eſſe videantur momenti, nugasque domeſticas quisquam arbitretur, non repugno, quin ignoratis iis, quæ ſunt proprie noſtra, Academiarum noſtrarum, quæ pulcherrima nationum regionumque ornamenta, & omnis eruditionis locupletiſſima, ſapientiæque ſunt promptuaria, negligat acta, externa alienaque conſectetur: mihi, Princeps optime, abunde ſatis eſt, quod in hoc ſcripti genere non obſcuros habuerim autores. Nam primo incomparabilis ille noſtri temporis heros, *Georgius Ederus*, Iureconſultus clariſſimus, Religionisque Catholicæ propugnator inuictus, & conſiliarius IIII. Impppp. digniſſimus haud exiguam ſuo Rectorum Viennenſium Catalogo, mihi ad ſcribendum occaſionem dedit. Deinde cum iam de ea re pene ante biennium cogitarem, nec tam diffiſus viribus, quam corruptis hominum iudiciis deterritus, aggredi reformidarem, non ita dudum ante ſuam ex

hac

hac vita migrationem Reuerendus & ampliſſimus vir *D. Martinus Eiſengrein*. piæ memoriæ, magnus ille Theologus, vt tam laudabile inſtitutum proſequerer, grauiſſimus mihi fuit autor.

Sed cum lamentabilis illius intercidiſſet caſus, non ſolum animum ad ſcribendum iam accinctum exterruit, inſtitutumque ſuſpendit, ſed & pene interuertit obruitque. Tandem tamen animo recepto, pro amore meo in Academiam, ejusque in me viciſſim meritis, admoui manum calamo, & ad ſcribendum acceſſi, idque tum in eorum omnium, qui Rectorali dignitate apud nos perfuncti ſunt, illuſtriumque & clarorum virorum, qui ſua nomina noſtræ dederunt Vniuerſitati, gratiam; tum etiam in Sereniſſimorum Ducum Bauariæ honorem, quorum Illuſtriſſimæ Celſitudines vt toti Bauariæ, ſuæque Academiæ maximo, ita viciſſim bene inſtituta, florensque Schola illis non exiguo eſt ornamento. Quæ igitur acta habere poteram, perluſtraui, & hinc inde cum ex monumentis veteribus, tam etiam hominum ſermonibus, quantum indagare licebat, collegi, & quos publicamus, Annales conſarcinaui.

Cum vero, Illuſtriſſime Princeps, de Mecœnate, ſub cuius nomine ac patrocinio in lucem prodirent, Annalibus meis diſpicerem, non potuit profecto a me cogitari alius, qui majore ſibi iure noſtros labores vendicaret, quam Illuſtriſſima veſtra Celſitudo. Nondum enim animo noſtro excidit, neque vlla vnquam delebit obliuio, quanta clementia, benignitate & humanitate, quoad nobiscum verſari potuit Illuſtriſſima veſtra Celſitudo nos ſit proſecuta, adeo vt debitum erga Illuſtriſſimam veſtram Celſitudinem obedientiæ, obſervantiæ, gratitudinisque ſtudium poſſem teſtatum facere. Accipe igitur, Princeps Illuſtriſſime Annales noſtros Academicos; & quanquam fateor, non eos eſſe tales, qui tanto Principi, tamque excelſo, heroicoque digni ſint animo, oro tamen quam humillime, vt Illuſtriſſima veſtra Celſitudo ſi non ipſam rem, certe animum noſtrum, & voluntatem intueatur, bonique conſulat. Faxit DEVS Opt. Max., vt præſens hic annus Illuſtriſſimæ veſtræ Celſitudini Diis bene faventibus, felicibusque incipiat auſpiciis, felicioribus procedat, exeat lætiſſimis, ſæpiusque recurrat ſemper felicior. Bene valeat Illuſtriſſima veſtra Celſitudo & me meaque omnia

ſibi commendata habeat. Datæ Ingolſtadii Cal. Januar. Anno CIↃ. IↃ. XXC.

Illuſtriſſimæ Veſtræ
Celſitudinis
Subditiſſimus
Valentinus Rotmarus
P. L. & Oratoriæ
Profeſſ. Ordinarius.

VALENTINI ROTMARI
PRÆFATIO AD LECTOREM.

Candido Lectori Salutem.

Primum eſt, quod te admoneam, Candide Lector, Mnemnonicos quosdam irrepſiſſe errores, & aliquos etiam operarum incuria admiſſos, quos a calce libri annotari curaui. Deinde multos a me, non tempeſtiue admonito, præteritos eſſe viros, qualis eſt Reuerendus Abbas apud Diuum Petrum Salisburgi: *Bernhardus Schwartz* Decanus Patauienſis, qui Inſtitutiones Juris aliquando apud nos docuit: *Melchior Kleſel*, Præpoſitus Viennenſ. qui cum nuper apud nos & Magiſterii & Licentiatus titulum in S. Theologia adeptus eſſet, bene ex eo ſtatim tempore de Eccleſia DEI & Religione Catholica mereri incepit: *Petrus Stevartius* Leodius, S. Theologiæ Licentiatus, & Profeſſor Aichſtadianus: *Henricus Dominatius* a Piſnitz, S. Theologiæ Licentiatus & Canonicus Pragenſis: *Cyriacus Rutlandus*, LL. Doctor, & Conſiliarius Mergeti: *Wenceslaus Petrſick*, LL. Doctor, & Conſiliarius Archiepiſcopi Pragenſis: *Jacobus Raſperger*, LL. Doctor, & Conſiliarius Archiepiſcopi Salisburgenſis, pluresque alii, qui ex noſtra prodierunt Academia. Tertio cum vel temporum iniuria, vel architectorum & procuratorum Eccleſiarum negligentiane dicam, an inſcitia neſcio, ſeu denique auaritia, multa

ta ſuperiorum annorum monumenta lapidea, in alium conuerſa fuerint vſum, quæ neceſſario me plurima fugerunt. Omnes itaque & ſingulos, qui in noſtros Annales inciderint, oratos volo, primo vt æquos ſe mihi præſtent iudices, multaque a me tumultuarie potius effuſa, quam ſcripta cogitent: deinde ſi quid illi ſciant, quod me prætereat, mihi ſignificent, vt ſi quando ſub incudem ſint annales noſtri reuocandi, locupletiores, ornatioresque poſſint redire. Quod ſi quem inornatius, inſufficientiusque prædicaui, quam ipſius meretur virtus, tenuitati mei ingenioli attribuant, & quod in ea palæſtra, exornationumque materia, licet Oratoriam profitear, vel non lubenter verſor, vel parum ſum exercitatus. Pro ſtrenæ igitur, & munuſculo, non quidem regio, ſed quale mea fert penus, nouo hoc ineunte anno meos hosce annales accipe, candide lector. Quod ſi, qualescunque illæ ſunt, has noſtras lucubrationes grato acceperis animo, DEVSque mihi vitam prorogauerit, totus ad Poëſim tranſibo, Lexiconque Vergilianum, quale ex Cicerone fabricauit Nizolius, ſequenti dabo anno. Non inuideo aliis, vt in alia luxurient materia, modo & hæc noſtra, præſertim a Poëtices auidis, non negligantur. Scribemus autem non doctis, quibus iam antea percognita obgannire ſtultiſſimum eſt, ſed tyronibus & incipientibus. Bene vale, Lector amice.

JOANNIS ENGERDI
EPISTOLA DEDICATORIA.

Illuſtriſſimo Principi ac Domino, Domino Alexandro, Duci Slucenſi & Copelienſi Lithuano, &c.

Domino ſuo Clementiſſimo; perpetuam & corporis & animæ ſalutem precatur.

Nihil profecto, Illuſtriſſime Princeps ALEXANDER, innumera inter illa, quæ ab hominibus ingenio prudentiaque acutis, ad firmum Reip. ſubſidium atque inſtrumentum virtutis per omnes

nes ætates & gentes mirifice excogitata ac feliciter inuenta ſunt, præclarius vnquam fuit, quam rerum veterum monumenta & commemorationem antiquitatis poſteritati conſecrare. An non enim Hiſtoria (vt cum Antonio apud M. T. Ciceronem Principem Oratorum loquar) teſtis eſt temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, & nuntia vetuſtatis? An non idem M. Cicero vere dixit, quod & Aegyptius Sacerdos ante Soloni dixerat, neſcire, quid antea quam natus ſis acciderit, id eſt, ſemper puerum eſſe? Quodſi igitur rerum antiquarum cognitio iis, qui privatam degunt vitam, magnopere conducit; multo magis iis erit expetenda, immo perquam neceſſaria, qui ſummo loco nati, rerum publicarum habenas tenent & moderantur.

Hoc ſane Carolum illum Magnum Imperatorem, Francorum in Germania ſimul & in Gallia Regem eo vehementius inflammauit, vt non ſolummodo de antiquioribus Germanorum ſuorum Hiſtoriis, quæ numeroſis tantum rhytmis, vt etiamnum vulgo ſæpius fieri ſolet, compoſitæ paſſim decantari conſueuerant, vndiquaque colligendis, & in aptam atque concinnam temporum rerumque geſtarum ſeriem digerendis ſolicitus, præmiis inſuper munifice propoſitis, Scriptores Patriæ noſtræ ſtudioſos, neque paucos neque omnino ineptos excitarit; verum etiam quotiescunque per occupationes imperatorias atque regias liceret, nobiliſſimum illud Hiſtoriographorum opus non leuiter & ipſe tractarit; Regibus nimirum & Principibus aliis præclarum, quod imitarentur, exemplum relicturus.

Nam ſiqua vnquam ars eſt, quæ & dicta & facta & conſilia hominum diligenter conſeruet, memoriam firme tueatur, veritatem dilucide illuſtret, vitam recte regat, temporum vices ordinate reddat, vetuſta & ab hominum memoria immenſis remota ſpatiis fideliter nuntiet; ab Hiſtoria certe accipiamus neceſſe eſt, quæ aliquanto illuſtrius atque efficacius, quam multæ aliæ diſciplinæ, de moribus & vita hominum, de virtutibus & vitiis, imperandique artibus differit: In Hiſtoria enim primum conſilia, deinde acta, & tandem euentus fructuoſe explicantur: In Hiſtoria non ſolum quid actum aut dictum ſit, ſed & quomodo, quo loco, quo tempore, & a quibus, copioſe nota-

notatur: In Hiſtoria omnes euentuum cauſſæ, vel caſûs, vel ſapientiæ, vel temeritatis ſapienter adduntur; hominumque ipſorum non tantum res geſtæ, ſed etiam ii, qui fama ac nomine excellunt, & plurimorum vita atque natura vbertim deſcribuntur: Factorum denique præmia & pœnæ ante oculos vsque adeo manifeſte ponuntur, vt Hiſtoria Pictura loquens, & contra Pictura Hiſtoria tacens, rectiſſime dicatur.

Quocirca *Valentinus Rotmarus*, cuius manibus bene exopto, vir undiquaque doctiſſimus, cum haud ita pridem, antequam ex hac hominum vita migraret, Annales Ingolſtadienſis Academiæ ſuccincte conſcripſiſſet; operæ pretium ſe quoque facturum ſapienter exiſtimauit, ſi non ſolummodo illorum nomina, qui ſcholam noſtram hactenus illuſtrarunt, ſimpliciter breuiterque memoraret; verum etiam cum virtutes, tum dignitates eorundem explicaret fuſius: Eſt enim Academia Ingolſtadienſis, vt ſiqua alia in communi noſtræ Germaniæ Patria, domicilium optimarum diſciplinarum vltra centum annos longe nobiliſſimum atque clariſſimum, in quo rectiſſima ſtudia & artes liberales proſpere ſemper effloruerunt, & homines omni virtute abundantique doctrina vixerunt ornatiſſimi.

His enim exquiſitis Præceptoribus vſi, ex hac noſtra Academia, tanquam ex equo Troiano, Principes viri, & plurima Chriſtianæ Reipub. ornamenta atque ſubſidia hucusque prodierunt & etiamnum prodeunt. Verum enimvero, vt non ſolum præclara tantorum virorum nomina immortalitati commendarentur; ſed & ſtudioſa Iuuentus ad hujusmodi virtutum doctrinæque ſpecimina magis ac magis inflammaretur; bonus ille *Rotmarus* literatæ Reipub. his a ſe inchoatis lucubrationibus fructuoſe conſulere voluit. Quicquid autem poſt immaturum *Rotmari* obitum, ego in hoc primo Almæ Ingolſtadienſis Academiæ Tomo accurate fideliterque abſoluendo præſtiterim, candidus Lector ex altera Præfatione & copioſius & manifeſtius intelliget.

Atqui cum, Illuſtriſſime Princeps, huic operi de Mecœnate digniſſimo, ſub cuius nomine ac patrocinio in lucem exiret, ſedulo eſſet diſpiciendum; non potuit profecto tum a me, tum a *Rotmaro* adhuc in vita commorato, alius cogitari, qui maiore ſibi iure noſtros vendicaret, quam Illuſtriſſima Tua

Cel-

Celſitudo. Non tantum enim ex longiſſime remotis Lithuaniæ terris Illuſtriſſima Tua Celſitudo cum inſigni Aulæ comitatu & ampliſſimis ſumptibus huc ad Boias Athenas profecta, ſummum Academiæ noſtræ ſplendeſcit ornamentum; ſed etiam tum ſingulari clementiæ & benignitatis & humanitatis inclinatione in optimas literas ac literatos ſponte propendet; tum vero iucundiſſimis Hiſtòriarum ſtudiis mirifice oblectatur.

Accipe igitur, Princeps Illuſtriſſime hunc primum Almæ Ingolſtadienſis Academiæ Tomum, in quo tot præclara & pietatis & virtutis & doctrinæ ſpecimina ob oculos ponuntur; in quo vetuſtiſſima ſimul atque nobiliſſima tua familia, adeoque egregia Illuſtriſſimæ Celſitudinis Tuæ virtus, ſi non eleganter & copioſe, vere ſaltem ac breuiter deſcribitur; in quo denique ſtudioſa iuuentus clariſſimis monumentis teſtatam conſignatamque intuebitur antiquitatem; & exempla præſentia vehementer admirabitur. Quod ſi vero hoc, quicquid eſt mei laboris ac literati munuſculi, tam excelſo heroicoque animo fortaſſis indignum videatur; oro quam humillime, ut Illuſtriſſima Celſitudo Tua, ſi non ipſam rem, quæ tamen honoris & ornamenti eſt pleniſſima, certe animum noſtrum & voluntatem æqui bonique conſulat; ac Deum Opt. Max. ſummiſſe precor, vt Illuſtriſſimam Tuam Celſitudinem tum Eccleſiæ Catholicæ, tum Chriſtianæ Reipub. ſaluam & incolumem diutiſſime conſeruet. Ingolſtadii pridie Id. Nouemb. Anno 1581.

Illuſtriſſimæ Tuæ Celſitudinis

deuot. humil. Sacellanus;

Joannes Engerdus Turingus,
Collegii Philoſophici pro
tempore Decanus.

JOAN-

JOANNIS ENGERDI PRÆFATIO AD LECTOREM.

Cum ſuperioris initio veris, Candide Lector, *M. Valentinus Rotmarus* P. L. & Eloquentiæ, in hoc nobiliſſimo literarum Emporio, Profeſſor ordinarius, cuius piis manibus bene precamur, lecto affixus infirmiſſima conflictaretur valetudine, adeoque ob morbum quotidie magis ac magis ingraueſcentem, ſupremum vitæ diem ipſamque mortem ſibi impendere facile præſagiret; paucis ante horis, quam ex hac demigrabat hominum vita, rogabat me prouidentiſſime, ut primo Almæ Ingolſtadienſis Academiæ Tomo, quem iam tum ſub prælo & manibus habebat, extremam adiicerem manum.

Equidem tum propter ſingularem noſtram amicitiam & familiarem conſuetudinem, tum communes humanarum miſeriarum caſus, amiciſſimo atque cariſſimo Collegæ, in præſentia clariſſimorum virorum, Reuerendi *D. Bartholomei Scholl*, SS. Theologiæ Licentiati, tunc Academiæ Prorectoris, iam vero Suffraganei Friſingenſis, &c. ac *D. Philippi Menzelii* Medicinæ Doctoris ac Profeſſoris longe Doctiſſimi; quos ambos mirifice amabat & colebat, animo libenti ſum pollicitus, me, cum quam primum plus otii ſuppeteret, (maturabam enim illo tempore Bambergam proficiſci) id, quod a me tam diligenter petebat, obſeruaturum ſanctiſſime, diligentiſſimeque facturum. Quo itinere ex animi ſententia confecto, ego ſane promiſſis fideliter ſtaturus, ad opus pertexendum primo quoque tempore me contuli: Erat autem iam tum dimidia fere primi huius Tomi pars typis excuſa. Quare totius operis Methodum penitius aliquanto contemplatus, illam ex arbitratu meo (trahit enim ſua quenque voluptas) libenter immutaturus eram, niſi fuiſſet in ordine iam incepto neceſſario mihi progrediendum.

Verum enimuero habuit procul dubio *Rotmarus*, vir præclara eruditione atque doctrina ornatiſſimus, egregias ordinis inſtituti rationes: Nam prima in Parte Acclamationes ad Illuſtriſſimos Principes, Illuſtres Comites ac Generoſos Barones, qui

qui eo tempore, cum hunc laborem ſuſciperet, Academiam noſtram illuſtrabant, & plerique etiam nunc illuſtrant, tanquam ſingularia & ob oculos poſita Scholæ ornamenta, carminibus perfecit doctiſſimis, Hiſtoriam nimirum a Poëſi conſulto exorſus: Eſt enim Poëſi perquam cognata Hiſtoria, & quodamodo ſolutum carmen, vt ſcribit Fabius Quintilianus, vir abundanti doctrina; idque adeo verum eſt, vt Liuius Autor grauiſſimus ab Heroico hemiſtichio hiſtoriam inchoarit. In Parte ſecunda perpetuos Academiæ Cancellarios, videlicet, Reuerendiſſimos Principes ac Epiſcopos Eyſtetenſes, tanquam eos, a quibus ſumma literariorum honorum dignitas in Adoleſcentes, Iuuenes ac Viros bene meritos derivatur, laudibus extulit maximis; Procancellarios vero ampliſſimos, Principum illorum munere defunctos, ſaltem nominauit, ſuo poſtea loco digniſſimis eos laudibus ornaturus. In tertia, Fundatores Academiæ munificentiſſimos, nempe Sereniſſimos vtriusque Bauariæ Duces, adeoque alios Principes Illuſtriſſimos, qui celeberrimum hoc diſciplinarum optimarum domicilium præſentia ſua inſigniter colluſtrarunt, verbis celebrauit ampliſſimis. Quartam Illuſtribus Comitibus, Quintam Generoſis Baronibus, qui bonis hic operam dederunt literis, ordinate conſecrauit; Quinque illis Partibus nobiliſſimo loco natos complexis nobiliſſimum etiam Patronum quæſiturus. In ſexta Parte Reuerendiſſimos Archiepiſcopos ac Præſules, qui ex Schola noſtra laudabiliter prodierunt; neque tamen omnes, ſed pauciores, vel ob anguſtiam temporis, vel eas etiam ob cauſſas, quas in partis illius Præfatione ad Lectorem breuiter attingit, gloria & prædicatione efferendos putauit. Hoc autem mihi initio mirum videbatur, quod Eccleſiaſticis Principibus ſeculares antepoſuerit proceres: Atqui re poſt accuratius perſpecta, primum illum Autorem fortaſſis excuſandum opinor, quod in hac parte ordinem Academicum obſeruare voluerit: Plerique enim ii, nobili quidem genere nati, antequam ad excelſum illud Epiſcopalis dignitatis faſtigium ſunt euecti, cum fructuoſos ſtudiorum cultus hic capeſcerent, Principes, Comites ac Barones in ordine merito ſequebantur: Proinde Autor ſextam hanc partem nobili atque optimo viro *D. Ioanni a Kienburg*, Canonico Saliſburgenſi, cuius ſingu-

ſingularis humanitas, pietas, virtus & doctrina clariſſimæ illi Familiæ vere innata, ſummos ſummæ amplitudinis honores digne promeretur, amice dedicauit.

Hæc autem ſexta Pars, dum typis excudebatur, lucis hanc vſuram reddidit Autor, & bonis & doctis omnibus maximo cum luctu ereptus. Ego vero, quantum vel ſeueriores literæ, vel aliæ occupationes otii mihi tribuerunt, ad opus hoc continuandum potiſſimum contuli, & pag. 85. a litera Y exorſus, reliquum ſextæ illius Partis atque integram ſeptimam Partem fideliter abſolui: Quanquam enim *Rotmarus* reliquos Epiſcopos breui percurrerat; ego tamen, cui vita & virtus illorum, præcipue Pabebergenſis atque Paſſauienſis, multo fuit perſpectior, addidi quam plurima. In ſeptima quidem Parte *Rotmarus* pleroſque Theologos ad præſentes vsque & adhuc viuos Theologici Collegii Profeſſores deſcripſerat; ego autem, tum quod ille nondum ea correxerat; tum plura ego fueram expiſcatus, diligentem omnibus iis limam adhibui, & venerandos Societatis IESV Theologos interpoſui Doctores: Cætera, in quibus præſens Theologica Facultas commemoratur, atque digniſſimis effertur laudibus, a vita D. Procancellarii *Alberti Hungeri* ad finem vsque primi Tomi, omnia mea ſunt. De hoc tamen, amice Lector, te ſimul commonefaciendum exiſtimo, quod carmina, identidem admixta, ex Annalibus Ingolſtadienſis Academiæ ab eodem *D. Rotmaro* ante conſcriptis, pro eo ſane atque ipſe prius cœperat cogitato fuerim mutuatus.

Quicquid igitur laboris & conatus in hoc opere præſtiti, candide Lector, ut æqui bonique conſulas, te etiam atque etiam vehementer rogo; mearum namque fuit partium, inchoatam pertexere telam. Quodſi vero noua tela a me fuiſſet contexenda, aut vetus illa retexenda (ſed hoc pace piorum doctiſſimi *D. Rotmari* manium dixero) eam forte methodum eram obſeruaturus. In prima Parte optimos Fundatores, beigniſſimos Auctores, Conſeruatores fideliſſimos, atque propugnatores Almæ Ingolſtadienſis Academiæ & eiusdem immunitatum ac priuilegiorum magnanimos, Sereniſſimos nimirum vtriusque Bauariæ Duces, tanquam validiſſimas Boiarum Athenarum columnas eram deſcripturus. In ſecunda Eccleſiaſticum

noſtrum Magiſtratum, perpetuos Ingolſtadienſis Academiæ Cancellarios, Reuerendiſſimos Pontifices Eyſtadianos & eorum vicem ſuſtinentes Procancellarios Ampliſſimos: In tertia Magnificos Vniuerſitatis Rectores, vt præclara Senatus Academici lumina: In quarta, Patres Academicos & celeberrimos quatuor Collegiorum Profeſſores, qui alteri quaſi Parentes atque educatores non quidem corporum, ſed ingeniorum & ſapientiæ, tot excellentiſſimos omnique virtute & doctrina clariſſimos filios Eccleſiæ Catholicæ & Chriſtianæ Reipublicæ, tum recta inſtitutione, tum vero rectis exemplis genuerunt. Reliquas Partes Archiepiſcopis, Epiſcopis, Ducibus, Principibus, Comitibus, Baronibus, Abbatibus, Prælatis & Canonicis Eccleſiarum; Quin & Theologis, Iureconſultis, Medicis, Philoſophis, aliisque præſtantiſſimis viris, qui ex hac Parente fideliſſima, Ingolſtadienſi Academia, tanquam ex equo Troiano, prodierunt, ex ordine debito eram conſecraturus; Annalium denique & actuum monumenta Colophonis loco additurus.

Quod ſupereſt, ſyncere Lector, te iterum atque iterum rogo, vt ſiquid fortaſſis in hoc primo Tomo vel erratum, vel neglectum vel omiſſum fuerit, in meliorem interpreteris partem; nam non omnia poſſumus omnes, nec aliquis omnia in tam breui temporis ſpatio peruidere poteſt. Enitar autem ſedulo, DEI Opt. Max. benignitate aſpirante, vt ſecundum Tomum, qui Iureconſultos, Medicos, & Philoſophos, quantum operis magnitudo patietur, ex ordine continebit, elaboratior quam primum in lucem exeat. Interim bene vale, ac ſi qua in Parte honeſtos meos conatus iuuare potes, haud grauatim iuua. Ingolſtadii ex meo Muſæo, prid. Cal. Dec. Anno 1581.

VA-

VALENTINI ROTMARI
PROLEGOMENA
ANNALIVM ACAD. INGOLSTAD.

DE VARIIS ACADEMIARVM APPELLATIONIBVS, ET QVID EAS CONSTITVAT, ET QVOMODO ILLAE INTER SE DIFFERANT.

Academiarum initia, incrementa, neceſſitatem, & vtilitatem quidam prólixis orationibus & iuſtis libellis ſunt proſecuti, poſteritatique commendarunt. Latini cum in rebus multis aliis, vocum penuria coacti, tum etiam Scholis appellandis publicis, partim Græcos imitati ſunt, partim licentia vſi, ipſimet ſibi e re inuenerunt appellationes. Academiæ vocabulum, Scholæ & Gymnaſii appellatio Græca eſt, & a Græcis integre ad Latinos traducta. Latinum vero Vniuerſitas & Vniuerſale ſtudium, antiquitatem reſipiens. Academia, in qua Peripateticorum Princeps Ariſtoteles, & ante eum Plato, docuiſſe ſcribitur, in loco erat ante vrbem prorſus inſalubri. Cuius rei quam cauſſam Plato prætenderit, infra dicemus. Scholæ appellationes apud Cœlium Rhodiginum variæ reperiuntur; illa tamen maxime ad præſens facit inſtitutum, cum pro ſodalitate & conuentu iuuenum accipitur. Græca oſtendit origo, dictam eſſe Scholam ab otio, non quod, qui in Muſarum caſtris militant, otio dediti ſint; ſed quia nullis aliis curis & laboribus, quaſi otio indulgentes, diſtrahi debent, ſi in arcem eruditionis cupiant euadere. Neque me apud eundem Rhodiginum mouet, quod Scholaſticam legem interpretatur, otioſorum morem, qui ſtationibus, aut alicubi fabulis nugisque bonas horas ſæpius conterunt, cum poſteritas honeſtatem vocabulo addiderit. Gymnaſia itidem ab exercitio dicta conſtat, quod ibi iuuentus non in honeſtis tantum inſtituitur literis, ſed in bonis moribus, & virtutibus exercetur;

cetur; quanquam & in alio ſenſu vocabulum Gymnaſii a Græco Comico vſurpatum legimus, cum literarum ſtudioſis a vino, Venere, & balneis abſtinendum non aliter atque Lyricus, docet:

Multa tulit, fecitque puer, ſudauit, & alſit,
Abſtinuit Venere, & Baccho &c.

Extant apud Græcos etiam aliarum Scholarum nomina, vt Lycæum, Stoa, Prytaneum Canopum, & Cratieum Corinthiacum; ſed iis omnibus cum propter nominis celebritatem, & Præceptoris Ariſtotelis præſtantiam admirationemque, tum vero doctrinæ integritatem veritatemque, nomen *Academiæ* prætulerunt Latini. Propria tamen & ſignificanti (pace hoc dixerim aliorum) vti voce latini mihi videntur, cum Vniuerſitatem vocant. Neque enim eiusmodi tantum Scholam innuunt, in qua non humaniores literæ, aut Philoſophia ſolum cum Theologia, ſed omnes pariter traduntur Facultates & linguæ, verum etiam Academias a Scholis triuialibus, vt vocantur vulgo, & quæ iis nobiliores contendunt videri, particularibus, maniſeſtiſſimo diſcrimine & longiſſimo interuallo diſtinguunt. Vt enim Collegium duo Profeſſores non faciunt; ita nec vna, nec duæ Facultates tantum Vniuerſitatem poſſunt conſtituere, ſed pariter omnes cum ſuis membris integræ ad eiusmodi Scholæ perfectionem neceſſario requiruntur, quemadmodum integrum Academiæ corpus, quatuor Decani, quatuor Facultatum typi, cum Rectore repræſentant; id quod ex iis, quæ poſterius dicentur, manifeſtius apparebit. Vniuerſitatem igitur, non priuilegia tantum & immunitates, ſed integra Encyclopædia, omnimodo perfecta omnium ſcientiarum & linguarum traditio, vna cum priuilegiis & immunitatibus, ſine quibus ſuperiores Facultates neque debemus, neque poſſumus docere, neque vsquam locorum tradi, teſtatur experientia. Quamobrem quascunque literarum Officinas, Academiæ quidem nomine (quanquam & id temporum antiquitas facit excellentius, quam vt quibusuis Scholis atque etiam particularibus, quas vocant, honeſte poſſit, aut debeat applicari) aut Gymnaſii, quod frequens apud Lutheranos eſſe ſcio, Vniuerſitatis autem appellatione inſigniri nunquam poſſe, facile concedimus. Proinde etiam Vniuerſale ſtudium a Fundatoribus vocatum nouimus, cum quod vniuerſis

eo

eo pateat acceſſus, tum vero quia vniuerſæ literæ ac ſcientiæ ibi doceantur. Verum vſus & experientia nunc aliud nos docet, vt etiam illæ Scholæ Vniuerſitates dicantur, priuilegiisque Vniuerſitatum gaudeant, in quibus duæ tantum docentur ſcientiæ, Philoſophia ſcilicet ac Theologia. Neque vero Vniuerſitatis vocabulum tanquam barbarum repudiandum idcirco quis arbitretur, quod ab Oratorum Principe nusquam in eo vſurpatum ſenſu, reperire eſt, cum metaphora ſit non vsquam adeo longinque ab ea traducta ſignificatione, in qua idem vocabulum vſurpauit Cicero; neque vero Academiæ vocem in eo, quo nos vtimur ſenſu, apud Oratorem inueneris. Vtut res ſeſe habet, vt tandem diuertamus, & quibuscunque vtamur appellationibus, certe inter Academiam Athenienſem & noſtram illa eſt differentia, quod ibi Philoſophia tantum, hic vero omne ſtudiorum genus tradatur. Germani inter ſuas Academias duplex videntur ſtatuere diſcrimen: Alias enim vocant Matres, alias Filias, quæ ex illis enatæ ſunt, vel ad earundem rationem & priuilegia ſunt inſtitutæ: Sic Bononia, & Pariſienſis Academia multarum aliarum ſunt matres; & noſtra, filia dicitur Viennenſis. Aliæ præterea dicuntur Gymnaſia tantum, qualis eſt Schola Ingolſtadiana, Dilingenſis, Tübingenſis &c. aliæ vero Archigymnaſia, vt Schola Viennenſis & Friburgenſis; cuius appellationis quæ ſit ratio, non intelligo, niſi forte ita ſint dictæ, quia ab Archiducibus fundatæ.

VTRVM ACADEMIAE HAERETICAE VERAE SINT ACADEMIAE, ET DATIS IVRE GAVDEANT PRIVILEGIIS.

* Omiſſurus eram totam hanc Quæſtionem hodie inutilem, & poſt conſtitutam Pacem Weſtphal. in Imperio noſtro germanico male ſonantem, niſi literati orbis putarem intereſſe, ne quid in noua hac editione deſideretur Operum *Rotmari;* qui pro temporis, quo ſcribebat ratione, impune eam pertractare materiam poterat.

Antequam hanc ipſam aggrediar quæſtionem, ſatis certe & grauem & periculoſam primo apud omnes & ſingulos, cuius-

cun-

cunque vel conditionis vel religionis fuerint; proteſtatum volo, quicquid de hac re in medium attulero, aut hæreticis Scholis dixero, id neque in cuiusquam Academiæ, quæ diuerſam a nobis doctrinam profitetur, neque in eorundem, qui illinc prodiere, vel Doctorum, vel Magiſtrorum, aut quomodocunque illi ſunt intitulati, ignominiam, multo minus quod Academiarum patronis detractum velim, a me dici, ſed vt naſutis quibusdam & inſolentioribus, quid cogitent, qualemcunque moueam quæſtionem, & eos, qui pleriſque Principibus, ſubditiſque ad defectionem ab Eccleſia Catholica fuere autores, facti ſui commonefaciam, vt intelligant, quam periculoſum ſit, a ſummo Pontifice, primo priuilegiorum datore & conſeruatore, diſcedere. Primo illud omnium conſtat iudicio & ſententia, priuilegiorum vim, non tam in ciuilibus actionibus & Scholaſticis impunitatibus, quæ rectius immunitates dici poſſunt, quam in promotionibus & graduum contributionibus conſiſtere. Deinde eam promouendi autoritatem non a priuatis hominibus, non a quocunque Magiſtratu, aut viris principibus, ſed a Sanctiſſimo Pontifice & Auguſtiſſimo Imperatore concedi & poſſe, & debere, & ſolere, ita vt nulla per totum orbem Vniuerſitas vnquam iactarit nomen, niſi autoritate ſummi Pontificis & Imperatoris. Tertio quod ea ipſa priuilegia nos ad perpetuam erga Eccleſiam & ſedem Romanam, & Imperatoriam maieſtatem, obedientiam, eiusque defenſionem, & ſynceram religionis Catholicæ profeſſionem, obſeruationemque iure ſuo, & irremiſſibiliter ſine diſpenſatione obligant. Vltimo, nulli omnino Academiæ abſolute & ſimpliciter tradi aut ſolere, aut debere, aut poſſe, ſed in aliqua ſemper Principe perſona fundari, vnde Academiis ſint petenda; qua non requiſita, aut eius delegato Vicecancellario neglecto, promotiones vel prorſus non haberi, vel cum per ſubreptitium inſtitutæ fuerint, caſſari & annihilari poſſunt. In quibus omnibus quid hæreticis Scholis cum Catholicis ſit commune, res ipſa demonſtrat. Data illorum maioribus Catholicis priuilegia non negamus; ſed recte nunc & iure ab iis vſurpari, hoc eſt, quod inficiamur. Quod enim ad Eccleſiam Romanam & Religionem Catholicam attinet, iam conſtat, nec tergiuerſantur fateri Hæretici, obedientiam

erga

erga Sacroſanctam Eccleſiam & ſedem Romanam, turpiter & nefarie iam olim a ſe eſſe deſertam, quam ne nunc quidem ita improbis inceſſere conuitiis deſinunt, vt non tantum hoſtilem, ſed & diabolicum ſibi ineſſe animum teſtentur. Eadem ratione a ſuo ordinario in ſpiritualibus, & a ſummis totius orbis Monarchis conſtituto Cancellario diſceſſerunt, & ipſimet ſibi pene promouendi poteſtatem arrogant. Quum igitur deſerto illo, qui contulit, ruptoque & religionis & obedientiæ iuramento, quo nos priuilegia data obligant, ea quoque deſeri & caſſari, neceſſe ſit, quid vos mihi perſonati Cancellarii, cæterique eiusmodi Academiarum Doctores reſpondere velitis, & in facti veſtri defenſionem queatis adferre, vobis curandum relinquo; ni forte ad publicum Romani Imperii indultum, de quo tamen vt ego non laboro, ita parum mihi conſtat, confugiatis, pacis conſeruandæ gratia, vt dicunt, vobis conceſſum. Promouendi igitur autoritate vt gaudeant Scholæ hæreticæ, nihil ego moror; ſed quod Poeta dixit.

Tros Tyriusque mihi nullo diſcrimine agetur:

Ego tamen ſub fuliginoſo illo Cancellario ad quamcunque dignitatem & gradum Scholaſticum neutiquam me promoueri optarim, ne quidem ſi aureos mihi polliceatur montes, & expenſas recens ab incude depromptas ſubminiſtret. Ex hoc ipſo fonte, cui furentem hæretici aprum immiſere, & cæterarum immunitatum, quæ ciuiles ſunt, periculum labefactatioque promanat. Nam quia hæreticæ Scholæ ab Ordinario ſuo (notatu res hæc digniſſima) tanquam legitimo ſuo & ſupremo magiſtratu, quem omnes Vniuerſitates a principio agnouerunt, diſceſſerunt, priuilegiis quoque ſuis ciuilibus excidiſſe, eas eſt veriſimile. Clericus enim eſt Scholarum Magiſtratus, & pro clericis in foro iuridiciali reputantur ſcholares omnes. Et in Academia Friburgenſi a Conſiſtorio Vniuerſitatis ad Epiſcopum Conſtantienſem, tanquam Ordinarium eius loci, appellari ſolet. Quin etiam Studioſus, de homicidio conuictus, Ordinario, non ciuili aut ſeculari Magiſtratui eſt ſiſtendus. Sed de his abunde ſatis eſt dictum.

DE PRIVILEGIIS ACADEMIARVM.

Extruendarum Academiarum viris Principibus illam præcipuam fuiſſe cauſſam, eſt credibile, cum quod intelligerent, tantam earundem & neceſſitatem & vtilitatem eſſe, vt nulla nec publica, nec Eccleſiaſtica Respublica ſine literis ſtare, nedum florere poſſit, tum quod & ipſi de communi hominum ſocietate bene mereri, eiusque rei perenne monumentum vellent poſt ſe relinquere. Fruſtra tamen a ſe conditas arbitrabantur Academias, niſi & eædem perpetuæ eſſent, & Studia literarum florerent maxime. Quod commodiſſime fieri poſſe cenſebant, ſi non ſalutaribus tantum ſtatutis eas exornarent, ſed & magnificis quaſi munirent, & corroborarent priuilegiis immunitatibusque. Atque hæc vna Priuilegiorum cauſſa videtur.

Deinde etiam, vt iuuentus, quæ ingenue & liberaliter vult tractari, non ſolum ad Academias, tanquam literarum mercatus, alliceretur, & ad Studia capeſſenda redderetur alacrior, ſed etiam in cœpto Studiorum curſu exhauriendisque laboribus confirmaretur, priuilegia & immunitates, tanquam incitamentum quoddam & calcar propoſuerunt.

Tertio, quia ad eas ipſas literarum palæſtras non niſi ingenui & generoſi animi, ac Principum liberi eſſent confluxuri, vt ab amuſorum & agreſtium hominum iniuriis tuti, ſecuri, & ſine interpellatione Studiis vacare poſſent, eos immunitatibus, quaſi quodam propugnaculo præmunierunt. Neque enim noua, aut horum tantum temporum eſt iniuriandi Studioſos conſuetudo; ſed & iam olim ab hominibus imperitis & eruditioni inimicis attentatam & vſurpatam, ipſemet teſtatur Imperator, qui peruerſam eam vocat, & iudicem puniendum ſtatuit; imo infamiæ proponit notam, quicunque iniuriam Studioſis illatam non vindicat.

Vltimo par eſt credere, quod Principes, cum cogitarent earum vrbium, intra quarum & muros & parietes fundaſſent Academias, & celebritatem & vtilitatem, quæ ex cætu Scholaſtico promanat vberrime, adeo vt vrbes per Studia literarum doctosque viros inclareſcant, ciues vero ex impenſis Studioſorum viuant & diteſcant, non iniquum ſunt arbitrati,

eſſe

eſſe quoddam inter cerdones & Studioſos, inter Muſas & Faunos, inter eos qui alunt & qui aluntur diſcrimen; ac proinde ſcholares in ſublimiori collocandos dignitate, ac prærogatiua quædam illis condonanda, quædam libera relinquenda, quibus ciues & amuſi, quadam quaſi lege obſtricti tenerentur. Noluerunt tamen Priuilegiorum collatores beneficio ſuo pulcherrimo ad maleficium priuilegiatis aperire feneſtram, ſed vt innocentibus, aut velut innocentibus, quandoque neceſſitate ferente refugium eſſet, probis Aſylum & ſolatium: & vt dicam ſummatim, priuilegia omnibus bonis in ſecuritatem ſunt contributa. Sed ad Ingolſtadianam tranſeamus Academiam.

DE FVNDATIONE SCHOLAE INGOLSTADIANAE.

Academiam Ingolſtadianam in regia & Ducali Boiorum Ducum ditione poſitam, ex Viennenſi Academia cœpiſſe initium, teſtantur eius Scholæ Annales,

* & confirmat Pius II. Pont. Max. in Bulla an. 1459. VII. Id. April. anno Pontificatus ſui primo Senis expedita, qua *Studium generale Ingolſtatenſe vti vult atque gaudere omnibus priuilegiis, libertatibus, exemtionibus, honoribus, & immunitatibus, quibus Magiſtri Doctores & Studentes in* STVDIO VIENNENSI *gaudent & vtuntur, ſeu vti & gaudere poterunt quomodolibet in futurum tam in Theologia, Iure Canonico & Ciuili, in Medicina & Artibus, quam in qualibet alia licita Facultate.* Vid. Annal. Acad. P. IV. Num. III.

Ex noſtris vero monumentis hæc licet colligere. Cum Sereniſſimus Dux Bauariæ LVDOVICVS, cognomento *Diues*,

* Filius HENRICI Landishutani, qui anno 1447. extinctis LVDOVICO *Barbato*, & iam antea LVDOVICO *Gibboſo* huius filio, in ditionem Ingolſtadienſem ſucceſſerat,

& reipſa expertus, & Conſtantienſi & Baſileenſi edoctus eſſet Conciliis, quanta in tantis hæreſum ſchiſmatumque renaſcentium erroribus, tenebris & furoribus,

* (*Wicleffi, Huſſique* Sectatores, ac rebelles maxime Bohemos indigitat)

Doctorum virorum eſſet neceſſitas & vtilitas, poſt multos alios Germaniæ Principes,

* Albertvm ſcilicet VI. Archiducem Auſtriæ, qui Friburgenſem in Brisgoia, & Wratislavm IX. Ducem Pomeraniæ, qui Gryphiswaldenſem Academiam anno 1456. fundauerant,

ipſemet etiam ad vniuerſalem Academiam erigendam, circa annum MCCCCL. aut paulo poſt adiecit animum. Quamobrem conſtitutis iam redditibus,

* ex largiſſima ſcilicet penſione, quam Ludouicus Barbatus ſedecim *Præbendariis*, ac totidem Cantoribus ſeu *Pſalteriſtis*, vt tum vocabant, fere tricenis abhinc annis conſtituerat, huc translatis (vide Annal. Acad. P. IV. Num. I. II. V.) atque illis etiam adiectis poſſeſſionibus, quas huiates Franciſcani ante reformationem ſuam habuerant;

Anno Domini 1459. pro noua ſua Academica, Bullam a Pio ſecundo, Pontifice Maximo, qui *Aeneas Sylvius* erat antea dictus, benigne impetrauit: Verum interuenientibus bellicis tumultibus, qui res præclariſſimas ſæpe intercipiunt, cæptum proſequi & inchoatam Scholam erigere & publicare non potuit.

* Geſtum eſt hoc bellum a Lvdovico noſtro aduerſus Albertvm præcipue, *Achillem* dictum, Marchionem Brandenburgicum & triginta duas fœderatas ciuitates; ac tandem anno 1463. Georgii *Podiebradii* Regis Bohemiæ opera pax compoſita eſt.

Res itaque ea, & tam præclari Principis piiſſimi conatus ac Scholæ dotatio, erectio & publicatio, in annum 1472. dilata eſt. (Vid. Annal. Acad. P. IV. Num. X. & XI.) Eo ipſo anno Sereniſſimus Dux Lvdovicvs, eiusque filius Georgivs, itidem cognomento *Diues*, publice ac ſolenniter Academiam Ingolſtadianam inaugurauit, dotauit & publicauit.

* Secundo mox die Januarii an. 1472. ex ducali ſuo Caſtro Landishutano literas publicas dedit Lvdovicvs, quibus omnis ordinis ac conditionis hominibus volebat notum fieri, *in oppido ſuo Ingolſtat, in quo optima vigeret aeris temperies, ac rerum humanæ neceſſariarum vitæ, victusque abundantia reperiretur, de cetero futuram eſſe Vniuerſitatem & ſtudium generale, Doctoribus clariſſimis ac Magiſtris probatiſſimis inſtructum, qui ſecunda feria poſt Dominicam* Ocvli *primam habituri eſſent lectionem.* Et vero datum eſt initium ſtudiis menſe Martio; ipſa tamen ſolennis Academiæ inauguratio die 26. Junii peracta eſt.

Tam

Tam augusti & ſolennis actus præſentes erant ſpectatores & quaſi rerum omnium teſtes locupletiſſimi, Legatus Sereniſſimi Vngarorum Regis *Matthiæ*

* *Ioannes Rabenſteinius* Apoſtol. Sedis Protonotarius,

Epiſcopus Aichſtadianus Academiæ Cancellarius, Epiſcopus Friſingenſis, Auguſtanus & Ratisbonenſis. Atque hi ipſi Epiſcopi Priuilegiorum conſeruatores a ſummis Pontificibus PAVLO II. & SIXTO III. nominati & conſtituti. Priuilegia omnia & ſingula conceſſa ſunt Academiæ noſtræ, quibus Viennenſis vel conceſſis iam tum gaudebat, vel concedendis aliquando gauiſura venturis foret ætatibus.

* Præter Sereniſſimos LVDOVICVM Patrem & GEORGIVM filium intererant huic ſolennitati OTTO & CHRISTOPHORVS Duces Bauariæ; *Ioannes* item Epiſcopus Hierapolitanus Suffraganeus Ratisbonenſis, aliique quam plurimi Præſules, diuerſarum Eccleſiarum Canonici, Comites, Doctores, Magiſtri atque Milites.

Et ſane illud non leue vtriusque Scholæ Priuilegium cenſeri debet, quod cum in ciuilibus, tum etiam in criminalibus liberam habeant iurisdictionem, non requiſito Ordinario, ad quem alioqui ſumma iurisdictio pertinet. Eodem anno Schola quoque Baſilienſis eſt a PIO II. Pontifice Maximo Priuilegiis donata. Lege Middendorpium lib. 2. de Academiis.

* Intellige annum 1459. quo nempe vtraque Academia a PIO II. eſt confirmata.

DE SITV ACADEMIAE ET VRBIS INGOLSTADIANAE.

Platonem referunt ſcriptores quidam, cum habitudine corporis vteretur nimis proſpera, quæ veluti vitis luxurians foret reſecanda, Academiam, inſalubrem Atticæ locum, delegiſſe, vt quod redundans, nimiumque ſentiebat, loci intemperie ſupprimeretur. Equidem Platonis ſententiam neque admirari ſatis, neque recte poſſum intelligere. Quanquam enim ſummum

corporis habitum omnes Medici periculoſum eſſe fatentur; poſſunt tamen huic malo longe commodiora tutioraque adhiberi remedia.

At maiores noſtri, & quidem longe rectius in extruendis Academiis locorum commoditatem diligenter conſiderantes, aërem, quam potuere ſaluberrimum elegerunt, Vrbes, regionesque amænas, & omnibus ad victum humanum neceſſariis inſtructiſſimas. Sunt enim Academiæ Muſarum domicilia, literarum mercatus, eruditionis officinæ, morum & virtutum magiſtræ, eruditorum conuentus, Rerumpublicarum fundamenta & columnæ, Religionis propugnacula, conſultantium aſyla, afflictorum refugia, & ægrotantium ſolatia, omnis humanitatis matres; nationum denique & regionum ornamenta, in quibus nobiles, ignobilesque, Principumque filii commorantur.

Et ne longius circumuagemur, videre illud eſt in Archiducum Auſtriæ Archigymnaſiis, & Boiorum Ducum Academia. Dicerem de Vienna, niſi & a *Latzio* Hiſtorico celeberrimo iam dudum abunde ſatis eſſet celebrata, & omnium neceſſariorum, vini, frumenti, fructuum horariorum, carnium & piſcium abundantia, facilique pretio comparabili, nota foret omnibus.

De Friburgo Briſiacorum & Briſgaudiæ fertilitate, inquit *Munſterus*, quod vini frumentique feracitate bonitateque, rerumque reliquarum, quibus mortalis homo pro corporis ſuſtentatione opus habet, non ſit ipſa Alſatia inferior. Situs eſt amœniſſimus in planitie ad collem vitiferum, vbi magnam ſylvam & montium fauces, rupesque ſuperaueris, exierisque Vrbs valde amœna, egregiis ornata ædificiis, ſingulæ plateæ ac vici aqua fontana interluuntur, omnibus ad vitæ humanæ ſuſtentationem neceſſariis abundat, & circumcirca vitibus horti ſunt conſiti. Iuxta vrbem fluuius piſcoſus Traſimenus decurrit, nec procul inde, duobus ſcilicet lapidibus, Rhenus præterfluit, recentes viuosque Salmones eosque optimos ſubminiſtrans. Et in ea vrbe ALBERTVS Dux Auſtriæ Archigymnaſium, propter tam iucundas opportunitates, fundare voluit. Sed ad noſtram tranſeamus Academiam.

Vrbs

Vrbs Ingolſtadiana in ampliſſima iacet area ſeu planicie ad Danubium, qui ab ortu deſcendens ad Occidentem

* (lege, *ab Occidente deſcendens ad Ortum*: Vix capio, qua ratione craſſus hic error obrepere *Rotmaro* potuerit, Danubii accolæ.)

a Meridie vrbem alluit: aëre liberrimo perflabilis, nullis ſtagnis aut paludibus circumiacentibus, vnde aër poſſit infici, ac proinde quam rariſſime a peſte infeſtatur. Iacent in vtroque fluminis littore, præſertim vero ſupra vrbem, amænæ ſyluulæ, deambulationibus & recreationibus aptiſſimæ, venationibusque inſignes; in altero ad ſeptentrionem prata & horti; in altero vero Meridiem verſus planities inculta ad omne genus exercitii & ſcholarium luſus accomodatiſſima, vt iure Muſarum queat domus appellari. In ipſa vrbe templa magnifica, præſertim auguſta & ingens D. Mariæ Virginis ædes, duabus validiſſimis turribus inſignis. Præſertim vero ſpectari in eo templo poſſunt duæ paruæ imagines, Diuæ ſcilicet Virginis & S. Michaelis, vtraque manibus geſtabilis, auro & pretioſis lapidibus ſummis æquiparandæ diuitiis.

* Debentur hæc omnia liberalitati LVDOVICI *Barbati* Ducis Bauariæ, Comitis de *Mortania*; qui hosce theſauros in Bauariam deportauerat e Francia, quam pro CAROLO VI. ingenio haud ſatis valente, ex conſilio ELISABETHAE Reginæ, ſororis ſuæ, aliquamdiu adminiſtrauit; qua etiam occaſione *Mortaniæ* Comitatum in Francia ſuo aquiſiuit imperio, ducta ſcilicet in coniugium CATHARINA Comitis de *Mortagne* filia, quæ LVDOVICVM *Gibboſum* eidem peperit.

Duo item D. Franciſci inſtituti monaſteria, vnum Virginum, ad D. Ioannem; alterum Monachorum, qui circa annum 1275. ſedem hic ſibi paraſſe ab Auentino ſcribuntur. Aedificia quædam ſumptuoſa; multa non inculta & inornata;

* Platearum vrbis ea eſt amplitudo, quam vix alibi reperies.

Habitationes ſesqui mille Studioſis ſufficientes. Vrbem in parte decliuiori Meridiem & Danubium verſus interluit fluuiolus Schutterus, molendinas aliquot cum in vrbe, tum vero extra vrbem agens, qui ſordes quam plurimas ſecum auehit, & vrbem egreſſus iuxta arcem Ducalem Danubio miſcetur. Circumquaque, præterquam vbi Danubius vrbem præterlabitur, vallis ex terra congeſtis, & interiectis aggeribus, ex lapide, cum viuo, tum cocto, ad maiorum tormentorum vſum extru-

ctis,

ctis, includitur, cum profundis foſſis aqua plenis, adeo vt nullam vim hoſtilem metuat. Extra vrbem circumcirca villæ & caſtella iacent plurima, vnde victualia ad binos ſemper ſingulis ſeptimanis mercatus, ac pene ſingulis inferuntur diebus, venduntur que pretio, pro politiæ & procerum ſtatu, tolerabili. Vina ſunt cariora, quæ tamen, cum ſecundo adferebantur Danubio, minoris emebantur. Carnes bouillæ ex Vngaria petuntur*.

* Hodie fere ex Palatinatu tantum ſuperiori.

Piſcium genera multa cum Danubius, tum vicini extra vrbem amnes iuſta in copia ſubminiſtrant, nec ita magni venduntur. Frumento & optimo pane nihil nunc parabilius.

Patet hinc via publica in Franconiam, Sueuiam, Bauariam, Palatinatum, & ſecundo Danubio in Auſtriam. Confinem habet Epiſcopatum Aichſtadienſem, ab Epiſcopali ſede tribus lapidibus diſtans. Abeſt a Monaco vndecim, Landishuta, Ratisbona, & Auguſta nouem, a Norimberga vero tredecim, & Vlma quindecim lapidibus, vnde merces & vina importantur. Is eſt vrbis Ingolſtadianæ ſitus & commoditas, quam eo diligentius deſcripſi, quod non noſtris tantum, ſed & exteris hæc ſcribo.

Academia noſtra in ſuperiori & eminentiori parte vrbis eſt poſita, tribus ampliſſimis ornata Collegiis, quorum primum eſt, in quo lectoria ſunt; aula magna, ſeu Albertina, Rectoratus reſignationi & ſolennibus Philoſophorum diſputationibus deſtinata: Curia Academica, & Auditorium Canoniſtarum, in quo publicæ habentur promotiones: reliquam partem alumni Sereniſſimi Ducis occupant: & dicitur Collegium vetus.

* Quæ deinceps circa veteris Collegii ædificium factæ fuerint mutationes, per decurſum horum Annalium ſpeciatim adnotabitur.

Alterum nouum ſeu Georgianum dicitur, ſumptibus & expenſis Sereniſſimi Principis Georgii conditum, quod ille ſuis deſtinauit Stipendiariis.

Tertium Albertinum, cura & impenſis Sereniſſimi Principis Alberti Quinti conſtructum, quod a Patribus Societatis IESV incolitur. Typographias habet noſtra Academia duas, egregie inſtitutas, & pulcherrimis inſtructas typis; vnde plurimi, optimi & vtiliſſimi præſertim quod ad religionem attinet, iam multis annis prodierunt, atque etiamnum prodeunt libri.

Dice,

Dicerem de Magiſtratus humanitate, clementia, & in ſuos amore, niſi res ipſa loqueretur, & annales id docebunt. Eruditionem eorum & induſtriam in docendo prædicarem, niſi adulationis metuerem ſuſpicionem. Atque hæc de ſitu vrbis & Academiæ forma ſufficiant

* Quid putem ſcriptorum fuiſſe Rotmarum, ſi iam tum vidiſſet Bibliothecam locupletiſſimam, Theatrum anatomicum, Hortum botanicum, Officinam chemicam, Armarium experimentorum phyſicorum, Speculam* aſtronomicam cum pretioſo ſuo apparatu &c.? Verum de his ſuo tempore ac loco.

DE RECTORIS ELECTIONE AC NOMINE, TVM DE ELECTIONIS TEMPORE.

Ipſa rerum teſtatur experientia, ratioque humana dictitat, nihil Rebuspublicis Anarchia eſſe perniitioſius, nec incolume poſſe diu imperium conſiſtere, cum membra ſine capite libera agendi poteſtate huc illuc fluctuant. Proinde cum Scholaſtica Reſpublica perfectæ cuiusdam politiæ exemplar eſſe debeat, cuius intuitu alii magiſtratus, & præſertim ciuiles, regere diſcant, in ea quoque ſummo aliquo Magiſtratu opus eſt; quem qui gerit, eleganti ſane deriuatione, a re ipſa Rectorem dici, Academiarum fundatores voluerunt. Etenim regere, non eſt quomodocunque ſuperiorem eſſe, & præeſſe aliis, neque cum faſtu, quaſi belluis quibusdam imperare, aut ſine diſcrimine quibusuis regnare; ſed cum ratione, ſine Tyrannide & agreſti inſolentia, eos, qui ſubiecti ſunt, ducere, pudore potius; vt Comici vtar verbis, ac liberalitate, quam metu, in officio retinere; quale illud eſt apud Poëtam de Aeolo: Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

Cum enim qui Muſarum caſtra ſequuntur, pro innata bonis literis natura excellentiaque, longiſſime ab ſeruilibus abſint ingeniis, animosque gerant liberales & ingenuos, altioresque vulgo ſpiritus vel a natura inſitos habeant, vel doctrina culturaque liberali excitatos concipiant; ſeruiliter etiam tractari nec volunt, nec debent, adeo vt amicitia adiuncti, non

vi officium ſuum faciant. Rectoris igitur nomen, quod nec humile deiectumque, nec ſuperbum inſolensque nimis, in mediocritate conſiſtit, magiſtratui Academico rectiſſime tribuitur, eoque ita omnes in eiusmodi dignitatis faſtigio per vniuerſum Chriſtianum orbem conſtituti gaudent, vt quemadmodum ſummi etiam viri, Barones, Comitesque, Principes ac Duces, haud grauatim id genus honoris ſuſcipiunt; ita Rectoris nomine appellari minime erubeſcant.

Solet autem in omnibus fere Academiis Magiſtratus non eſſe perennis, aut annuus, ſed ſemeſtris tantum, ne vel Monarchiæ, vt opinor, ſpeciem induat, vel diuturnior gerenti ſit moleſtus, vel in Tyrannidem erumpat, aut denique alii, eidem Academiæ incorporati, ſummo illo honore non priuentur. Ceterum duo ſunt tempora, quibus & Magiſtratus Rectoralis initur, & ab eodem diſceditur, niſi forte temporum ratio, & inſperatus quidam caſus, aut neceſſitas diuerſum quandoque ſuadeat, cogatue; feſtum ſcilicet D. Georgii Martyris, pro æſtiuali eligendo Rectore, & Feſtum D. Lucæ Euangeliſtæ, pro hyberno Rectore deſignando: Quanquam etiam vel anticipatam, vel protractam quandoque dilatamque legimus; ſed quia vrgentibus de cauſſis id factum, ſtatutis electionis diebus nihil derogat.

* Electionem ſemeſtralem bis immutatam fuiſſe, hi Annales produnt; primo, ad annum 1507. reducta tamen poſt nouem annos antiqua conſuetudine; deinde ad annum 1702. a quo tempore Rectoratus annuus ad hunc vsque diem perdurat.

QVI POSSINT IN RECTORES ELIGI, ET QVALES ESSE DEBEANT.

Illud de omni, qui in Rectorem eligendum proponitur, in genere ſciendum eſt, ad id genus dignitatis, ſiue ſint Profeſſores, ſiue Scholares, non niſi Clericis patere acceſſum. Cum enim Rectoratus eminentiam, honeſtarum artium & diſciplinarum dignitatem, ſubditorum denique excellentiam maiores noſtri, & primi Academiarum autores & fundatores conſiderarent, intelligerentque, & Reges, & Duces ac Principes, Comites ac Baro-

Barones, Doctores, Magiſtros, Nobiles, ac Presbyteros ei iuriſdictioni parere, voluerunt Academias eiusque membra non Ciuili & Laico magiſtratui, ſed Eccleſiaſtico ſubeſſe; tum quod perſonæ Clericæ magis cæteris omnibus eſſent priuilegiatæ, earundemque poteſtas & imperium etiam in presbyteros ſeſe extenderet, Laicarum vero & Secularium minime, tum quia Eccleſiaſticorum imperia plerumque mitiora, humanioraque, & eiusmodi poteſtatibus regi petunt & debent literarum ſtudiis addicti.

Excluduntur igitur a dignitate perſungenda, cum in plerisque Academiis Catholicis, tum vero in hac noſtra Schola coniugati omnes: In Friburgenſi tamen Archigymnaſio etiam coniugatis iis locus eſt, qui cum vni vel alteri ordini ſacro ex minoribus initiati, vxorem virginem duxerunt. In hac noſtra Academia eligibiles, & honoris rectoralis participes ſunt omnes omnium Facultatum Profeſſores, Perſonæ Illuſtres, Regens Collegii Georgiani, etiamſi non fuerit Profeſſor, Parochus apud D. Virginem, (nam D. Mauritii Paſtor omnis eſt Profeſſor) & ſcholares eminentiores, vitæ integritate & morum grauitate commendabiles.

* Tenuit apud nos religioſa hæc conſuetudo, excludendi ſcilicet coniugatos omnes a ſuprema dignitate academica ad annum usque 1642. cum Sereniſſimi Ducis atque Electoris MAXIMILIANI I. decreto etiam coniugati eius muneris capaces ſunt redditi, Vid. Annal. Acad. P. IV. Num. LVII.

Perſonis illuſtribus & ſcholaribus, ſi ſint iuniores, Vicerectores adiunguntur; adultiores vero ipſimet Magiſtratum adminiſtraſſe leguntur. Quales autem perſonæ illæ debeant eſſe, quæ eligi poſſint, diſerte Statuta noſtra docent, quæ tria præcipue requirunt, primo vt ſit legitimo thoro natus, deinde ſit Clericus, ac tertio nullam religionis regulam profeſſus. De ſecundo requiſito ſatis dictum, niſi quod, cum qui non eſt Clericus, in Rectorem eligitur, ſtatim Clericus fieri debet. Atque illud ante hæc tempora a multis obſeruatum recordor, & cuiuscunque Diœceſios quisque fuerit, iure Academiæ in Diœceſin Aichſtadianam, quaſi adoptatum tranſiiſſe, & nulla dimiſſorii ratione aliquot prima tonſura, extra conſuetum ordinandi tempus, inaugurari memini. De religionem quoque pro-

ſeſſis diſpenſatum quandoque ab Academicis, & aliter inſtitutum, annales noſtri teſtabuntur.

Viennenſes ex indultu Imperatoris D. FERDINANDI quibuscunque vxoratis ab anno 1533. faſces Academicos committunt, ita tamen, vt, cum ad cenſuras Eccleſiaſticas procedendum eſt, Rector vxoratus, clericum ſubſtituat.

DE PROCESSV ET MODO ELIGENDI, ET POENA TERGIVERSANTIVM.

Quia omnis res etiam momenti minimi, nedum poteſtas a DEO data, a diuini numinis, & Sancti Spiritus inuocatione inchoari debet, ſtatuere maiores, vt in ipſo die Electionis ante omnia Officium de Sancto Spiritu, in Deiparæ Virginis Mariæ templo Academico, celebretur, cui omnes Profeſſores, & Academici intereſſe debent. Quo finito ad Collegium Albertinum vnanimiter cum ſceptris itur, ibique in aula magna, quæ eiusmodi tantum actui & ſolennibus Philoſophorum diſputationibus eſt conſecrata, oratione a præteriti ſemeſtris Rectore habita, faſces Academici publice, in totius iuuentutis Studioſæ conſeſſu, Senatoribus redduntur. Inde in loco Conſiſtorii ſeu curia, poſteaquam iterum inuocato numine diuino ſolitum iuramentum ad manus Rectoris, cedentis officio, Senatores præſtiterunt, electionem aggrediuntur.

Fit autem electio ſecundum Facultates, primo ne penes vnam tantum Facultatem Iurisdictio Scholaſtica, & imperium conſiſtat, deinde vt omnes omnium Facultatum Profeſſores, qui eligibiles ſunt, eius honoris, qui ſummus eſt Academicis, fiant participes; & quia vni vel alteri Facultati continuo Rectoratus labores perferre, foret moleſtum. Apud maiores noſtros in initio Academiæ aliam eligendi rationem fuiſſe, ex Rectorum annalibus poteſt colligi. Neque enim omnium Facultatum Profeſſores pariter & ſimul eligebant, quemadmodum nunc temporis fieri eſt conſuetum, ſed vnius tantum Facultatis, ſi quem eligibilem habebant, Collegæ: Qui ſi non eſſet, ſequenti Facul-

cultati ius eligendi cedebat: Id quod contentio quatuor Collegarum in Facultate Philoſophica, anno 1487. habita, & per Illuſtriſſimum Ducem GEORGIVM dirempta, manifeſto docet. Poteſt tamen electus Rector oblatam repudiare dignitatem, ſi cauſſæ, quas adducit, toti Vniuerſitati approbentur: Sin minus, excuſationi locus non eſt. Quod ſi tamen in ſententia perſiſtat, pœnam aliquot florenorum incurrit: veluti ex ſequentibus patebit clarius.

DE VNIVERSITATE AC CONSILIO ACADEMICO.

Perpetuo affinitatis vinculo ſtudiorum & literarum genera inter ſe ſunt deuincta, adeo vt mutuam locent operam, & Encyclopædiam conſtituant; in certas tamen a veteribus ſpecies, & Facultates diſtinctæ & redactæ ſunt literæ, cum perſpicuitatis gratia, tum, quia circa diuerſas occupantur materias, vt diſcrimen aliquod ipſarum & dignitas internoſceretur.

Quatuor igitur Facultates res ipſa, & maiorum ſapientia conſtituit, quæ tamen omnes vnum Academicum corpus repræſentant, cui vnum præeſt caput, Rector Academicus. Singulis vero Facultatibus ſeu Collegiis ſuus præeſt Decanus. Veruntamen aliud videtur eſſe Vniuerſitas, aliud vero Conſilium Academicum: hoc eſt, alii repræſentant Vniuerſitatem, alii Conſilium Vniuerſitatis. Vniuerſitas ex quatuor Decanis & Rectore conſtat, quæ loco ſeu vrbi, vbi eſt fundata, perpetuo affixa eſt; Hoc eſt, Rector cum Decanis quatuor omni tempore, & pacato, & intranquillo, & peſtilenti, & ſalubri, vel per ſe, vel per Vicarios ſuos in conſtituta vrbe manere cogitur. Id quod ego de Friburgenſi Academia affirmare auſum, & de noſtra, Annales actaque non obſcure inſinuant. Concilium vero ex Rectore, Decanis, cæterisque Profeſſoribus, legitime congregatum conflatur & conſtat, vno illo excepto, quod non omnes Philoſophicæ Facultatis Profeſſores ad Conſilium Vniuerſitatis conſtituendum requiruntur. Quia enim ea Facultas pa-

tet latiſſime, adeo vt pluribus in ea docendo opus ſit Profeſſoribus, longe illi & numero & votis reliquas excederent Facultates: id quod ſpeciem quandam Monarchiæ poſſet inferre, cum Ariſtocratiam in Vniuerſitatibus eſſe oporteat. Statutis igitur cautum eſt, vt ex omni Profeſſorum artium numero, tantum Decanus cum tribus ſenioribus eiusdem Collegii Profeſſoribus, Conſilio Vniuerſitatis interſit. Quod ſi vel per obitum, vel diſceſſum vnius locus in Conſilio vacat, alius ex Profeſſoribus artiſticis ſubſtituitur, ſed ita tamen, vt ſemper ſenior iuniorem iure antecedat.

* Obſeruatum hoc eſt etiam poſt Rotmari tempora, cum ſoli Patres Societatis IESV Facultatem philoſophicam conſtuerent. Hodie, dum hæc ſcribo, ſex omnino numerantur dictæ Facultatis Profeſſores, qui omnes ſunt Conſiliarii Vniuerſitatis.

DE SINGVLARVM FACVLTATVM DECANIS AC SENATV.

Negotia, quæ in Academiis tractanda incidunt, partim ad totam Vniuerſitatem ſpectant, partim ſingularum ſunt Facultatum. Conſtituuntur autem Facultatum Collegia ex ſuis Profeſſoribus, quibus Decanus in negotiis Facultatem concernentibus, non aliter, atque Rector in Academicis præſidet, vota deliberantium colligit, & ſecundum pluralitatem decidit. Collegia autem ſingula ex tribus ad minimum Profeſſoribus conſtituuntur. Quod ſi pauciores ſint, quia duo Collegium non faciunt, licet examinandi, tamen ſolenniter promouendi poteſtatem non habent, adeo, vt acciri & adſciſci tertium ſit neceſſe.

Singulæ autem Facultates ſua tractant negotia, nec licet ſuperiori Facultati, imo ne Rectori quidem in conſultationem inferioris, & e contra, ſeſe immiſcere, nedum tractationem perturbare; ſed libera cuiuis Facultati, ipſis Academiæ ſtatutis præcipientibus, in ſuis negotiis agendi, deliberandi, & decidendi, nemine obſtante, poteſtas relinquenda eſt, modo nihil in alterius Facultatis, nedum Vniuerſitatis præiudicium & detrimentum tractetur, concludaturque. Eligitur Decanus ex

ex Facultatum ſingularum Profeſſoribus & Senatoribus, & quidem ordine ſeruato, nihil omnino obſtante, niſi quod, ſi ex ea Facultate Rectorem eligi contingat, is Decanatus officio fungi non poſſit.

Aliter tamen in Facultate artiſtica ſe res habet. Nam licet præter quatuor ſeniores, qui etiam Conſilio Vniuerſitatis interſunt, reliqui Profeſſores, atque etiam omnes Magiſtri alii Vniuerſitati & Facultati incorporati ſint iuxta prima Statuta; iuxta recentiora vero tantum duo ex Profeſſoribus, excluſis reliquis & Profeſſoribus & Magiſtris, ad Conſilium Facultatis aduocari poſſint, ſeniores tamen quatuor tantum in Decanos ſunt eligibiles. Electio vero Decanorum diuerſis quidem fit temporibus, proxime tamen electionem Rectoris ſubſequi debet.

DE CVLTV DIVINO ET RECTORIS DEDVCTIONE SINGVLORVMQVE DECANORVM ET FACVLTATVM FESTIS.

Quia maiores noſtri & re ipſa, & diuina ſcriptura edocti, nihil pietate eſſe præſtantius, & ad rerum incolumitatem conducibilius, cultum diuinum neutiquam negligendum eſſe cenſuerunt. Voluerunt igitur ſolenniora, magnificentioraque per totum annum feſta, ſolennius etiam, magnificentius, & maiori cum reuerentia & conuentu peragi. Itaque Rectorem Scholæ, in eiusmodi feſtis, a toto Senatu Academico, cœtuque Scholaſtico in templum cum ſceptris deducendum, & domum eadem ſolennitate reducendum, conſtituerunt.

Feſta autem ſunt: *Natiuitas Domini*, *Reſurrectio Chriſti*, *Pentecoſte*, *Aſſumptio beatæ Mariæ Virginis*, *& Feſtum Omnium Sanctorum.* His annumeratur Feſtum Corporis Chriſti, & Purificationis D. Mariæ Virginis, in quibus in circuitu Eccleſiæ Rectorem tota Vniuerſitas, ſine tamen deductione & ſceptris, comitari & ſubſequi debet, & in Feſto Purificationis ardentes ſinguli geſtent faces.

* Hodie

* Hodie abrogatæ ſunt deductiones omnes: In Feſto tamen Immaculatæ Conceptionis B. V. M. quamdam illarum ſpeciem videre eſt; cum poſt emiſſam Profeſſionem Fidei ex ædibus Vniuerſitatis ad Templum academicum Rector cum Profeſſoribus publice ac ſolenniter aſcendunt. Sed hoc de Feſto infra in Annalibus ad an. 1653. plura.

Quin etiam ſingulis Facultatibus ſui ſunt Patroni, & ſua Feſta ſolennia, quæ eius Facultatis Decanus, Profeſſores & auditores pie, deuote & honorifice celebrant, adiunctis & reliquarum Facultatum, honoris & amicitiæ ergo, Profeſſoribus.

Theologorum patronus eſt *S. Ioannes, ante portam Latinam*, & 4. *Doctores Eccleſiæ*: Iuris Conſultorum *Iuo*: Medicorum *Coſmas & Damianus*: Philoſophorum denique *S. Catharina*. Philoſophi ſuum Feſtum in veſpertinis precibus oratione de laudibus Patronæ exornant: id quod etiam in Veſperis Natalibus fieri a Theologis ſolet.

* Omiſſa hodie celebritate Chriſti natalitia Theologi, bis tamen in anno, ſacras eiusmodi Orationes inſtituunt; in Feſtis ſcilicet *S. Ioannis ante Portam Latinam*, & *Immaculatæ Conceptionis B. V. M.* Quo honoris genere etiam Iuriſconſulti ſuum *D. Iuonem* proſequuntur.

Solus tamen Decanus Philoſophorum ab eius Facultatis Profeſſoribus, auditoribus & ſubditis, cum ſceptris ad Officium deducitur reduciturque; aliarum non item Facultatum Decani. Quod ideo fieri arbitramur (liceat enim & mihi meas merces vendere) primo quod latiſſime pateat; deinde quod inter omnes Facultates primo iuuenta doceri cœperit: denique quod reliquarum Facultatum ſit Fundamentum, & baſis, vt ſine eius cognitione ſuperiores ſcientiæ ſuos fines tueri minime poſſint, eique proinde plurimum, tanquam fideli matri debeant.

* Gaudet eadem Facultas Artium iam inde a primordio Academiæ etiam hac prærogatiua, vt habeat proprium ſceptrum, apud Decanum Facultatis antehac aſſeruari ſolitum, quod in deductionibus publicis, vna cum ſceptro Vniuerſitatis, Rectori præfertur. Horum ac ſimilium priuilegiorum ſuſpicor aliam ſubeſſe rationem, quam quæ a Rotmaro ſupra allata eſt: Fortaſſe ceteris Facultatibus prior eſt atque antiquior Artiſtica; ita vt iam ante publicatam Vniuerſitatem Collegium quoddam liberalium Artium hic exſtiterit. Inuenio certe anno 1472. Magiſtros Artium & magno numero hic adfuiſſe, & iam tum in geminas ſectas diuiſos, *Reales* ſcilicet atque *Modernos*; atque inde autumo, non tum primum ſimul omnes advolaſſe, ſed iam ante collectos hic fuiſſe.

DE

DE BVRSIS.

Quoniam Academia Ingolſtadienſis tota penitus ad formam & ſtatum Academiæ Viennenſis conſtituta eſt, indeque & Statuta ſua, & immunitates, priuilegiaque petiuit, adeo vt non immerito filia eiusdem dicatur, prioresque Viennæ concedat, Burſarum quoque vſum inde tranſumpſit, quæ in hunc vſque diem in Viennenſi & Friburgenſi Academia, magna cum Studioſorum commoditate & fructu retinentur.

Cæterum Burſas non alia de cauſſa, quam propter commodiorem viuendi rationem, inſtitutas arbitror, primo, vt minoribus expenſis Studioſa iuuentus viueret; deinde vt ſub diſciplina coërcita minus exorbitaret; denique vt quia continua exercendi ſeſe occaſio foret, & tempus & ſumptus melius locaret. Atque eam profecto etiamnum apud Friburgenſes non alia de ratione conſuetudinem obſeruari nouimus, vt quicunque aliquem in Philoſophicis Studiis gradum ſperant, affectantque, vel in Burſis, vel ſub aliquo præceptore, viuendum iis ſit, aut ſi cui forte eſt alia ſuſtentationis commoditas, id conſenſu Decani faciat. Maioris enim apud ciues plerumque viuitur, & amplior ibi eſt exorbitandi commeſſandique occaſio.

* Erant igitur Burſæ academicæ genus quoddam conuictuum publicorum, ſeu Collegiorum; habebantque ſub directione Artiſticæ Facultatis ſua Statuta, ſuum Rectorem (Conuentorem Burſæ tum vocabant) ſuumque Procuratorem ſiue Oeconomum &c.

Quantum vero hominum ſermone & indiciis quibuscunque conſequi poſſumus, Burſæ apud Ingolſtadienſes N. 7. erant, quibus ſinguli Conuentores, ſeu Regentes præerant: *Burſa Draconis*, *Solis*, *Angelica*, *Roſarum*, *Liliorum*, *Aquilæ*, & *Pariſienſis*. Quæ poſterioribus temporibus in priuatas ædes conuerſæ in ciuium poteſtatem & poſſeſſionem, per emptionis modum deuenerunt.

* Acta Facultatis philoſophicæ genuina omnino atque ſynchrona non ſeptem tantum, vt Rotmarus ſcripſit, ſed minimum vndenas eiusmodi Burſas produnt; ſcilicet præter iam memoratas, Burſam *Ariſtotelis*, *Pauonis*, *Leonis*, & *Viennenſem*. Burſa Aquilæ antea *Dingolfingenſis* dicebatur. *Statuta Burſalia Burſæ Pauonis* inter Acta mox dictæ Facultatis aſſeruantur, quæ, vt deſcripta diplomaticæ horum Annalium parti inſerantur, operæ pretium fore duxi. Vid. Annal. Acad. P. IV. pag. 95.

Quare vero abolitæ ſint, cauſſam quidem indagare poſſum nullam, niſi forte eas vel propter ſtudioſorum paucitatem, vel quod veriſimilius, diſciplinæ impatientiam deſertas opinemur. Quo enim ſerior accedebat ætas, eo diſciplinæ impatientiorem eſſe iuuentutem factam, credibile eſt, minusque imperantium iugo ſe ſubmiſiſſe, & non niſi dulcem libertatem ſpiraſſe, quam aliquando apud maiores tantam in Schola noſtra, non tam Superiorum, quam temporum, tumultuumque bellicorum culpa, fuiſſe conſtat, vt in damnoſam cupiditatum prauiſſimarum licentiam & impunitatem erumperet, eoque nomine Academia Ingolſtadiana apud exteras etiam nationes male audiret.

* Ego, circa Burſarum abolitionem, vt nihil demam Rotmarianæ ſententiæ, quæ veri ſimillima eſt, non nullam tamen cauſſam in Collegium Ducale Georgianum reiiciendam exiſtimo; hoc enim cum & Sereniſſimi Fundatoris ſui auctoritate & ædium amplitudine & prærogatiuis quibusdam aliis præſtaret, Burſas academicas ſucceſſiue omnes videtur quaſi exhauſiſſe.

Erant autem Burſæ non minus atque tota Vniuerſitas, & Artium Facultas ac reliqua Collegia omnia ſanis ſtatutis & viuendi regulis, priuilegiisque conſtitutæ ac donatæ, quæ etiamnum apud Facultatem artiſticam licet reperire. Statuta nihil niſi vtilitatem Burſalium, eorumque Studia & mores ſpectabant, quorum alia ad Burſales, alia ad ipſos conuentores pertinebant.

* DE ADMINISTRATIONE REDDITVVM VNIVERSITATIS.

A primordio Vniuerſitatis adminiſtratio redditaum penes ipſam Academiam erat; ſcilicet ex ſenioribus Profeſſoribus quidam, per vices Facultatum, titulo Camerarii Vniuerſitatis, eiusdem œconomiam curabat, & accepti expenſique rationes Senatui academico proponebat, adhibita Vice-Camerarii opera. Hodie bona Vniuerſitatis per Granarium, vt vocant, adminiſtrantur, qui rationes annuas ad Cameram Electoralem Monachium referre debet, Senatui tamen academico prius exhibitas. Vid. Annal. Acad. P. IV. Num. LXXXIX.

AN-

ANNALES
ACADEMIAE INGOLSTADIENSIS.

SÆCVLVM I.

ANNO DOMINI M CCCC LXXII. A. 1472.

Fundata Academia Ingolſtadienſi, nondum tamen ſolenniter, vt arbitror, publicata, inaugurataque, poſteaquam fama iam de ea increbuiſſet, iuſtusque Studioſorum confluxiſſet ad nouum hunc literarum mercatum numerus, ne acephalos eſſet Vniuerſitas, Vicerector Scholæ ab ipſo fundatore Illuſtriſſimo Principe Lvdovico 17. die Martii eſt conſtitutus Wilhelmvs de Werdena Artium & Decretorum Doctor, & Iuris Canonici in Decretalibus Profeſſor Ordinarius.

* Verum nomen eſt, *Wilhelmus Kyrmann Donawerdanus.*

Vicerectoratus eius durauit a 17. Martii vsque ad 25. diem Iulii. Feruuere tum ſtudia, & ſturnatim vel literarum amore ac deſiderio, vel quod naturæ hominum corruptæ frequentius & quaſi congenitum eſt, rerum & Vniuerſitatis nouitate exciti aduolarunt viri iuuenesque. Iſto igitur Vicerectoratus tempore, id eſt, intra decem ſeptimanarum (*ſeptendecim*) ſpacium relati ſunt in album & matriculam Vniuerſitatis, 489. Studioſi, iuuenes, virique, clerici pariter ac ſeculares.

Perſonæ illuſtriores erant: Reuerendus in Chriſto pater ac Dominus *Ioannes* Epiſcopus Hieropolitanus, SS. Theologiæ Profeſſor. *Theodoricus Mayr* Præpoſitus in Illmünſter: quod Collegium, vt opinor, Sacerdotum ſua memoria vna cum D. Arſatio Monacum, in templum D. Virginis translatum ſcribit Boiorum Hiſtoricus libro tertio, Fol. 291. *Carolus Fromont* Pariſienſis, LL. Doctor, & in nouo iure Pontificio Profeſſor. *Ioannes. Tar-*

 dinger

A. 1472. *dinger* Franco Iuris vtriusque Doct. Ordinarius in iure ciuili Profeſſor. *Henricus de Schmiehm*, Iuris vtriusque Doctor. *Chriſtophorus Mendel* de Stainfels, artium & LL. Doctor, & Inſtitutionum Profeſſor Ordinarius. *Andreas Riederer* Medicinæ Doctor & Profeſſor. *Vdalricus Ellenbog* de Valcirco, & *Bartholomæus Metlinger* Auguſtanus: & *Ioannes Troſt* Medicinæ Doctores. *M. Samuel de Liechtenberg* Poëta. *Wolfgangus Peiſſer* Purckhuſianus, poſt Medicus Clariſſimus, & anno 1520. Profeſſor Medicinæ celeberrimus, cuius familiæ poſteritas nunc in vno conſiſtit pronepote apud Ingolſtadienſes, qui dum hæc ſcriberemus (*an.* 1580.) ducta coniuge, Landishutæ ſibi ſedem poſuit. *Martinus* item *Preininger* liberalium artium Magiſter anno eodem 25. Iunii inſcriptus eſt, qui poſt Iuris fœliciter emenſus pelagus, LL. Doctor creatus, & Profeſſor Tubingæ factus eſt: Obiit anno 1550. dictus alio nomine *Vranius*.

Publicatio Academiæ facta eſt, anno 72. præſentibus, præter fundatorem & filium, Reuerendiſſimis patribus, Domino WILHELMO Eiſtetenſi, IOANNE Auguſtano, *Ioanne* Hierapolitano &c. Domino *Ioanne de Rabenſtein* Apoſtolicæ ſedis Protonotario, Sereniſſimi Vngariæ Regis Legato, multisque aliis Prælatis & diuerſarum Eccleſiarum Canonicis. Hoc erat in titulo de fundatione Academiæ prætermiſſum.

* Die demum vigeſima ſexta Iunii, in Feſto *SS. Ioannis & Pauli MM.* Beatiſſimo Papa SIXTO IV. Eccleſiam vniuerſalem gubernante, & FRIDERICO III. Romanum tenente Imperium Ingolſtadienſis hæc Academia ſolennibus cerimoniis inaugurata, publicataque eſt a Sereniſſimo Principe ac Domino noſtro LVDOVICO Bauariæ Duce, Comite Palatino Rheni, eiusdem Vniuerſitatis Fundatore, præſentibus, quos ſupra recenſui, Epiſcopis ac Principibus &c. &c.

Notarius Academiæ primus *Ioannes Altenpeckh* Clericus, Diocæſis Friſingenſis. Idem etiam Pedellus. Nam ea officia inter ſe coniuncta primitus fuere, & poſterior, ſi recte ratiocinor, recentiorque ætas vidit. Obiit anno 1503. & ſepultus eſt apud Franciſcanos in veſtibulo ingreſſus ſeu portæ Monaſterii.

Excluſionis pœna primis ſtatim Academiæ temporibus, vti ſtatuta erat, ita in vſu haberi cœpit, & recenſentur ſub Vicerectoratu Domini de Werdena aliquot excluſi: quo tamen

A. 1472.

men relegati tempore, incertum. Non igitur relegationis pænam, quod noſtro ſit tempore, Senatorum & Magiſtratus Academici duritiei, ſed iuſtitiæ, ſed antiquitati & conſtitutioni, inueteratæque conſuetudini, ac propriæ culpæ imputent Studioſi.

EODEM ANNO M CCCC LXXII.

Rector I. CHRISTOPHORVS MENDEL *de Steinfels*, Artium ac LL. Doctor & Profeſſor.

Inſcripti, *toto hoc anno*, 794.

Nobiles: *Pancratius Imhof*, Rector Eccleſ. Pfaffenhof.
Ioannes de Raming, Can. Eccl. Auguſt.
Fridericus de Schaumburg, *Georgius Marſchall*, } Can. Eccl. Bamberg.
Ioannes de Weyrs, *Philippus Voyt*, } Can. Eccl. Herbipol.
Wilhelm de Grumbach, Can. Herbipol.
Henricus de Wippfeld, Can. Eichſtett.
Ioannes de Seckendorf, Can. Herried.
Wippertus de Seckendorf, al. Reinhofen.
Arnold. de Seckendorf.
Chriſtoph. de Knöringen.
Bernard. de Puch.

Profeſſores: *Ioannes Hofmann*, Epiſc. Hierapolit. Suffragan. Ratisbon. SS. Theol. Prof. extraord.
Carolus Fromont, Pariſienſ. LL. Doct. & Prof. Ord.
Ioannes Tardinger, Franco, I. V. D. & Prof. Ord.
Andreas Rieder, Medic. Doct. & Prof. Ord.
Wolfgang Federkiel, Dorffenſ.
Vrban. Klughaimer, Neoburg.
Henric. Pfeilſchmid, Monac.
Samuel de Lichtenberg,
Kilian. Pflüeger, Windshem.
Ioan. Egkental, Zuſemalt.
Ioan. Tolhopf, Kemnat.
} Magiſtri Artium.

A. 1472. Rector primus electus eſt in multorum illuſtrium, nobilium & Prælatorum præſentia, *die* 25. *Iulii;* prorogatusque eſt eius Rectoratus vsque ad 24. diem Aprilis, anni 1473.

Perſonæ Illuſtriores (*ex inſcriptis ſub hoc Rectoratu, præter ſupra deſcriptos Nobiles*) erant *F. Lucas* (*Praun*) Ordinis Prædicatorum. *F. Georgius Prenner* Auguſtanus, SS. Theologiæ Lector. *F. Petrus Schwarz* de Cardana, Ordinis Prædicatorum, SS. Theologiæ Baccalaureus formatus. *Ioannes Eiſner* Olmucenſis, Decretorum Doctor. *Wilhelmus de Werdena* Doctor Decretorum.

GVILIELMVS *a Reichenaw*, Epiſcopus Aichſtadianus, primus Academiæ Cancellarius. Fuit Imperatoribus Domino FRIDERICO & Diuo MAXIMILIANO propter inſignes ſuas virtutes ac eloquentiam chariſſimus.

* De Cancellariis Academiæ plura legere eſt Tom. I. Acad. Ingolſtad. Parte II. pag. 27.

Pro autoritate graduum, titulorum & honorum ſcholaſticorum, Academiarum Fundatores plerumque perſonas Eccleſiaſticas, & quidem Principes viros, aut æquales Principibus in ſcholarum Cancellarios elegerunt. Et quanquam aliqua in Scholares Iurisdictio penes Ordinarios conſiſtit, non tamen idem in omni Academia Cancellarii munere fungitur, veluti in Archigymnaſio Friburgenſi licet cernere: Conſtantienſis enim Epiſcopus eiusdem loci eſt Ordinarius & ſupremus Academiæ Iudex, ad quem a Conſiſtorio Academico datur appellatio: Baſilienſis vero eiusdem ſcholæ Cancellarius. Propinquitate vero loci, vt opinor, aut quibuscunque aliis cauſis motus Sereniſſ. Boiorum Dux LVDOVICVS, cognomento *Diues*, & verus Academiæ Fundator, eundem nobis Cancellarium eſſe voluit, facileque cum a ſummo Pontifice, tum etiam Imperatore & Epiſcopo Aichſtadiano impetrauit, qui loci eſſet Ordinarius; ita tamen, vt & criminalibus & ciuilibus cauſis determinatio penes Academicos remaneret.

Procancellarius primus *Carolus Fromont*, Pariſienſis, LL. Doctor & Profeſſor. Dignitatem Procancellariatus teſtatur inſcriptio monumenti eiusdem.

Inter cæteros inſigniores viros, qui primi nomen ſuum Academiæ dederunt, numeratur etiam Reuerendus in Chriſto Pa-

Pater ac Dominus, *Ioannes* Epiſcopus Hieropolitanus, & Suffraganeus Ratiſponenſis S. Theologiæ Doctor. Acceſſerat ad Academiam non tam vt profiteretur, quam vt erectioni & ſolenni Academiæ Ingolſtadianæ publicationi Reuerendiſſimi ſui Epiſcopi, vt arbitror, nomine intereſſet. Verum cum adhuc Doctores Theologi ſuppeterent nulli, nec dum Adorfius inſignia Doctoralia recepiſſet, Illuſtriſſimus Princeps LVDOVICVS, autoritate tanti viri motus, eum ad temporis aliquantulum Theologiæ Profeſſorem & Facultatis eiusdem Decanum conſtituit. A. 1472.

* Ad Collegium Facultatis Medicinarum legitime conſtituendum conuenere Iunio menſe *Ioannes Troſt* Sereniſſimi Fundatoris noſtri Archiater, *Vdalricus Elbogen* Capituli Auguſtani Medicus, & *Andreas Rieder* conſtitutus Medicinæ Profeſſor ordinarius, omnes Artium ac Medicinæ Doctores, coram Notario publico & teſtibus, ad id ſpecialiter vocatis, *honorabilibus* ſcilicet & *diſcretis* viris, Magiſtro *Ioanne Tolhopf*, Collegiato ducalis Collegii, Domino *Ortolfo Kalb* Presbytero, *Henrico Neſtl* & *Auguſtino Schuchmayr* AA. LL. Baccalaureis; ac Decanum Facultatis eodem tempore elegerunt *Andream Rieder* ordinarium, quem dixi, Medicinæ Profeſſorem. Eodem adhuc anno condiderunt Statuta Facultatis, a Sereniſſimo Fundatore confirmata.

* Facultas artiſtica mox a fundata Academia numero potius Profeſſorum quam inopia videtur laboraſſe. Ipſo hoc anno *duplicis viæ Magiſtros* adfuiſſe reperio, *antiquæ* ac *modernæ*; id eſt geminam Philoſophorum ſectam, *Realium* ac *Nominalium*. Inter viæ modernæ Magiſtros Decanatum geſſere *Vrbanus Klughaimer* & *Henricus Pfeilſchmid*; qui binas habuere promotiones Baccalaureorum; vnam ad D. Michaelis, alteram ad D. Lucæ; quibus octonos crearunt Baccalauros; edideruntque varia decreta Facultatem concernentia, vt de ordine Baccalaureorum in publicis actibus, de *taxa* in inſcriptione perſoluenda; de libris lectionum, &c. quæ omnia in actis eiusdem Facultatis reperire eſt. Statuta Facultatis anno primum 1478. ſunt condita, quod codex autographus teſtatur.

ANNO DOMINI M CCCC LXXIII. A. 1473.

Rector II. IOANNES TOLHOPF *de Khemnaten*, Artium Magiſter. electus ex artiſtica, vt vocant, Facultate.

Rector III. R. D. IOANNES DE ADORF, Artium & S. Theologiæ Doctor & apud D. Virginem parochus: quando ſit inſcriptus, non reperi.

In-

A.
1473. Inſcripti hoc anno, 321.
Nobiles *Ioannes Groſs*, Can. & Plebanus in Illmünſter.
Ioannes Schott, Can. Herbipol.
Eraſmus Seyboltsdorfer de Seyboltsdorf.
Georg. de Schaumberg, Can. Bamberg.
Ioannes de Schaumberg.
Wolfgang. de Bubenhofen.
Sigiſmund. Gumpenberger de Pöttmes.
Martin. Fraunhofer de Fraunhofen.
Nou. Prof. *Ioannes Hebrer* Bambergenſ. Artium & Theol. Doct. ac Prof.
F. Lucas Praun; Ordin. Præd. Prior Auguſtanus, SS. Theol. Doct. ac Prof.
Ioannes Permetter, Adorfenſ. SS. Theol. Doct. ac Prof. Ord.
Ioannes Mainberger, Iur. Can. Doct. & Prof.
Nicolaus de Ratisbona, Medic. Doct. & Prof.
Nou. Doct. *Ioannes Permetter*, Adorfenſ. &c. *Theol.*

* Quæ hoc & ſequentibus annis de Profeſſoribus Theologiæ Annalibus Rotmarianis addita leguntur, ex Acad. Ingolſt. Tomo I. deſcripta, atque ſuis quæque locis ordine Chronologico inſerta ſunt.

Ioannes ab *Adorf* cognomentum ſortitus a loco, vnde oriundus erat, alioquin dictus cognomine *Permeter*, operam dedit cum humanioribus literis & Philoſophiæ, tum etiam Sacræ Theologiæ ſtudio, Lipſiæ Miſnenſium, ibidemque & Magiſterii inſignia in artibus liberalibus, & in Theologia Baccalaureatum formatum circa annum, niſi me computatio fallat, 1469. eſt conſecutus. Deinde anno Domini 1472. Sereniſſimi Principis LVDOVICI, Ducis Bauariæ, &c. ad recens a ſua Sereniſſ. Celſitudine inſtitutam Academiam, literis euocatus, Ingolſtadium venit. Anno Domini 1473. præmiſſis omnibus iis, quæ ad inſignia Magiſtralia ſeu Doctoralia in Theologia petenda, recipiendaque requiruntur, cum iam vltra quartum annum S. Theologiæ Baccalaureus fuiſſet & quidem formatus, ſecunda feria poſt feſtum Purificationis Mariæ Licentiæ gradum in templo Beatæ Mariæ Virginis recepit, eodemque die Veſperias celebrauit: Die

Die vero 9. Februarii Doctoralia inſignia in eodem templo eſt A. 1473.
conſecutus, Promotore *Ioanne* Epiſcopo Hieropolitano & Suffraganeo Ratisponenſi; qui die 4. Febr. cum iamiam promouendus eſſet Dominus *Ioannes ab Adorf*, primus Facultatem conſtituit, & recepti ſunt ad Conſilium Facultatis Theologicæ, 4. quidem die Febr. *Ioannes Hebrer* Babenpergenſis, artium & Theologiæ Doctor, & die 7. Febr. Reuerendus Pater, ac Dominus *Lucas Praun* Doctor Theologus, Ordinis Prædicatorum, & Monaſterii Auguſtani Prior, ex quibus ille 3. die, hic vero ſexto Februarii ad Scholam acceſſerant.

* Scilicet vt ſupremus Doctoris gradus *Adorfio* rite ac legitime conferri poſſet, neceſſarium omnino fuit duos ſaltem Doctores Theologos vnde vnde aduocare, qui cum *Ioanne Hofmanno* Collegium Theologicum conſtituerent.

Illuſtriſſimus Princeps LVDOVICVS, felicis, vt opinor, ominis ergo magnificum propriis expenſis prandium exhibuit, adiunctis ſuæ Illuſtriſſimæ Celſ. tubicinibus, vt cum maiore ſolennitate actus ille Doctoralis perageretur.

Primus hic fuit *Adorfius*, cui inſignia Doctoralia conferri vidit Academia; primus item Theologiæ Profeſſor Ordinarius. Quanquam enim ante eum Reuerendus Dominus *Ioannes. Hofmannus* &c. Theologiam per aliquod tempus (a prima credo intitulatione, id eſt menſe Martio, anni 472. vſque ad annum 74.) docuerat, Facultatem conſtituerat, & vices Decani geſſerat, Ordinarius tamen Profeſſor non fuit, ſed ab Illuſtriſſimo Principe conſtitutus, donec ſuæ Academiæ de alio, pluribusve Theologis Doctoribus & Profeſſoribus Sereniſſima eius Celſ. proſpiceret.

Eodem tempore præſentatus fuit idem *Adorfius* ab Illuſtriſſimo Principe LVDOVICO ad Parochiam D. Mariæ Virginis, & ab Epiſcopo Aichſtadiano confirmatus; poſt erectam Academiam Parochus apud D. Virginem primus, a fundatione vero Parochiæ quintus. In adminiſtratione eiusdem obiit, id quod ad noſtra vſque tempora poſt Adorfium contigit nulli. Salubris enim eſt eius Parochiæ aër, adeo vt pauci in ea commoriantur, reſignent fere omnes, multorum vero eadem Suffraganeorum mater.

A. 1473. Eo ipſo tempore Reuerendus Dominus *Ioannes* cum ſuis Collegis modo ad Facultatis Conſilium aſcitis, Statuta pro Candidatis cuiuscunque gradus in Theologia condidit; & decima Februarii *Ioannes ab Adorf* primo Facultatis Theologicæ Decanus eſt conſtitutus, præfuitque ſolus, tum Cathedræ Theologicæ, tum etiam Decanatus officio, Epiſcopo Hieropolitano, cæterisque, qui tum in Facultate Theologica erant, alio diſcedentibus. Lectionem primam fecit die 22. Februarii, qui Cathedræ D. Petri erat ſacer, & Euangelium D. Ioannis auſpicatus eſt, cum paucis diebus ante, d. 17. ſc. Febr. publice in aula Collegii diſputaſſet. De *Adorfio* plura dicemus anno 1505.

* Inter Magiſtros Artium occurrunt hoc iterum anno duo eiusdem Facultatis Decani, *Ioannes Eckentalerus* & *Wolfgangus Federkielius*, ſub quibus ſeptuaginta & octo Baccalaurei quaternis in promotionibus creati ſunt. Varia item in bonum Facultatis ſunt concluſa; inter quæ illud præcipuum, quod receptus ad gremium Facultatis, etſi non item ad conſilium, habeat poteſtatem legendi, diſputandi, &c. ita tamen, vt Decano in omnibus, quæ ad Facultatem ſpectant, obediat.

* De *Ioanne Mainbergero*, *Nicolao de Ratisbona*, & *Ioanne de Sindelfingen* paulo inferius fiet mentio.

A. 1474.

ANNO DOMINI M CCCC LXXIV.

Rector IV. IOANNES MAINBERGER, Iur. Can. Prof.

Inſcripti 220.

Nobiles, *Wilhelmus Fraunhofer* de Fraunhofen &c.
Ioannes Paulsdorfer, iun.
Georg. Paulsdorfer, Can. Ratisbon.
Wolfgang. Schönſtainer de Schönſtain.
Michael de Seckendorf, al. *Rinhofer*, in Pucklingen.
Leonardus, *Heinricus*, *Erhardus*, } *de Egloffſtein*, fratres.

Nov. Prof. *Wilhelmus Fraunhofer* de Fraunhofen, Doct. LL. & Inſt. Prof. Ord.

Ioan-

Ioannes Mainberger, artium & Iuris Pontificii Doctor, & in nouis Iuribus Pontificiis Ordinarius (libet enim vetuſtis appellationibus vti) anno eodem, die 18. Octobris iterum electus eſt Rector V.; idque ex diſpoſitione Illuſtriſſimi Principis LVDOVICI Fundatoris, & conſenſu Academicorum. A. 1474.

Perſonæ illuſtriores, *ex inſcriptis hoc anno*, erant *Wilhelmus Fraunhofer* de Fraunhofen, Doctor LL. & Inſtitutionum Profeſſor Ordinarius. Hunc eo lubentius refero, vt intelligat noſtra ætas, quam apud veteres nobilitas nec gradus titulosque ſcholaſticos ſpreuit, nec in Profeſſorum numero recenſeri erubuit: ſed res, proh dolor, nunc longe ſeſe aliter habet. Item *Ioannes* (*Widmann*) *de Sindelſingen*, Medicinæ & Chirurgiæ Doctor; *Ioannes de Baireut* Medicinarum Doctor,

* & Sereniſſ. Ducis LVDOVICI Phyſicus iuratus;

Magnus Airnſchmalz Weilhaimenſis, qui anno 1486. die 18. Oct. creatus Rector Vniuerſitatis, & poſt Illuſtriſſimi Principis GVILIELMI Ducis Boiorum Phyſicus eſt factus; *Georgius Zingel* ex Schlierſtat, artium & SS. Theologiæ Doctor; *Michael Lochmair* Decretorum Licentiatus, & SS. Theologiæ Baccalaureus.

Anno eodem & die quinto Decembris, obiit eximius vir *M. Georgius Burinus*, primus Burſæ Draconis conuentor. Sepultus, vt opinor, apud diuam Virginem, iuxta aut intra Sacellum Fullonum. Inſcriptionem habet in lapide, qui ante altare iacet.

* Ex Actis Facultatis Artium ſub Decanatu *M. Ioannis Kraus* de Erlbach, ad diem 3. Iun. h. a. memorandum venit concluſum de feriis academicis, quod ſequentis eſt tenoris ac ſtyli: *Placuit Magiſtris vtriusque vie obſeruari vacationes a lectionibus infra ſcriptas:*

A Sabbato ante palmarum ad craſtinum octauarum Paſce.

A Sabbato ante Pentecoſtes ad craſtinum octuvarum.

Ab octauis Petri & Pauli Apoſtolorum ad octauas ſancti Laurencii incluſiue vt non diſputetur ordinarie ſed extraordinarie poſſunt tamen Magiſtri legere ſed non tenentur neque regenciam amittunt.

A vigilia S. Thome Apoſtoli vſque ad craſtinum Epiphanie.

Placuit etiam habere feſta chori quibus ante prandium actus ſcolaſtici fieri non debent videlicet in diebus Marci Luce Euang. Gregorii Auguſtini Ambroſii Hieronimi quatuor Eccleſie Doctorum, Dorothee, Barbare & undecim milium Virginum ſpecialium patronarum.

A. 1475.

ANNO DOMINI M CCCC LXXV.

Rector VI. NICOLAVS DE RATISBONA, Artium & Medicinæ Doctor & Profeſſor.

Rector VII. WOLFGANGVS FEDERKIEL de Dorſen, Artium Magiſter, & SS. Theologiæ Baccalaureus Formatus.

Inſcripti 176.

Nobiles, *Chriſtophorus de Hayn.*
Matthæus Marſchall de Biberbach, poſt Can. Auguſt.
Albertus de Bibrach.
Wilhelm. de Eyb.
Gabriel de Eyb, Can. Eichſtett.
Henricus Nothaſt, Can. Spirenſ.

Nou. Prof. *Georg. Zingel*, Schlierſtad. SS. Theol. Doct. & Prof.
Wolfgangus Veter Hertzoburg. I. V. Doct. & Prof.

Nou. Doct. *Ioannes Schiltel*, Landishut. Fr. Ord. S. Dom. *Ex Theol.*

Hoc ipſo anno ſub *Nicolao de Ratisbona* Rectore, die 16. Iunii ſupremum diem clauſit vir clariſſimus, ac Dominus *Ioannes Mainberger*, Artium & Canonum Doctor, & Profeſſor, vnus ex primis Academiæ Profeſſoribus, atque ob id vnum, ſi cætera deſint, æterna memoria & laude dignus, quique ſecundo Rectoratum adminiſtrauit. Sepultus eſt apud D. Virginem in Sacello D. Leonardi cum duplici monumento; vno marmoreo, quod parieti affixum eſt; altero lapideo, quod humi iacens æream habet, cum inſignibus gentilitiis, ſuperſcriptionem:

* *Anno Domini MCCCCLXXV. die XVI. menſis Iunii obiit venerabilis Presbiter ac clariſſimus artium & Iuris Pontificii Doctor Iohannes Mainperger, huius almæ Vniuerſitatis Lector ordinarius.*

Inter inſcriptos Perſonæ illuſtriores erant Nobilis *Gabriel de Eyb*, qui annis poſterioribus (*an.* 1496.) Epiſcopus Aichſtadianus eſt factus; *Wolfgangus Veter* de Hertzoburgo Iuris vtriusque Doctor & Profeſſor, de cuius obitu vide annum 78. *Ioannes Schwarz* de Cardana SS. Theologiæ Doctor; *Ioannes Schwaiger* Ingolſtadienſis, Medicinæ Doctor & vrbis Phyſicus.

Ioanni ab Adorf, Doctori Theologo & Profeſſori & in docendi munere & Facultatis Conſilio ab anno 1475. vſque ad annum

num 1505. quo obiit *Adorſus*, vnicus fuit collega Dominus *Georgius Zingel* ex Schlierſtat, artium & Theologiæ Doctor. A. 1475.

Pedellus quartus *Ioannes Stein* de Hilpolſtain. Extat eius Epitaphium marmori exiguo inſculptum, quod apud Franciſcanos in veſtibulo portæ iacet. Obiit anno Domini 1505.

* Fallitur *Rotmarus*, cum ſcribit hoc anno condita & approbata fuiſſe Statuta artiſticæ Facultatis; cum codex autographus Statutorum manifeſte annum 1478. prodat. Illud verum, ſpecialia quædam ſtatuta hoc iterum anno a dicta Facultate fuiſſe edità, inter quæ illud; *ne quis Magiſtrorum petat recipi ad conſilium Facultatis, niſi quatuor annos in Magiſterio compleuerit, legerit in artibus per biennium, & tam ordinarie quam extraordinarie diſputauerit ſufficienter.*

ANNO DOMINI M CCCC LXXVI. A. 1476.

Rector IIX. KHILIANVS PFLVGER ex Windsheim, artium & SS. Theologiæ Doctor.

Rector IX. CHRISTOPHORVS MENDEL, de Steinfels, artium & LL. Doctor & Profeſſor, Rect. II.

Inſcripti 134.

Nobiles, *Ioannes de Gumpenberg.*
Vdalricus de Schechingen, Can. Mogunt.
Vitus Lerchenfelder, de Straubing.
Chriſtoph. Preyſinger de Kopsberg.
Antonius de Rottenhan.
Caſparus de Eyb, Can. Bamberg. & Eichſtad.

Nou. Prof. *Erhardus Ventimontanus*, Medic. Doct. & Prof. Ord.

Nou. Doct. *Kilian. Pflüger*, Winshemienſ. *Ex Theol.*
M. Ioannes Currificis, Landsbergenſ. *Ex Medic.*

Inter inſcriptos I. *Erhardus Ventimontanus* Medicinarum Doctor & Profeſſor Ordinarius,

* pro more illorum temporum, cum ſcilicet ex latio, græciane nomina accerſebantur, *Aeolides* etiam dicebatur, vero nomine *Windsbergerus.*

II. *Ioannes Viſchpacher*, artium & LL. Doctor.

* *Ioannes Currificis*, patria Landsbergenſis, *Wagner*, ni fallor, dictus, primus ex Medicina Doctor creatus eſt die tertia Aprilis.

A. 1476. Die quinto Nouembris rebus humanis valedixit clariſſimus vir ac Dominus *Carolus Fromont* Pariſienſis, LL. Doctor & Profeſſor, & Academiæ Procancellarius primus. Sepultus ad D. Virginem, in Sacello diuæ Virginis cum tabula picta, parieti affixa, & lapide humi iacente. In eius locum ſubrogatur Reuerendus Pater, ac Dominus *Georgius Zingel* ex Schlierſtat, Theologiæ Doctor & Profeſſor, & Canonicus Aichſtadianus, de quo in ſequentibus plura.

A. 1477.

ANNO DOMINI M CCCC LXXVII.

Rector X. M. CASPARVS PISTORIVS, Ingolſtadienſis, SS. Theologiæ Baccalaureus Formatus.

Rector XI. GEORGIVS ZINGEL de Schlierſtat, artium & SS. Theologiæ Doctor, Canonicus Eccleſiæ Aichſtadianæ & Academiæ Vicecancellarius.

Inſcripti 253.

Nobiles, *Theodoricus de Bibrach*, Can. Ratisbon.
Stephanus Weſterkircher de Pirnbach.
Andreas Weyrs, Can. Herbipol.
Georgius Nothaſt.
Michael Prawn de Newenhaus.
Ioannes de Eyb.

Nou. Doct. *Caſpar Piſtoris*, Ingolſtad. *Ex Theol.*

Inter inſcriptos erant Dominus I. *Caſparus Tobriſch* Ingolſtadianus, hoſpitalis domus ibidem Plebanus, & poſt Suffraganeus Aichſtadianus. II. *Ioannes Schrenkh*, vir optimus, doctiſſimus, Clariſſimus & fama vitæ integritatis celeberrimus, poſt Iuris Pontificii Doctor, & Reuerendiſſimi Epiſcopi Friſingenſis Vicarius, ex cuius familia noſtro quoque tempore *Ludouicus Schrenk* I. V. D. Epiſcopi Friſingenſis Vicarium generalem in Spiritualibus agit.

AN-

ANNO DOMINI M CCCC LXXIIX. A. 1478.

Rector XII. GEORGIVS MAYR Decretorum Doctor, & Sancti Mauritii apud Ingolſtadienſes Parochus.
Rector XIII. NICOLAVS TINCTOR Guntzenhauſenſis, SS. Theologiæ Baccalaureus Formatus.
Inſcripti 177.
Nobiles, *Ioannes Camerer a Dalburg.*
Sebaſtian Freyberger.
Georgius } *de Grumbach.*
Wippertus }
Hieronym. Haslanger de Haslangsgreut.
Nou. Prof. *Petrus Paumgartner* Waſſerburgenſ. I. V. Doct. & SS. Can. Prof.
Gabriel Paumgartner Norimberg. LL. Doct. & Prof.
Conrad. Weygand, Herbipol. Medic. Doct. & Prof. nuper Regis Boſniæ Phyſicus.
Nou. Doct. *Ioannes Ploſs*, Vlmenſ. *Ex Medic.*

Inter inſcriptos, perſonæ Illuſtriores: I. D. *Wilhelmus de Werdena* Ordinarius in Iure Canonico. Fuit, ni fallor, in primo Scholæ initio, Vicerector, nec ſcio quomodo eius inſcriptio huc translata ſit.

II. Inter eos, qui e noſtra progreſſi Academia ad Epiſcopales dignitates Principatusque Germaniæ ſunt euecti, veluti eruditione & plurimarum virtutum ornamentis primas pene ſibi partes vendicat, ita etiam locum ſuo iure obtinebit primum *Ioannes Camerer a Dalburg*, Canonicus Eccleſiarum Cathedralium Treuirenſis, Spirenſis & Wormatienſis, & poſt Wormatienſis Epiſcopus. Acceſſit noſtram Academiam die 27. Auguſti h. a. Iure profecto ſuo tanto Academia noſtra gloriari poteſt alumno. Singulare enim & illuſtre non ſuæ tantum familiæ, ſed totius Germaniæ decus & ornamentum fuit, vtpote qui & iurisprudentiæ linguarumque trium cognitione, & ſumma cum in Latino, tum etiam Italico, Germanicoque idiomate eloquentia, tum vero prudentia & in rebus agendis induſtria æqualem fere ſibi nullum, ſuperiorem certe ſe neminem ſua ætate habebat.

Eue-

A. 1476. Die quinto Nouembris rebus humani
mus vir ac Dominus *Carolus Fromont* Pariſier
Profeſſor, & Academiæ Procancellarius pr
D. Virginem, in Sacello diuæ Virginis c
rieti affixa, & lapide humi iacente. In c
Reuerendus Pater, ac Dominus *Georgius*
Theologiæ Doctor & Profeſſor, & Canon
quo in ſequentibus plura.

A. 1477.

ANNO DOMINI M CC

Rector X. M. CASPARVS PISTORIVS,
logiæ Baccalaureus Fo
Rector XI. GEORGIVS ZINGEL de Schl
logiæ Doctor, Canor
& Academiæ Viceca
Inſcripti 253.
Nobiles, *Theodoricus de Bibrach*, C
Stephanus Weſterkircher d
Andreas Weyrs, Can. H
Georgius Nothaft.
Michael Prawn de Ne
Ioannes de Eyb.
Nou. Doct. *Caſpar Piſtoris*, Ingolſ

Inter inſcriptos erant D
ſtadianus, hoſpitalis domus ibi
neus Aichſtadianus. II. *Ioanne*
ſimus, Clariſſimus & fama vitæ
Iuris Pontificii Doctor, & Reu
Vicarius, ex cuius familia n
Schrenk I. V. D. Epiſcopi Fri
Spiritualibus agit.

vbi etiamnum Epiſcopi Wor- A. 1478.
Epiſcopalem habent. Obiit La-
is, a Chriſti vero natiuitate anno
Haydelbergæ. Hermolaus Vene-
it, quod ab *Eraſmo* in prouerbio,
quod tale eſt:

narmore fata Rhodolphum
ſpemque decusque ſoli.
it Germania, laudis
latium, Græcia quicquid habet.

e viuis, excellentiſſimus vir ac Do-
, Medicinæ Doctor & Profeſſor, & Re-
Sepultus apud D. Virginem in Sacello
mento lapideo, quod humi iacet,

t inſcriptionem: *Anno Domini MCCCCLXXVIII.*
mbris obiit experientiſſimus artium & Medicinæ Do-
iſpona huius Medici ſtudii Lector ordinarius hic ſe-

, decimo quinto Septembris (17. *Decembris*)
iſſimus vir ac Dominus *Wolphgangus Veter* ex
usque Iuris Doctor & Profeſſor, vnus ex pri-
ac propterea commemoratione dignus, cæ-
pud D. Virginem in Sacello D. Leonhardi,
armoreo, quod humi iacet.

ptionem! *A. D. 1478. XVII. menſis Decembris obiit cla-*
& Iur. vtriusque Doctor Dominus Wolfgangus Veter ex
huius Vniuerſitatis Lector ordinarius. Cuius anima Deo

lem tempora obiit *D. Ioannes Troſt*, Norimbergen-
Doctor, (*Sereniſſimi Ducis* LVDOVICI *Archiater.*)
no (Vid. an. 1475.) Facultas artiſtica pro incre-
re Facultatis ſtudiorumque incolumitate & ſubdi-
e condidit ſtatuta, eaque ab Illuſtriſſimo Principe
undatore Academiæ approbata & confirmata, per
virum *M. Georgium Hiltmanſperger* Salisburgenſem 21.
bris præſentata & publicata, per *Ioannem* vero *Alten-*
G *peckh*,

A. 1478. *peckh*, publicum Vniuerſitatis Notarium, in rubricas digeſta, publice ſubſcripta, & inſtrumento corroborata. Pertinent ea cum primis ad pietatem & cultum diuinum, deinde partim ad honorem Facultatis, & Officium Decani, partim ad bonos mores & ſtudiorum incrementum. Eodem anno Burſarum quoque ſtatuta ſunt condita. Facultatis ſtatutis haudquaquam diſſimilia; & ab iisdem relecta, approbata, publicata & confirmata.

Duæ tum temporis erant apud Ingolſtadienſes Philoſophorum ſectæ, vna *Realium*, altera *Modernorum* ſeu *Nominalium*, vt arbitror. Diuiſi igitur inter ſe artium & Philoſophiæ Magiſtri quotidianis digladiabantur contentionibus, mutuisque ſeſe vexabant altercationibus, vt in apertum ſchiſma euaderent, & vtrique ſuum Senatum conſtituerent, ex ſuis Decanum eligerent, propriumque & ſeparatum haberent ærarium, ſubtraherent denique inuicem auditores, vnde graues etiam ſimultates & inimicitiæ inter partes enaſcebantur. Quæ res non parum Academiæ, quam perturbabat, incommodare videbatur, & Studioſis maxime erat damnoſa. Id ipſum intelligens Sereniſſimus & Illuſtriſſimus Princeps LVDOVICVS, ſuamque Academiam, quam magnis inſtituerat, fundaueratque ſumptibus, eiusmodi inutilibus concertationibus affligi, ægre ferens, pro ſua prudentia mature creſcenti malo putauit occurrendum. Partibus igitur ſuis per mandatum interpoſitis, primo de iactura ſuæ Scholæ conqueritur: deinde mandat, ne diſcedant a ſe mutuo *Reales* & *Moderni* Philoſophi, ſed concordes, neque hanc laudent vehementius, neque illam reprehendant doctrinam acerbius. Tertio ne alii aliis ſuos auditores fraudulenter ſubtrahant, adeo vt liberum ſit omnibus, quos quisque velit, audire præceptores. Quarto vt eundem Senatum, idem ærarium, & vnum Decanum habeant, qui & maxime idoneus, & a pluribus electus fuerit, cui libera ſit in rebus agendis poteſtas. Item vel ſemel, vel bis Magiſtri per annum, quater vero Baccalaurei, ſtatutis temporibus creentur. Ad quorum tentamina & examina quatuor ex Facultate, qui maxime videbuntur idonei, eligantur Magiſtri, cuiuscunque fuerint opinionis & ſectæ, qui iuxta tenorem ſtatutorum agant decernantque. Denique vt pars vtraque ſecure ſuum profiteatur dogma, diſputetque ſine inter-

interpellatione alterius. Actum Ingolſtadii poſtridie Dominicæ *Reminiſcere*, anno 1478. A. 1478.

* Sunt hæc antiquiſſimis artiſticæ Facultatis monumentis plane conſentanea; in quibus iterata occurrunt exempla, cum Magiſtri *Viæ modernæ* ab aliis ſeſe diſcernerent. Quis vero eam & animorum & opinionum diſſenſionem miretur in illa Magiſtrorum multitudine? Certe vnico hoc, & qui proxime ſequitur anno, quadraginta omnino Magiſtri ad Facultatis artiſticæ gremium ſunt recepti, quorum nullus ab habendis reſumtionibus, vt tum vocabant, ſiue lectionibus excludi poterat. Fecit ea res, vt ſpeciali Facultatis concluſo caueri debuerit, ne plures quam deni auditores vni Præceptori auſcultarent.

Ad cognoſcendos penitius temporum illorum mores iuuat decretum quoddam eiusdem Facultatis circa habitum Magiſtrorum, hic deſcribere. *Sub Decanatu Magiſtri Wolfgangi Oeder anno Domini* 78. *mutatione eſtiuali. Duodecima die menſis Septembris placuit Facultati, vt de cetero nullus Magiſtrorum ſolo leripippio incedat, ſed caputio magiſtrali vtatur ſub pena priuationis omnium emolumentorum eiusdem Facultatis. Eodem die: Placuit, vt Magiſtri non vtantur golliriis fibulatis, aut roſtris calceorum indecentibus; in quo vero ſecus comprobabitur, ſi admonitus non deſtitit, omnibus commodis atque honoribus Facultatis eiusdem priuetur. Pro prima tamen admonitione Decano debet* 2. *gr. ſecunda quatuor, pro tertia vero & vltima penam ſupra eodem decreto expreſſam.*

ANNO DOMINI M CCCC LXXIX. A. 1479.

Rector XIV. GEORGIVS ZINGEL, &c. Rect. II.
Rector XV. PETRVS PAVMGARTNER. Iuris vtriusque Doctor & & Canonum Profeſſor.

Inſcripti 197.

Nobiles, Reu. Pater ac Dominus *Chriſtophorus Ebran de Wildenberg*, Præpoſitus & Archidiac. Salisburg.
Hilprandus Sawnshamer de Wiſterdorf.
Henricus de Scheppach, zu Ahmarting.
Thomas Lerchenfelder ex Straubing.
Simon Marſchall de Pappenheim.

Obiit hoc anno decima octaua die Ianuarii Sereniſſimus & Illuſtriſſimus Princeps ac Dominus, Dominus LVDOVICVS, cognomento diues, pius, liberalis, ſtudiorumque amantiſſimus,

 &

A. 1479. & perquam magnificus heros, Comes Palatinus Rheni, vtriusque Bauariæ Dux, & Scholæ Fundator dotatorque munificentiſſimus.

Ne æmulis carpendi occaſionem præbeam, audiamus pauca, quæ de LVDOVICO ſcribat Auentinus. Natus eſt, inquit, anno Chriſti 1417. (*patre* HENRICO, *matre* MARGARETHA) ſorore ALBERTI Cæſaris (fuit is eius nominis Quintus Archidux Auſtriæ, & Imperator ſecundus) Burckhuſii, ibique educatus ſub duro & illiberali patre, vsque ad annum ætatis triceſimum, multa perpeſſus penuria veſtium, pecuniæ, equorum, obſequentiſſimus tamen parenti fuit. Suadentibus amicis, vt in Auſtriam ad ALBERTVM Cæſarem auunculum ſuum diſcederet; autorem vitæ meæ, inquit, deſeram? (pia profecto & filio vox digniſſima) nec quoad mentis compos fuero, offendam. Haſta eminus, cominus gladio, ſaltando, diſco, equitando ſe exercuit occulte. Et quæ ibi ſequuntur. Hæc Auentinus lib. 7. fol. 832.

Mortuo Henrico, Anno Domini 1450. ſucceſſit in regimine parenti auaro. vt idem loquitur Auentinus, eximiæ in omnes liberalitatis filius, & præter cætera, quæ in Bauaria ſua, in ſubditorum ſuorum commodum & incrementum vel abrogauit, vel de nouo conſtituit, ſtatim ad erigendam Academiam animum adiecit. Nec ſane probabile mihi videtur, quod quidam exiſtimant, a parente eius Sereniſſimæ Celſitudinis HENRICO Scholam Ingolſtadianam primitus inchoatam, aut in illius erectionem tantas ab HENRICO fuiſſe diuitias corraſas, cum fuerit parciſſimus, vt cum Auentino minime loquar, verum illud libenter damus omnibus, & res ipſa loquitur, LVDOVICVM Ducem, qua pietate, ſapientia & liberalitate fuiſſe ſcribitur, pie itidem & ſapienter de tantis ſibi relictis opibus bene pieque & ſapienter collocandis, defuncto parente cogitaſſe illico, nec occurriſſe illi commodiorem de Eccleſia Dei, & tota Chriſtiana Republica bene merendi occaſionem, quam ſi publicum bonarum literarum mercatum & officinam inſtitueret, præſertim tot iam tum quoque ſubinde nouis exorientibus, antiquis repullulantibus hæreſum erroribus ſchiſmatibusque.

Et ſane quam maxime in primis Scholæ initiis & paulo poſt floruit S. Theologiæ ſtudium. Hoc vno ſane Princeps ille perpetua memoria, encomiiſque ampliſſimis, & immarceſcibili in æterna patria corona digniſſimus, ſi præterea præſtitiſſet nihil.

Ce-

A. 1479.

Cæterum ab eodem Auentino, vt quantum parenti ademerat, tantum videatur tribuere filio, ſcribitur fuiſſe liberalis, popularis, fortunatus, pacisque ſtudioſiſſimus, & in componendis ſedandisque Germaniæ tumultibus bellisque ſumme fœlix.

Obiit (*Landisbuti*) Anno Domini 1479. die (*decimo*) octauo Ianuarii, egregium ac plane regium ac perenne ſuæ liberalitatis & propenſiſſimæ in Eccleſiam Dei & religionem Catholicam bonasque literas voluntatis monumentum apud Ingolſtadienſes poſt ſe relinquens.

* LVDOVICI noſtri effigiem in prima Matriculæ academicæ pagina manus coæua depinxit; cuius nos ectypon ære excuſum in horum Annalium fronte exhibemus. Et vero videtur illa egregie conuenire cum imagine, quam *Ladislaus Sunthemius*, Scriptor & ipſe eorum temporum æqualis, apud Cl. Oeſelium Tom. II. Script. Rer. Boic. pag. 567. deſignauit his verbis: *Fuit* LVDOVICVS *amabilis atque probus Prinseps & amator mulierum, & fuit pinguis & facie morpheaticus & podograicus.*

* Vxorem habuit LVDOVICVS AMELIAM, filiam Friderici Ducis Saxoniæ, ex qua genuit filium vnicum GEORGIVM, non paternarum modo ditionum, ſed multo magis optimi aduerſus bonas artes animi heredem; & filiam pariter vnicam MARGARETHAM, PHILIPPO Comiti Palatino Rheni nuptam.

* Illatus Ducum Mauſolæo in Cænobio beatæ vallis, vbi & iuſtis funebribus illi parentatum die vigeſima Aprilis, miſſis ab Academia binis Doctoribus, qui defuncto exequias irent.

Liceat mihi aliquot fortuita diuerſis temporibus perpetrata recenſere diuerſis in locis homicidia, non quod patrocinari homicidis velim (nam cadat in quenquam tantum ſcelus?) quam vt priuilegia Studioſorum demonſtrem, & ſimul criminalem quoque pœnam ad Vniuerſitatem pertinere probem. Anno hoc ipſo, Menſe Ianuario, quidam Studioſus *Ioannes Hohenburger* Ambergenſis, in ſympoſio, cum ex altercatione verbali ad arma & pugnam deuentum eſſet, in ipſa dimicatione *Christophorum Töbs* itidem Studioſum interfecit. Facta eſt rerum ipſius Scholaſticarum & veſtium confiſcatio, & ea contenta Vniuerſitas ad excluſionis pænam non proceſſit.

* Congregati in Concilio Facultatis Doctores ac Profeſſores Medicinæ, *Erhardus Ventimontanus* hoc tempore Decanus, *Ioannes de Baireut*, Illuſtriſſimi Ducis GEORGII Archiater, & *Conradus Weigant*, Medicinæ Pro-

A. 1479. Profeſſor ordinarius, concordibus votis definiere, vt iuxta ſtatuta ac priuilegia Facultatis nemo Scholarium praxin medicam exerceat, vel intra vrbem ipſam, vel intra illius ambitum ad ſex milliaria, ſub pœna trium florenorum, ærario Facultatis perſoluendorum.

A. 1480.

ANNO DOMINI M CCCC LXXX.

Rector XVI. M. PAVLVS ROLANDVS Nouoforenſis, S. Theologiæ Baccalaureus Formatus.

Rector XVII. IOANNES AB ADORF &c. vt ſupra. Rect. II.

Inſcripti, 163.

Nobiles, *Erneſtus Comes ab Helfenſtein*, Can. Auguſt.
Henricus de Knöring, ex Waſſertruhending.
Balthaſar Turner ex Pewrn.

In electione (*Rectoris æſtiualis*) *Pauli Rolandi* diuiſi ſunt electores in duas partes, cum *Rolando* coëlectus eſſet ab altera parte *Michael Puterſaſs*, qui æqualia vota habebat. Itaque res ad Sereniſſimum Ducem GEORGIVM delata eſt, & electio Rolandi per eiusdem Celſitudinem ratificata.

* Hoc vero quoniam ab hodierno electionum more alienum videtur, vbi ſcilicet in votorum æqualitate Rectori, nouæ electionis præſidi, deciſio cauſſæ competit, illud animaduertendum, a primordio fundatæ Vniuerſitatis non omnes omnino Profeſſores, ſed ſingulas potius ex ordine Facultates ad electionem noui Rectoris concurriſſe. Hoc igitur anno cum ad Facultatem artiſticam ea dignitas eſſet deuoluenda, & diſſentientibus inter ſe electoribus nullus eſſet electionis arbiter, illa, quam dixi, enata eſt controuerſia, ab ipſo dein Principe deciſa.

Academiam noſtram inter illuſtres familias

* Solos Comites Illuſtrium in numero habet Rotmarus.

primo omnium illuſtrarunt *Comites ab Helfenſtein*, iidemque *Barones in Gundelſingen*, familia apud Sueuos vt nobiliſſima, & quondam potentiſſima, atque adeo, vt principibus æquiparari potuiſſet, ita etiam antiquiſſima, vtpote quæ a Comitibus Dilingenſibus originem trahit; & menſe quidem Iulio h. a. cum paucis annis

annis ante inſtituta, erecta, & ſolenniter publicata eſſet Academia, acceſſit Illuſtris Dominus *Erneſtus Comes ab Helfenſtein* &c. Auguſtanæ Eccleſiæ Canonicus, inter Illuſtres primus. Obiit idem Ingolſtadii cum aliis egregiis viris, peſte graſſante anno 1483. A. 1480.

ANNO DOMINI M CCCC LXXXI. A. 1481.

Rector XIIX. GABRIEL PAVMGARTNER, LL. Doct. & Prof.
Rector XIX. WOLPHGANGVS OEDER Khelhamenſis, S. Theologiæ Baccalaureus Formatus, Collegiatus.
Inſcripti 205. inter quos
Nobiles, *Philippus de Roſenberg*, Can. Spir. & Wormat.
Eraſmus de Roſenberg, Can. Eichſtad.
Ambroſius de Sewnsheim.
Wilhelm. de Liechtenſtern.
Ioannes de Schaunberg, Can. Bamberg.
Martin de Brennde, Can Herbipol.

Poſt *Ioannem Camerer a Dalburg*,

* Qui ſcilicet primus e Schola noſtra egreſſus eſt, epiſcopali dignitate paulo poſt ornatus,

acceſſit ad noſtram Academiam *Philippus a Roſenberg*, Eccleſiarum Spirenſis & Wormatienſis Canonicus, vna cum *Eraſmo a Roſenberg*, Canonico Aichſtadiano, die 1. Febr. h. a. Succeſſit *Philippus* in Epiſcopatu Spirenſi *Ludouico ab Helmenſtadt*, cuius ex ſorore nepos erat, anno 1505. (in Annal. Academ. pag. 35. b. ſcribit an. 1504.) Præfuit Epiſcopatui Nemetum magna cum laude & vtilitate. Virum egregie doctum, bonum ac frugalem œconomum fuiſſe Catalogus Epiſcoporum Spirenſium a Bruſchio editus teſtatur. Nam præterquam quod in Academia noſtra operam dedit bonis literis, in ſchola Ticinenſi Doctoratus in vtroque iure titulum eſt conſecutus. Nam vsque adeo non aſpernabantur nobiles eo tempore gradus ſeu honores & titulos ſcholaſticos, vt magno nobilitati ornamento eſſe crederentur; Et Academia Ingolſtadiana aliquot nobiles Profeſſores habuit;

A.
1481. buit: ex quorum numero fuere *Giſbertus de Stolzenburg* Traiecten-
ſis, *Hyeronimus de Croaria*, *Viglius Zwichemus*, *Fabius Arcas de Nar-
nia* Romanus & quidam alii Itali, & qui etiamnum in viuis eſt, *Wiguleus Hund*, a Lauterpach in Sultzenmoſs & Lendingen. Sed hæc parerga. Scribitur idem Epiſcopus etiam a Bruſchio & a Munſtero, Oppidum & Caſtrum Rottenburg, propter temporum ſuperiorum difficultatem Palatino Electori oppigneratum 14000. aureorum redemiſſe: & ſub eiusdem gubernatione montem olíueti longe pulcherrimum, & toti Germaniæ notiſſimum eſſe conſtructum. Obiit Vdenheimii tertia Februarii, anno 1513. Sepelitur Spiræ prope auunculum ſuum.

Erat ante *Gabrielem Paumgartner* iuſto & legitimo electionis ordine electus in Rectorem *Wilhelmus de Werdena*, ſed cum quibusdam de cauſſis, quæ illi ad recuſationem ſatis videbantur iuſtæ, adductis, dignitatem eam & officium Rectorale nollet acceptare, proceſſum eſt vlterius, ad ordinariam ſcilicet Domini *Paumgartneri* electionem. Interim tamen Dominus *Wilhelmus de Werdena*, pœnam renuentis Rectoratum, quæ eſt ſex florenorum, irremiſſibiliter ſoluendorum, cummuni totius Senatus Academici conſenſu & iudicio incurriſſe declaratus eſt.

Die 23. Aprilis, *Michaël Pfragner* Ingolſtadienſis Studioſus, *Wolfgangum Schäbl* de Tegernbach, cum ab eo armis eſſet inuaſus, ita lætali læſit vulnere, vt paucis diebus poſt moreretur. *Pfragner* fuga ſibi conſuluit, veruntamen inſequenti anno interfecti amicis & Vniuerſitati reconciliatus, ad Academiam rediit, ſolutis pro pœna Vniuerſitati tribus florenis, nec vlterius ad relegationem, intercedentibus agnatis, eſt proceſſum.

* Eodem menſe Aprili ad medicam Facultatem receptus eſt *Georgius Hiltmansperger*, Artium & Medicinæ Doctor, ac præmiſſis conſuetis ſolennitatibus eidem Facultati adſcriptus.

Wolfgangus Oederus, patria Kelhemienſis, qui decima octaua Octobris Rectori *Baumgartnero* ſuffectus eſt, paulo poſt hæc tempora ad Curiam Romanam euocatus eſt, ibidemque vitam poſuit. Fuit is ex Profeſſorum illorum numero, quos tum *Collegiatos* dixere; qui ſcilicet in Collegio veteri ex Vniuerſitatis ærario viuebant. Reliqui enim Artium Magiſtri fere ex Burſis ſuſtentabantur, quarum Rectores erant; vel ex didactro, quod a Scholaribus colligebant. Fuit *Oederus*, bis artiſticæ Facultatis Decanus, ac ſemel Academiæ Rector.

Ex

Ex toto inſcriptorum numero notauit Rotmarus neſcio quam ob cauſſam, *D. Michaëlem Althaimerum*, Straubingenſem, Decretorum Licentiatum. A. 1481.

ANNO DOMINI M CCCC LXXXII. A. 1482.

Rector XX. GEORGIVS ZINGEL &c. vt ſupra. Rect. III.
Rector XXI. PETRVS PAVMGARTNER, &c. vt ſupra. Rect. II.
Inſcripti 208. inter quos
Nobiles, *Warmundus Bienzenauer* de Hartmansberg.
Caſparus Adelmann.
Sigismundus Haymenhofen.
Carolus de Apſperg, Can. Eichſtett. & Ratisbon.
Nou. Prof. *Ioannes Traboltb*, Plebanus in Plätling, Decretorum Licentiatus & Profeſſor.
Wolfgangus Peyſſer, Medic. Doctor & Prof. Ord.
Nou. Doct. *Vdalricus Bremberger*, Minorita, *Theol.*
Wolfgang. Peyſſer, Burghuſan. *Medic.*

* Artium Facultas, cum multa quot annis ederet decreta, quæ & longum eſſet & faſtidioſum omnia referre; vnum tamen, die nona Dec. h. a. editum omittere haud poſſum, quod antiquiſſimi moris nos admoneat, qui in nouellorum Magiſtrorum ſolennitatibus obſeruabatur. Sic habet: *Volumus vt magiſtrandi in actibus ſuæ inceptionis obſeruent priſtinas ſolennitates, diſtribuant ſecundum exigentiam ſeu qualitatem perſonæ & facultatem eorundem chirothecas & cultellos decentes pro Doctoribus, Decano & Temptatoribus. Pro ſingulis aliis Magiſtris non ſint aſtricti niſi ad chirothecas, non viles, ſed decentes & bene ualentes.*

ANNO DOMINI M CCCC LXXXIII. A. 1483.

Rector XXII. M. IOANNES RAMELSPACH, Friſingenſis.
Rector XXIII. IOANNES DE ADORF, &c. vt ſupra. Rector III.
Inſcripti 186. inter quos illuſtriores erant & magis conſpicui
Nobiles, *Wolfgangus Seckendorfer* ex Niderlambach.
Erkingerus de Rechenberg, Can. Eichſtett.

H Nic-

A. 1483.

Hieronymus Schenk.
Georg. Knöringer, Præbendarius regalis Wormatienſ. & ad S. Maurit. Auguſtæ Can.

Nou. Prof. *Conrad. Lebenther*, LL. Doctor, & Canonum Profeſſor matutinus.
Gisbertus de Stolzenburg Traiectenſis, LL. Doctor & Iuris ciuilis Profeſſor.
Ioannes Roſa Bambergenſis Decretorum Doct. & Prof.
Ioannes Megersheimer, Dunkelſpühlenſ. Medicinæ Doctor & Profeſſor.

Nou. Doct. *M. Leonhardus Wind*, Ingolſtadienſ. } *Medic.*
M. Ioan. Megersheimer, vt ſupra. } *Medic.*
M. Paulus Waller. } *Medic.*

Præter hos: I. *Vrbanus Leipher* Decanus Sancti Viti Friſingenſis; II. *Ioannes Riederer* Altorffenſis, artium ac Iuris Pontificii Doctor, Orator & Poëta. III. *Ioannes Roſa* a quodam Inſtitutionum Profeſſor ſcribitur; ac poſt Cancellarius Epiſcopi Ratisbonenſis factus eſt. Eius coniunx ſepulta iacet ad Diuam Virginem, ſub Organo, cum Epitaphio æreo.

Obiit Menſe Maio h. a. nobilis & ſtrenuus vir, ac Dominus *Henricus* ex nobili & equeſtri *Knöringiorum* familia natus; ſepultus ad D. Virginem in Sacello Trinitatis.

Relatum eſt in acta hoc anno, generalem fuiſſe Germaniæ peſtem (quod tamen inſcriptorum ſat iuſtus numerus vix concedit) in tribus tamen ſuperioribus Facultatibus ad dies vsque Caniculares lectiones habitas: Poſt vna cum promotionibus & actibus Scholaſticis ſuſpenſas eſſe. Obierunt peſte, Illuſtris Comes *Erneſtus ab Helffenſtain*, *M. Matthias a Leiſnitz*, *M. Hieronymus Paternoſter*, *M. Henricus Schrückl*, *M. Nicolaus Teüſchl*, & alii quidam Studioſi, tum hic, tum alibi degentes.

Natus eſt hoc anno pridie D. Martini (monſtrum horrendum, informe, ingens) Islebii *Martinus Lutherus*, omnis pene, omnium ſeculorum, hæreſis renouator.

* Scribebat hæc *Rotmarus* pro genio temporis, quo dicteriis conuitiisque de Religione diſputabatur.

AN-

ANNO DOMINI M CCCC LXXXIV. A. 1484.

Rector XXIV. Ioannes Mögersheimer ex Dünckelſpüchel, Medicinæ Doctor & Profeſſor.

Rector XXV. Georgius Mayr &c. vt ſupra. Rector II.

Inſcripti 373. Perſonæ illuſtriores erant,

Nobiles, *Stephanus Schlick*, Baro in Weiſſenkirchen, Can. Ratisb.
Ioachimus Comes in Oettingen.
Leonardus a Frauenberg, Baro in Hag.
Thomas de Stein, Can. Herbipol.
Georg. de Dunfeld in Wacherat.
Wolfgang. Schwarzenſteiner de Englburg, Can. Pataulenſ.
Ioan. Ratzenſtainer de Tannenburg.
Hieronymus Welzer ex Inrigk.
Christoph. } *Wilhelm.* } *Watzenſtorfer* de Lewprechting.
Erhardus Trugſeſs.
Henricus de Bunaw, Dominus in Teuchern.
Henricus de Sleinitz, Abbas Kemnitz. O. S. B. Archidiac. Miſnenſ.
Ioan. de Sleinitz, Can. Miſnenſ. & an. 1518. ibid. Epiſcop.
Otho de Harras, Can. Naumburg. Præpoſit. in Northauſ.
Georg. de Schönberg.

Nou. Prof. *Iacobus de Scotis* Mantuanus, Decretorum Doctor & Comes Palat. Iuris Can. Prof. Ord.

Nou. Doct. *M. Michael Schärringer*, Waſſerburgenſ. *Medic.*

Erat ante *Ioannem Mögershaimerum* ordinaria electione in Rectorem electus *Gisbertus de Stolzenburg* (nomen rei forte conueniens nactus) Traiectenſis, verum electioni de ſe factæ aſſentire noluit; eius tamen rei cauſſam inuenio nullam. Quare pœnam tergiuerſationis incidiſſe declaratus eſt a Senatu, & ad electionem *Mögershaimeri* proceſſum eſt.

* *De Mögershaimero* Reuerendiſſimi ac Celſiſſimi Principis & Epiſcopi Wurceburgenſ. Franciæ Orientalis Ducis, Lavrentii Archiatro, & Beneficii perpetui in Sacello Academico S. Catharinæ Fundatore ad annum 1516. redibit ſermo.

A. 1484. In electione Rectoris hyemali diſſenſio facta eſt inter Iuridicam & artiſticam Facultatem, eoquod illa, quia ſuperiori mutatione, vt vocant, præterita; & hæc, quod proxime Rector ex Medica Facultate fuiſſet electus, vt Philoſophi tempori ordinique niterentur, Iuriſconſulti ius prætenderent, eligendi poteſtatem ſibi vendicabat. Res ad Illuſtriſſimum Principem delata, & electio ad 23. vsque diem Octobris ſuſpenſa. Interim Iuriſconſulti, haudquaquam ſua negligentes reſcriptum a Principe impetrant: cadunt miſeri & pauperes illi artiſtæ (ita enim in ſcripto quodam Vniuerſitatis ad Illuſtriſſimum Principem WOLFGANGVM, GVILIELMI & LVDOVICI tutorem, anno 1509. appellantur, ſcilicet *die armen Artiſten*, quibus nihil vnquam liberum, impuneque fuit) & practicarum ignari cauſſa. Et Iuriſconſulti in duas mutationes ius eligendi obtinent, idque in præteritionis compenſationem. Ita ſemper fuere, ſed incruenta bella, & concertationes ſcholaſticæ.

* *Ioannes de Sleinitz*, ſiue *Schleinitz* ex antiquiſſima apud Miſnenſes & Bohemos familia natus, quartus iam eſt ex Academiæ noſtræ alumnis, qui mitra epiſcopali exornatus eſt. Anno ſcilicet 1518. iam antea ſummus Eccleſiæ Miſnenſis ac Pragenſis Præpoſitus, Miſnenſis Epiſcopus electus eſt, ob eximias virtutes, ac ſingularia in Eccleſiam vniuerſam merita honore illo digniſſimus; quippe qui Legatus in Poloniam ac Romam quoque miſſus, grauiſſima negotia cum omnium ſatisfactione confecit. Adminiſtrator etiam datus eſt Archiepiſcopatui Pragenſi; atque obiit anno 1548.

A. 1485.

ANNO DOMINI M CCCC LXXXV.

Rector XXVI. M. GEORGIVS EISENHVET de Preſſat, S. Theologiæ Baccalaureus Formatus.

Rector XXVII. IOANNES DE ADORF &c. Rect. IV.

Inſcripti 285. in quibus erant

Nobiles, *Mattheus Lang* a Wellenburg, Auguſtanus.
Chriſtoph. Bienzenauer de Hartmanſperg.
Bernard. Ind ex Pruckberg.
Vincent. Schrenk, I. V. D. Can. Auguſt. & Friſing.

Chri-

A.
1485.

Chriſtoph. Baro de Loſenſtain.
Conrad de Miltz, Can. Eccl. maj. Herbipol.
Leonard. Adelzhofer, Can. Eccl. mai. Friſing.
Ioannes Egker ex Obernpöring.
Sigismund Ernreicher, ex Monaco.
Nou. Doct. *Wolfgang. Federkiel*, Dorfenſ. Pleban. Landish. *Theol.*

Electionis ius (*in mutatione æſtiuali Rectoris*) ex reſcripto Illuſtriſſimi Principis GEORGII penes Facultatem Iuridicam tunc erat; ſed pacis & mutuæ beneuolentiæ conſeruandæ ergo, ceſſere Facultati Philoſophicæ Iuriſconſulti;

* atque ſic pulcherrime vſi ſunt triumpho, quem anno proxime elapſo ab Artiſtis retulerant.

Ditiſſimi, vt vulgo haberi cenſerique ſolet, Archiepiſcopatus Salisburgenſis Præſules tres, eo quo ſibi in Archiepiſcopatus gubernatione ſucceſſerunt ordine, Academiam noſtram illuſtrarunt, ſcilicet *Matthæus Lang* Auguſtanus, ERNESTVS Dux Bauariæ, & *Michael a Khienburg*, Tauriſcus. Nunc priori loco, vti tempore fuit prior, de *Matthæo Lang* ſermonem inſtituemus. *Langiorum* familia ex Sueuia eſt oriunda, & cognomentum habet a *Wellenburg*, quod eſt arx & ditio non ita procul ab Auguſta Vindelicorum vltra flumen Werdam. Præclara fuit, & tum pecuniis, tum poſſeſſionibus ac prædiis, quæ non tantum in Sueuia, ſed longe auguſtiora in Archiepiſcopatu Salisburgenſi habebat, perquam diues & opulenta, ſed anno ſuperiori, mortuo *Marco* vltimo in ea familia, penitus intercidit. Cæterum *Matthæus Lang* magnificus fuiſſe heros dicitur, vir ſingularis prudentiæ, animi excelſi, ingenii rotundi, in rebus agendis dexterrimus, ac proinde & ſummo Pontifici IVLIO ſecundo, & auguſtiſſimo Imperatori MAXIMILIANO primo, rebus fœliciter domi, foriſque geſtis præclaro, & nepoti eius CAROLO quinto, vere magno chariſſimus. Pontifex Romanus anno Domini 1513. Epiſcopum Gurcenſem & Cardinalem tituli S. Angeli eum creauit. Præpoſitum eundem Eccleſiæ Auguſtanæ fuiſſe, teſtantur primo inſignia eius lapidi inciſa, & domui Præpoſituræ apud Auguſtanos affixa: deinde ibidem Sacellum perquam auguſtum, ab eodem conſtructum, vbi reconditorium ſeu ſepultura eſt

 Lan-

A.
1485. *Langiorum*, quo etiam vltimus eius familiæ *Langius* ex alpibus vsque eſt auectus & terræ ibidem mandatus. Quin & Carthaginenſem Hiſpaniarum Epiſcopatum fuerat vel ſummi Pontificis, vel quod veriſimilius, CAROLI quinti beneficio conſecutus, quem tamen nec poſſedit vnquam, nec vllos inde percepit redditus. Diuus Imperator MAXIMILIANVS, & frequenter ipſius opera, & quidem in grauiſſimis negotiis eſt vſus, & ſecretiora cum eo communicauit conſilia. Legationes obiuit, fœliciterque & magnifice confecit, & quidem nomine Imperatoriæ Maieſtatis, ad IVLIVM ſecundum Pontificem, ad potentiſſimos reges LVDOVICVM Galliæ, VLADISLAVM Hungariæ, SIGISMVNDVM Poloniæ, & HENRICVM octauum Angliæ regem. Quinetiam MAXIMILIANI Imperatoris per Italiam vices geſſit, denique CAROLI V. in Comitiis Franckfordienſibus, anno 1519. cum Septemuiri Imperatorem eligerent, oratorem & legatum egit. Vnde non immerito ſummam vtriusque Imperatoris gratiam & fauorem, & promptiſſimum promouendi ſui ſtudium erat meritus. Nec dubitandum, quin tum ſummi Pontificis, tum etiam MAXIMILIANI primi beneficio & procuratione Archiepiſcopatum Salisburgenſem obtinuerit.

Præerat tum Archiepiſcopatui LEONHARDVS *a Kentſchach*, etiamnum moneta, cum rapæ inſigniis celebris, Princeps antiquæ fidei & virtutis, iamque ſenio laboribusque confectus. Ei coadiutor fit MATTHEVS *Lang*, Cardinalis, anno 1515. & curiam ſuam Müldorfii ad Oenum non procul a veteri Oetinga, conſtituit. Ipſemet tamen LEONHARDVS Epiſcopus plenarium retinuit Imperium. Gerebant tum temporis adhuc Canonici Salisburgenſes (id quod ſine cuiusquam iniuria, & ſine vlla Capituli ignominia dictum volo) ſcapulare ſeu potius humerale ex albo ſerico vel albo linteo confectum. Id quod adhuc primam Canonicorum inſtitutionem, & antiquum reſpiebat morem. Id genus veſtimenti ſeu ornatus coadiutor MATTHAEVS vt ipſis remitteretur, a ſummo Pontifice impetrauit. Aegre eam rem tulit Archiepiſcopus LEONHARDVS (id quod ex fide digno viro, qui in eius ſeruitio aliquandiu fuerat, puer audiui) neque viuo ſibi, prædictum ornatus genus adimi paſſus eſt, quemadmodum ipſius effigies, quas ego depictas vidi, teſtabantur.

Anno

Anno Domini 1519. mortuo LEONHARDO Epiſcopo ſuccedit in Archiepiſcopatus adminiſtratione. Adducebat ſecum ex Müldorfio integram aulam, omnibus officiariis inſtructam, & pariter bene conſtitutam Salisburgi reperiebat; ſed nec ſuos, nec qui iam erant in aula, ex iis quenquam dimiſit aut abegit, ſed communes illis operas commiſit: qua ratione, & modeſtia omnes in officio, & ſibi retinebat amicos, donec ipſimet officiarii vel conſortis impatientes vltro dimiſſionem, cum ſibi de aliis conditionibus proſpexiſſent, ab aula peterent, vel locum per mortem facerent vacuum. Ita prudentiſſimus ille Princeps adiunxerat ſibi omnes, & offenderat neminem. A. 1485.

Inciderunt in eius Archiepiſcopi gubernationem tempora difficillima, grauiſſimaque etiam, tum initia inſanorum Lutheri dogmatum, tum crudeles, quæ inde exortæ tumultuantium, & ad inauſpicatam libertatem aſpirantium ruſticorum in Magiſtratum & præſertim in Clerum graſſationes. Obrutus itaque ac pene a ruſticorum furentium colluuie, qui in vrbem Salisburgenſem irruebant, interceptus, & a ſuis ciuibus præter expectationem, & datam fidem, vt quidam aſſeruerunt, deſertus Epiſcopus in arcem ſuam, quam Salisburgi monti excelſo, præruptæque rupi impoſitam, pulcherrimam, ampliſſimam, validiſſimam & omnibus cum ad vitæ ſuſtentationem neceſſariis, & ad annos aliquot ſufficientibus, tum ad bellicos reprimendos furores accomodatis inſtructiſſimam confugit.

Ruſtici aulam Principis occuparunt, & compotationibus indulſere. Arcem bellico tormento, quod ex ligno, ferreis munito annulis erat fabrefactum, fruſtra inuadebant. E contra ſuas quoque bombardas quandoque ad terrorem incutiendum, exonerari iubet in arce Epiſcopus, qui cum de ciuibus, propter læſam fidem, ſupplicium poterat ſumere, multisque ad eam rem frigidam in arce ſuffundentibus, igne totam vrbem abſumere, noluit tamen optimus Princeps & ſemetipſum & ſuos ciues peſſundare.

Obſeſſus aliquandiu in arce Archiepiſcopus tandem illuſtriſſimorum Ducum Bauariæ auxiliaribus copiis, qui militem illi in ſubſidium adduxerant, liberatus eſt, multi ex primariis ruſticis ſuæ temeritatis, inſaniæ, perfidiæque pœnam dederunt

cruen-

A. 1485. cruentam, & pax toti Archiepiſcopatui reſtituta eſt. Atque hæc omnia cum multorum ex ipſius aula procerum ſtrenua & fideli opera, tum vero ſingulari Archiepiſcopi induſtria & prudentia ſunt geſta & compoſita, qui etiam cum recreationibus indulgeret, de rebus arduis conferre, diſputare & fœliciter ſtatuere ſolebat poteratque.

Præfuit Epiſcopatui ab anno 19. vsque ad annum 1540. & humanis valedixit rebus menſe Martio (*die eiusdem trigeſima, vt nouiſſimum Chronicon Monaſterii S. Petri Salisburg. teſtatur*) cum pene per biennium non uſque adeo integra vſus eſſet valetudine.

Multa magnaque de eo ſcribit honorifice *Ioannes Cuſpinianus* in ſuo MAXIMILIANO, & ea præſertim, quæ ipſemet Hiſtoricus & Orator coram vidit, vnaque peregit. Succeſſit prudenti & clementi Principi, non minus & ipſe prudens, clemensque in Archiepiſcopatus adminiſtratione ERNESTVS Dux Bauariæ & Epiſcopus Patauienſis &c. de quo *infra*.

* Hæc Rotmarus ſatis prolixe; pro dignitate quidem tanti viri, ſed ſimul pro ſuo in patriam atque omnes Salisburgenſes affectu; quod deinceps ſæpius patebit.

Eodem anno pridie Cal. Maii vetuſtiſſimam nobiliſſimam & numeroſam familiam *Abenſpergenſium* in *Nicolao* vltimo eius gentis defeciſſe ſcribit Boiorum Hiſtoricus (*Ioannes Auentinus ſeu Abenſpergenſis*) occiſo illo ad Friſingam. Caſtella, Vici, oppida, arces & vniuerſæ illius opes ad ALBERTVM quartum Bauariæ Ducem, ALBERTI noſtri Principis auum redierunt.

Sub Domini *Eiſenhuet* Rectoratu, conflictus fuit nocturnus inter Studioſos quosdam & *Georgium Ilſing* itidem Studioſum: Hic poſtea ſopito iſto tumultu, in omnes pariter & ſingulos graſſari incepit, & quadam vice *Ioannem Häring*, ſibi obuium factum, grauiſſime læſit. Quod ægre ferens Illuſtriſſimus Princeps GEORGIVS, capi eum cum ſuis complicibus iuſſit. Omnes igitur de ſiſtendo ſe iuri cautionem fecere, præter *Ilſingum*, qui incuria ciuium elapſus eſt. Requiſiti enim ab Vniuerſitate, vt ratione priuilegiorum manu tenerent reum ſeu læſorem, facere non curarunt. Quam rem cum ad Illuſtriſſimum Principem Vniuerſitas detuliſſet, Princeps miſſis ad Senatum ciuicum, Domino *Sigismundo de Fraunberg Barone*, & *Wolfgango Kelberger* Secreta-

cretario, mandauit ciuibus, vt & læſo *Ioanni Häring* de damno accepto, & ſibi Principi de actione ſatis facerent. Nota diligenter candide lector. A. 1485.

* Facultas Artiſtica pro maiori decore & ornatu ſceptrum argenteum cum lilio deaurato fieri curauit, quod triginta & vno florenis rhenanis conſtitit.

ANNO DOMINI M CCCC LXXXVI. A. 1486.

Rector XXIIX. Illuſtris & Generoſus Dominus IOACHIMVS COMES AB OETINGEN Rhetiæ.

Rector XXIX. M. MAGNVS AIRNSCHMALZ, Studioſus Medicinæ.

Inſcripti 302. inter quos

Nobiles, *Conradus Adelmann* ex Adelmannsfelden.

Guntherus de Bunau, Can. Magdeburg.

Wolfgang. de Harras im Liechtenwald.

Vlricus Ebran de Wildenberg.

Dauid Tannberger ex Aurolzmünſter.

Heinricus / *Balthaſar* } *Tannberger* de Offenberg.

Ioannes de Grumbach.

Georg Baro in Limpurg &c. Can. Argentin. Bamberg. & Herbipol.

Petrus Groſs ex Truckaw (Trockau).

Balthaſar Schaltdorfer ex Lengenfeld.

Pangracius Trugſes (Truchſeſs) de Wetzhauſen, Can. Bamberg & Auguſt.

Ioachimus Comes ab Oetingen primus ex Scholaribus *aſſumtus eſt Rector*, Facultate iuridica, quam tunc ordo tangebat, eligente. *Scilicet* cum pauci in Conſilio Vniuerſitatis eſſent, qui in Rectores poſſent eligi, graueque iis videretur, qui eligibiles forent, continuo Rectoratus onus perferre, matura adhibita conſultatione, concluſum & conſtitutum eſt per patres Academicos, etiam Scholares in Rectores eligere, certis tamen limitationibus, eaque res ſine Decretum Senatus vt ab Illuſtriſ-

A. 1486. ſimo Principe ac Duce GEORGIO confirmaretur, ab eius Sereniſſima Celſitudine contenderunt Academici. Dilata igitur per aliquot dies electio, donec reſcriptum a Principe acciperetur. Viccrector conſtitutus eſt *Georgius Zingel* S. Theologiæ Doctor, Canonicus Aichſtadianus & Ratisbonenſis, & Scholæ Procancellarius.

* Notatum eſt in Codice inſcriptorum, electo Rectori ob defectum Clericatus datum fuiſſe Vicarium.

Sub Rectore *hoc* Illuſtri menſe Iunio acceſſit noſtram Academiam *Georgius de Limpurg* ſemper liber, ſacri Imperii Romani Pincerna hæreditarius, Eccleſiarum Argentinenſis, Babenbergenſis & Herbipolenſis Canonicus. Succeſſit *is* in Epiſcopatu Bambergenſi legitime ac canonice electus *Georgio Marſchalco ab Ebnet* anno 1505. Præfuit eidem Epiſcopatui annis 17. & Comitiis Auguſtanis a Diuo MAXIMILIANO primo, Imperatore celebratis interfuit. Obiit vltima die Martii, anno 1522. (*non* 1552. *vt Rotmarus ſcribit*) de eo in ſuo de Epiſcopis Babenbergenſibus Catalogo, nihil præterea refert *Bruſchius*. Hoc vnum ego addidero, celebrem eam Franconiæ familiam eſſe ex valle Kocheriana in Suevia oriundam, & complures ex ſe genuiſſe Epiſcopos, ſcilicet *Gotofridum* Herbipolenſem, *Eraſmum* Epiſcopum Argentoratenſem, & *Georgium* Babenberg. & *Philippum* eiusdem Eccleſiæ Præpoſitum.

Relatus item eſt hoc anno in numerum Studioſorum *Cyriacus Weber*, olim Medicus Memmingenſis, magni illius *Cyriaci Weberi* Medici Landiſpergenſis & *Baptiſtæ Weberi*, nuper Vicecancellarii Imperii &c. parens. Nepos eius ex filia *Cyriacus Lutzius* itidem Medicus, etiamnum ſuperſtes, in Academia noſtra Medicinam docet & exercet.

Vltimo die Iulii eiusdem anni, tres nefarii homines capite damnati ſunt, qui nocturno tempore in quosuis ſibi obuios ſæpius graſſati fuerant. Spoliarunt vtriusque ſexus homines veſtibus, eripuerant cantharos, effregerant domos, deprædati inquilinos, & alia enormia delicta commiſerant. Quæ res haud parum incommodi & ignominiæ pepererat Studioſis, eoquod vulgo, præſertim vero oſoribus, de eiusmodi facinoribus erant ſuſpecti. Verum rei maleficii, interceſſione matronarum & præ-

præcipue Domini Præfecti coniugis, morte liberati, amiſſione oculorum pœnas luerunt. A. 1486.

Die 18. Octobris *M. Magnus Airnſchmalz* Studioſus Medicinæ, ex Scholaribus ſecundus Rector, electus eſt e Facultate Medica, penes quam eligendi ius erat. Diximus ſupra (*ad an.* 1474.) Medicum fuiſſe hunc Illuſtriſſimi Ducis GVILIELMI; eius poſteri & nepotes etiamnum (*temporibus Rotmari*) Landishutæ viuunt.

* Rectori huic Vicarium datum fuiſſe nuſpiam inuenio: neque etiam opus videtur habuiſſe eo ſubſidio; quippe qui iam inde ab anno 1480. Artium creatus Magiſter ea fuerit maturitate atque prudentia, quæ Rectoris muneri ſufficeret. Certe in artiſtica Facultate, ad cuius gremium & Conſilium circa idem tempus receptus eſt, anno 1491. Decani geſſit officium.

ANNO DOMINI M CCCC LXXXVII.

A. 1487.

Rector XXX. M. IOANNES PLVEML S. Theol. Licentiatus.

Rector XXXI. M. CASPARVS VOLG, alias Piſtorius, S. Theologiæ Doctor, Rect. II.

Inſcripti 270. inter quos

Nobiles, *Ioannes Hohentbanner* de Wolfersdorf.
Ioannes Egloffſteiner de Egloffſtein.
Philippus de Mörlis alias *Behaim.*
Emeramus Lerchenfelder de Straubing.
Sebaſtianus Newnhauſer de Rueting.
Arnoldus de Redwitz, Can. Eichſtad.
Ioan. Knöringer de Gäbling.

Nou. Prof. *Sixtus Tuecherer* Norinbergenſis, Iuris vtriusque Doctor & Profeſſor.

Electio *Rectoris æſtiualis* penes Facultatem artiſticam erat: Electores igitur inter ſe diuiſi, qui erant quatuor, ex vna parte duo *M. Ioannem Plüeml*, S. Theologiæ Licentiatum, ex altera itidem duo *Michaelem Puterſaſs* S. Theologiæ & Medicinæ Baccalaureum elegerunt. Res igitur, quia componi non poterat, ad

A.
1487. Illuſtriſſimum Principem GEORGIVM delata eſt; is in partem *Ioannis Plüenl* inclinans, honorifica legatione ad Academiam miſſa, litem illam diremit. Infœlix ſane ille *Puterſaſs*, & infauſto ad Rectoratus honorem natus ſidere, qui iam altera vice repulſam tulit, ac vix demum anno 1500. Rectoratus dignitate frui potuit.

* Cur *Puterſaſſius*, qui per integros decem annos in artiſtica Facultate hactenus verſabatur, nunquam ad Decanatum admiſſus; cur ab eiusdem etiam Facultatis Conſilio ad tempus excluſus; cur bis omnino ipſius Principis decreto a Rectoris dignitate remotus fuerit, cauſſam detegere nullam potui. Blandior ipſi fortuna ad ſequentis ſeculi initium arriſit, cum non tantum bis ad Rectoratum, ſed ad Parochiam quoque Baarenſem promotus eſt.

* Rectorem hyemalem *Caſparum Volgium* Rotmarus eundem eſſe arbitratur cum *Caſparo Piſtoris* qui anno 1477. officium Rectoris geſſerat. Qua quidem in re ita eidem conſentio, vt *Caſparum* etiam *Kriſtelbeckium*, qui anno 1475. Decanus erat artiſticæ Facultatis, a *Volgio* & *Piſtorio* diuerſum non putem. Certe alienum haud eſt a temporum illorum moribus omiſſo familiæ nomine, a parentum conditione, aut a loco natiuitatis græcum, latinumue nomen aſſumere. Videtur itque mihi *Volgii* nomen fuiſſe familiæ; *Piſtoris* autem, ſeu *Piſtorii* a conditione Parentum; & *Kriſtelpeckii* a domo ſeu habitatione (bey dem Kriſtelbecken) accerſitum eſſe.

* Ex Inſcriptorum numero præcipue ad hunc annum memorandus venit *Auguſtinus Cölner*, ſeu potius *Kœlner* Neoſtadianus, Ducum poſtea Bauariæ ALBERTI IV. & GVILIELMI Secretarius, Scientiarum etiam laude celeberrimus; quippe qui teſte Gewoldo *Deſignationem Bauariæ geographicam*, & teſte *Oefelio Annales Boiorum* vernacule ſcripſit, vtrumque opus hactenus ineditum, & neſcio vbi latens; eiusdem *Ephemerides belli Palatino-Boici*, ab *Eraſmo Vendio* abbreuiatas in lucem edidit Cl. *Oefelius* Script. Rer. Boic. Tom. II. pag. 469. & ſeqq. apud quem videantur reliqua ad *Kœlneri* laudes pertinentia.

Tumultuatum eſt hoc anno a Studioſis artium contra Academicos (*Patres*) quia ægre ferebant, duos alios Studioſos diutius, quam illis æquum videbatur, carceri incluſos, propterea, quod nocturno tempore, per vetitos & illicitos aditus, Virginum quarundam pediſſequarum ope, arcem eſſent ingreſſi.

Autores tumultus (quia grauiſſimum cenſebatur delictum Academicos in ſtuba Conſilii quaſi obſeſſos tenere, illisque inſolenter inſultare) cum propter illum ipſum exceſſum, tum con-

A. 1487.

conſpirationes factas, alii carcere, alii pecunia, alii relegatione ſunt mulctati. Illi vero, propter quos tumultuatum erat a Studioſis, nocturno tempore, carcerem Vniuerſitatis, ope amicorum, ferreis perfregerunt inſtrumentis, & inſalutatis Academicis ab Academia diſceſſerunt.

ANNO DOMINI M CCCC LXXXVIII.

A. 1488.

Rector XXXII. SIXTVS TVCHERER, Norinbergenſis, Iuris vtriusque Doctor & Profeſſor.

Rector XXXIII. IDEM, Rect. II.

Inſcripti 255. quos inter

Nobiles, *Georg. Truchſeſs*, ex Monaſt. Stainach, poſt Abbas Ahuſanus.

Georg. Dachsberger ex Salzburga.

Marcus Artzter de Artzt.

Conrad. Imhof, Norimbergenſ.

Ioannes Stiber ex Grauenegg.

Georg. Sazenhofer, Can. Ratisbon.

Laurent. Pannanter de Pannanten.

Degenhardus de Weichs.

Ioannes Fuchſtainer de Ratisbona.

Hieronymus Cloſner de Pirnbach.

Conradus de Hürnheim.

Sebaſtian. Hoboltinger ex Kölenbach.

Iacobus Calapin de Tridento.

Ioannes Knawt.

Kilianus Prant, Can. Pataujenſ.

Caſp. Gumpenberger, poſtea Decan. Eccl. Cathedr. Ratisb.

Nou. Doct. *Georg. Eiſenhuet*, Preſſatenſ. Prædicator Amberg. *Theol.*

* Magna autoritate atque prudentia virum, *Sixtum Tucherum* fuiſſe neceſſe eſt; qui cum vix anno ſuperiori ad Academiam acceſſiſſet, die 24. Aprilis Rector Vniuerſitatis electus; atque eo in munere pro ſemeſtri etiam hyemali ab ipſo Illuſtriſſimo Principe GEORGIO confirmatus

A. 1788. tus eſt. Iſelinus in Dictionario hiſtorico Lit. E. *Hieronymum Ebnerum* in Academia Ingolſtadienſi *Sixtini Sugerii*, i. e. *Sixti Tuccheri* diſcipulum ſcribit; id quod ob eam maxime cauſſam notare hic volui, vt diſcamus ex hoc exemplo, quam varie nomina inprimis propria poſt longiori temporis decurſum mutari, torquerique contingat.

* Mirum videbitur legenti, quod ex Actis artiſticis h. a. ad verbum deſcripſi. *Excluſus eſt a Conſilio Facultatis Artium Ioannes Stainpeck de Friſinga integro anno, & vno medio ſuſpenſus ab omnibus actibus ſcholaſticis ob nonnullos exceſſus, quod recepit paſtum* (ſtatutum pro qualibet lectione pretium) *a quodam Baccalaureo, quem præſentauit Decano pro paupere, & etiam a quodam obticito & omnino non præſentato, vna cum alia pena Facultati debita iuxta cuiusdam decreti tenorem de ſuperexciſcentibus.* Delata eſt hæc *Stainpeckii* cauſſa primum Eulladium ad iudicem eccleſiaſticum; tum ad ſedem Moguntinam, ita vt M. *Ioannes Anglicus* (*Englender*) ter omnino a Facultate Moguntiam miſſus ſit tanquam procurator & ſyndicus. Immo commiſſum eidem fuit, vt, ſi ſententia contra Facultatem ferretur, appellaret ad *ſanctam ſedem apoſtolicam.* Riſum teneatis! - -

A. 1489.

ANNO DOMINI M CCCC LXXXIX.

Rector XXXIV. M. IOANNES RAMELSPACH, Canonum Licentiatus. Rect. II.

Rector XXXV. IOANNES DE ADORF, S. Theologiæ Doctor & Profeſſor. Rect. V.

Inſcripti 193. Hos inter

Nobiles, *Guilielmus Gumpenberger.*
Albertus Präckendorfer de Hof.
Emeramus Zenger ex Liechtenwald.
Ioannes Gaudens de Reitnaw, Profeſſus Campidun.
Sigismund. de Wolfſtein in Unterſulzbürg.
Ioannes Khuen ex Altenherzberg.
Anſelm. Hüttinger de Aicholding.
Leonardus de Egk.

Leonardus ab Eckh, Randeckh & Wolfseckh, & Eiſenhofen Patronus quondam Academiæ, & reſtaurator ædium poſteriorum Collegii Georgiani.

* Multo

A. 1489.

* Multo plura ac maiora Viri huius immortalis in Academiam noſtram atque vniuerſam patriam merita tum per decurſum horum annalium ſæpius, tum vero maxime ad annum 1550. quo ex hac vita migrauit, celebrabimus.

* Inſcriptus eſt albo Vniuerſitatis ad diem 15. Iun. h. a. *Iacobus Locher* Ehinganus, notum Muſis nomen, de quo plura ad an. 1498. &c.

ANNO DOMINI M CCCC XC.

A. 1490.

Rector XXXVI. GISBERTVS DE STOLZENBVRG, nobilis Traiectenſ. I. V. D. & Can. Prof. matutinus.

Rector XXXVII. M. IOANNES (*Fabri*) DE ERBENDORF, Collegiatus.

Inſcripti 211. in quibus magis erant præcipui,

Nobiles, *Bernardus de Schawmberg*.
Auguſtinus Löſch ex Perchtersdorf, poſtea Sereniſſimi Ducis Wilhelmi Cancellarius.
Valentin. Atenberger de Newburg.
Ioan. Dachsberger ex Seberg.
Ludou. Iarsdorfer ex Zell.
Wilhelm. de Wolkenſtein.
Martin. Gotsman ex Puech. Can. Euſtad.
Magnus Marſchall ex Hohenreichen.
Sigismund. Guſs de Guſſenburg.
Bertold. de Stein.
Marquard. de Stain, Præpoſ. poſtea Mogunt. Bamberg. & Auguſt.
Iacob. de Clingenberg, Can. Auguſt.
Georgius de Rot.

Gisbertus de Stolzenburg didicit ſuo damno obtemperare & ſapere. (vid. an. 1484.) Hic relicta Schola Ingolſtadiana Lipſiam ſe contulit, ibique mortuus eſt, debens tum temporis Facultati Philoſophicæ 70 florenos, fideiuſſoribus *Georgio Zingel* D. Theologo, & *M. Georgio Fiechtmaro*.

* Gratum fore exiſtimo Lectori curioſo, ſi, quæ occaſio fuerit huius debiti contrahendi, ex Actis artiſticis referam. *Decima nona Iulii an. 1488. comparuit apud Facultatem M. Georgius Fichtmarus precibus inſtando,*

A. 1490.

do, vt Facultas Artium dignetur accomodare certos florenos (150. fl.) *per eundem expreſſos pro liberaria Clariſſimi D. Doctoris Gisberti in iure Pontificio ordinarii ſtudii Ingolſt. qui cum profectus fuerat in patriam ſuam, erat detentus & carceribus mancipatus a quibusdam latronibus. Fideiuſſores* Facultati ſe præbuere *D. Georgius Zingelius* & *M. Fichtmarus*. Octoginta quidem florenos ab ipſo *Gisberto* redditos in rationibus Facultatis reperio; de reliquis ſeptuaginta diu cum geminis ſponſoribus apud ipſum Illuſtriſſimum Principem diſputatum eſt, neſcio quo euentu. Doctor *Gisbertus* Lipſiæ obiit. Fuit vir in Iuris ſcientia doctiſſimus & acutiſſimus, ſingularium tamen morum, (vt pleraque excelſa ingenia) vt conſulentibus, quibus tanquam oraculum habebatur, omnibus ſatisfaceret, ordinarie noctem cogebatur addere diei, quamdiu apud nos erat.

Qui apud maiores noſtros ad gradum Theologicum aſpirabant, prius eruditionis ſuæ ſpecimen exhibituri, materiam aliquam in Magiſtro ſententiarum legebant. Hoc anno tot acceſſerant, qui a Facultate legendi poteſtatem petebant, vt locus pene, nec hora docendi eſſet reliqua, & alternatim quidam legere cogerentur.

A. 1491.

ANNO DOMINI M CCCC XCI.

Rector XXXIIX. GEORGIVS ZINGEL &c. Rect. IV.

Rector XXXIX. IOANNES KHAVFMAN, LL. Doctor & Profeſſor meridianus.

Inſcripti 140. inter quos

Nobiles, *Georgius Comes in Ortenburg*, Can. Friſing. ac poſt ibid. Præpoſitus.

Chriſtoph. de Rabenſtein, Art. Mag. Can. Wratislau.
Michael Walrab ex Rietnberg.
Sebaſt. Waltkircher, Profeſſus in Neresheim.
Vitus Seyberſtorfer ex Schenkenaw.
Chriſtoph. } *Trenbeck.*
Ioannes }
Chriſtoph. Polhaimer ex Swainpach.
Georg. Engelshofer de Ietenſtetten.

Nou. Prof *Ioannes Kaufmann*, Sterzingenſ. *vt ſupra.*
Nou. Doct. *Petrus Formayr*, Reicherahaimenſ. *Medic.*

Duo

* Duo præterea *Kraſſii, Hieronymus* & *Petrus* præcipua quadam memoria ſunt digni: Ille, Landishutanus, quod ob parentis merita ſingulari apud Principem noſtrum gratia floruerit; hic, patria Blaubeurenſis, quod Suffraganeus Ratisbonenſis poſtea exſtiterit. A. 1491.

* *Ioannes Staimpeck*, quem ex Artiſtarum Collegio excluſum diximus, cum interea Prædicator Eccleſiæ Eichſtettenſis eſſet conſtitutus, die 14. menſis Aprilis Theologiæ Licentiatus creatus eſt.

* *Magnus Airnſchmalz*, qui anno 1486. Rectoratum geſſerat, ad medicam Facultatem hoc anno receptus eſt; idemque obtinuit priuilegium, quo ad annum integrum a legendo eximebatur. Inde colligo Doctoris eum laurea eodem anno inſignitum fuiſſe, etiamſi nullibi notatum inueniam.

ANNO DOMINI M CCCC XCII. A. 1492.

Rector XL. M. STEPHANVS FORSTER (*Werdenſis*).
Rector XLI. IOANNES DE ADORF, &c. Rect. VI.
Inſcripti 184. In his erant
Nobiles, *Fr. Vitus Preiberger* ex Biburg, Ord. S. Bened.
Berthold. Sinzenhofer de Deublitz.
Wolfgang. vom Turn in Newnpeurn.
Georg. de Egloffſtein ex Henffenfeld.
Michael Garhaimer ex Hembaw.
Sixtus de Preyſing in Kopfsberg.
Gotthardt Waiſs de Rauhenſtein.
Martin. de Wildenſtein.
Wolfgang. Egloffſteiner.
Chriſtoph. Wieland, ex Vohburg.
Chriſtoph. de Tannberg, Can. Auguſt.
Nou. Prof. *Conradus Celtis*, Würceburgenſ. Prof. Human.

* Fuit *Conradus Celtis* profeſſione Poeta, primusque in Germania ex iis, quos *Laureatos* dicimus; ipſo enim elapſo proxime anno Norimbergæ a FRIDERICO III. Imperatore Laurea fuerat donatus: ſic ipſe canit

Primus ego titulum geſſi, nomenque Poetæ,
Cæſareis manibus Laurea nexa mihi.

Didicit Coloniæ literas humaniores, inuitis quidem parentibus, qui ipſum Oeconomiæ adhibere cogitabant. Tum vero luſtratis omnibus,

A. 1492. quæ in Germania & Italia eo tempore florebant, Vniuerſitatibus, denique die 2. Ian. h. a. ad hanc noſtram inuiſit. Docuit ab hoc tempore per aliquot annos ſtudia humanitatis, nondum quidem vllo ſtipendio conductus, quod Collegiatis tantum a Principe numerabatur, vt ſupra dictum eſt anno 1481.; ſed illud anno primum 1494. eidem conceſſum videtur, id quod ex matricula Vniuerſitatis colligere licet. Reliqua de *Conrado Celtis* vid. an. 1494. & 1498.

Ad rite intelligendum Artiſticæ Facultatis ſtatum iuuat ex eiusdem Actis hic referre, quæ ad primam Septembris h. a. notata reperio:

Magiſtri ſequentes obtinuerunt per electionem ordinarias lectiones principales quatuor, alias vero per ſortem iuxta conſuetudinem & decreta Collegii Artiſtarum:

Parua logicalia.	*M. Ioannes Eckentall.*
	M. Georg. Schwäbelmayr.
Vetus Ars.	*M. Oſwald. Leuberſtorfer.*
	M. Andreas Raphaelis.
Phyſicorum.	*M. Ioannes Erbendorf.*
	M. Andreas Sperber.
Ethicorum.	*Licent. Ioannes Pliernl.*
L. Elencorum.	*M. Iacobus Peichelſchmid.*
Mai. Vol. Priſciani.	*M. Andreas Stöberlein.*
	M. Georg. Ranzenmoſer.
Min. Vol. Priſciani.	*M. Ioannes Kreuer.*
L. Priorum.	*M. Thomas Euring.*
Obligatoria.	*M. Alexius Klaiber.*
Algariſmus.	*M. Wilibaldus Krapf.*
Primus Euclidis.	*M. Ioannes Walmann.*
Sphæra Armillaris.	*M. Ioannes Hochenſteger.*
Libellus Rhetorical.	*M. Leonardus Arnoldt.*
Exercitium Priorum.	*M. Sixtus Steinmark.*
	M. Conradus Widmann.
Exercit. Elencorum.	*Licent. Chriſtoph. Seilmayr.*
	M. Andreas Groſkopf.
Lectio Poſteriorum.	*M. Ioannes Hugell.*
Topicorum.	*M. Ioannes Keller.*
Metheororum.	*M. Chriſtoph. Axter.*
De Generat. & Corrupt.	*M. Michael Puterſaſs.*
De Cælo & Mundo.	*M. Ioannes Hueber*, Secretar.
De Anima.	*M. Georgius Dachs.*
Exercit. Poſteriorum.	*M. Iacobus Strobell.*
Exercit. de Anima.	*M. Georgius Wolf.*
Parua naturalia.	*M. Leonardus Dornvogl.*

Muſica

A. 1492.

Muſica Muris.	*M. Ioan. Turnächtinger.*
Theorice Planetar.	*M. Ioannes Plank.*
II. III. IV. & Vtus Euclidis.	*M. Andreas Keller.*

Patet hoc ex Catalogo, quis Magiſtrorum numerus, & ſimul quæ fuerit Philoſophiæ tum conditio. Fere vnus nempe fuit Ariſtoteles, quem tres ac triginta obſcuriores Magiſtro ſuo Interpretes fruſtillatim diſcerpebant. Huc pertinet aliud folium illi tempori coæuum, in quo deſcribitur *Ordo & tempus librorum legendorum in Collegio Artiſtarum mutatione Eſtiuali cum eorundem precii deſignatione.* E. g. *Hora octaua mane: Parua logicalia continuantur per integram mutationem. Paſtus* (id eſt pretium) *1. fl.* &c. *Hora XI. quæ diebus Ieiuniorum propter Reſumptionem mutatur in tertiam: Maius volumen Priſciani legitur in principio mutationis vſque ad feſtum S. Sixti hoc eſt ſexta die Auguſti. Paſtus*, 8. *gr.* &c. *Hora prima: Priorum a principio mutationis vſque ad feſtum Petri & Pauli. Paſtus*, 4. *gr. Obligatoria a feſto Petri & Pauli vſque ad feſtum S. Margarethe. Paſtus*, *1. gr. Algoriſmus a feſto S. Margarethe vſque ad feſtum S. Anne incluſiue. Paſtus 1. gr. Euclides a feſto S. Anne vſque ad feſtum S. Laurencii. Paſtus 1. gr. Sphera armillaris a feſto S. Laurencii vſque ad vigiliam S. Mathei. Paſtus 3. gr. Libellus Rhetoricalis a feſto S. Mathei uſque ad feſtum S. Galli. Paſtus*, *2. gr.* &c. *Hora ſecunda: Muſica Muris legatur ad tres Ebdomadas; Paſtus 3. gr.* &c. *Hora tertia die Ieiunii commutata in quartam: Excercicium priorum a principio mutationis vſque ad feſtum Petri & Pauli. Paſtus 7. gr.* &c. *Hora ſexta poſt cenam: Exercicium poſteriorum a principio mutationis vſque ad feſtum Iohannis Baptiſte propter vacantias penthecoſtes. Paſtus* 8. *gr.* &c.

ANNO DOMINI M CCCC XCIII. A. 1493.

Rector XLII. M. IOANNES RAMELSPACH, Decretorum Licentiatus. Rect. III.

Rector XLIII. M. CHRISTOPHORVS SALMAIR Moſpurgenſis, SS. Theologiæ Licentiatus & Sancti Saluatoris apud Ingolſtadium Plebanus.

Inſcripti 175. quos inter

Nobiles, *Wilhelmus de Bibra.*
Ioan. de Wildenſtein, Can. S. Ioan. in Haugis Wurceb.
Caſpar. Harder de Inſprugk.
Georgius. de Fraunhofen.

A. 1493.

Philippus Echter, Can. Mogunt.
Conradus Sandizeller.
Bernhard. Tannhauſer ex Oberndorf.
Vdalricus Dietegen de Weſterſtetten.
Ioannes de Holbach.
Wolfgang. Marſchall de Ebnet.
Pangratius Peſeler de Ranzenſtein.
Wilhelmus Awer ex Tobel.
Iacobus Nusdorfer ex Prünn.
Sigismundus Windecker ex Windeck.
Hartmannus Goldagker.

Nou. Doct. *Ioannes Krener*, Schardingenſ. Prædicator in Hailprun. *Theol.*

Sebaſtianus Sprenz ex Dünkelſpüehl (*hoc anno Academiæ noſtræ adſcriptus*) electus eſt in Epiſcopum Brixinenſem anno 1521. cum in Legatione Imperatoris CAROLI V. ad Regem Poloniæ munere oratoris fungeretur.

* Occurrit apud Scriptores nonnullos ſub nomine *Sebaſtiani Speranci*; fuitque idem MAXIMILIANI I. iam antea Conſiliarius, & Eccleſiæ Brixinenſis ſummus Præpoſitus. Obiit anno 1525.
* Prima Septembris ad gremium Collegii Artiſtarum præter alios receptus eſt *M. Leonardus Ecker*, Kelhaimenſis. Credamne hunc ipſum fuiſſe *Leonardum ab Eck*, pariter Kelhaimenſem?

A. 1494.

ANNO DOMINI M CCCC XCIV.

Rector XLIV. IOANNES AB ADORF, &c. Rect. VII.

Rector XLV. WOLFGANG. PAVMGARTNER (*Kueffſteinenſ.*) Iuris vtriusque Doctor.

Inſcripti 210. inter quos illuſtriores,
Nobiles: *Wolfgangus de Egloffſtein.*
Wilhelmus Schenk de Lochhof.
Ioannes de Liechtenſtein, Can. Herbipol.
Franc. Wolfgang. Comes in Hohenzoller.
Ludouicus Comes in Oettingen.

Chri-

A. 1494.

Chriſtoph. Trugſeſs Baro in Walpurg.
Leonard. Marſchall in Hohenreichen.
Ioannes de Neurnegk.
Dietegen de Weſterſtetten.
Eraſmus de Wolfſtein.
Conradus Pöllinger ex Fronberg.
Wolfgang. Satzenhofer, Can. Ratisbon.
Guilielmus Haunſperger.

Nou. Prof. *Wolfgang. Baumgartner*, vt ſupra &c. LL. Prof. merid.
Nou. Doct. *Ioannes von der Grün*, Baruthanus, Prædicator in Braunaw. *Theol.*

Electus erat ante *Ioannem ab Adorf* Reuerendus Dominus *Georgius Zingel* Theologus &c. Verum is adductis cauſſis pœnam renuentis ferre maluit, quam Rectoratus dignitatem adminiſtrare.

* Opinor *Wolfgang. Baumgartnerum*, Rectorem hyemalem hoc ipſo anno ad Academiam, atque ad Iurium cathedram acceſſiſſe, quod ante hæc tempora nullibi eius nominis mentio occurrat. Erant igitur tres *Baumgartneri* in vna Facultate iuridica; *Wolfgangus* Kueſſteinenſis; *Gabriel* Norimbergenſis, & *Petrus* Waſſerburgenſis; niſi forte hic poſtremus iam antehac alio migrauerit; quod veriſimiliter de ipſo ex Actorum academicorum ſilentio coniici poteſt.

Ex Comitibus *de Hohenzollern*, quæ illuſtris, diues & potens eſt apud Sueuos familia, vnum tantum in matricula Academiæ reperio. Is eſt Illuſtris Comes *Franciſcus Wolfgangus*. Acceſſit ad Academiam menſe Maio h. a.

Dapiferorum quoque a Waldpurg familia apud Sueuos vetuſtiſſima, nobiliſſimaque, belli & pacis artibus, ſtudiisque illuſtris, & literis honeſtis, eruditioneque clariſſima ſemper fuit. Et hoc quidem anno acceſſit ſtudiorum gratia *Chriſtophorus Dapifer, Baro in Waldpurg*, quem ego filium *Ioannis Dapiferi* fuiſſe arbitror, qui in bello Bauarico Ducis Wirtenbergenſis vexillifer fuit, mortuusque eſt anno 1511.

* Ex ordine literatorum nomen ſuum hoc anno Academiæ dedit *M. Gregorius* (non Georgius) *Riſch*, ex Balingen, Carthuſiæ Friburgenſis Pater, vt Rotmarus loquitur, hoc eſt Prior, *Philoſophicæ Margaritæ* autor.

A. 1494. Hoc itidem anno conductus eſt ad legendum ſtudia humanitatis *M. Conradus Celtes*, Herbipolitanus, primus Germaniæ Poëta. Hoc idcirco annotatum in matricula Vniuerſitatis arbitror, quia vt acta Facultatis teſtantur, legentibus tum temporis ab auditoribus (*mineruał*) numerabatur, non autem a Principe: & Magiſtri de Facultate partim ſorte, partim electione ad libros legendos, & exercitia deputabantur; adeo vt legentes & repetentes ſeu exercitiorum præfectos quandoque triginta, quandoque plures, quandoque pauciores enumerent acta.

* Sequitur ergo, *Conradum Celtis* (ita illius nomen in albo academico expreſſum legitur) inde ab anno 1492. fuiſſe extraordinarium; atque hoc anno ordinarium factum eſſe Humanitatis Profeſſorem.

* Datum eſt hoc anno initium exſtruendo a fundamentis Collegio nouo, ſeu *Georgiano* ab Illuſtriſſimi Fundatoris nomine dicto. Quare menſe iam Aprili deſignati ſunt ab eodem Illuſtriſſimo Duce, qui locum aptum eligerent, & domos pro illo ædificio coemerent. In hunc igitur finem coemtæ ſunt ædes complures Collegio veteri ex aduerſo reſpondentes, quas Illuſtriſſimus Dux GEORGIVS ab omnibus oneribus exemit.

A. 1495.

ANNO DOMINI M CCCC XCV.

Rector XLVI. GEORGIVS FEDERMAN (non *Faltermayr*) Memmingenſis, *Art. Mag.*

Rector XLVII. IOANNES PLÜEML, S. Theolog. Licent. Rect. II.

Inſcripti 176. atque hos inter vnus.

Nobilis, *Gamereth Pütrich*, alibi etiam *Iacobus* dictus.

Nou. Doct. *Ioannes Steinpeck*, Friſingenſ. Prædicator Ambergenſis, *Theol.*

* Gemini Codices, Matriculæ ſcilicet academicæ & Protocollorum, *Georgium Federmannum* Memmingenſem Artium Magiſtrum die 24. Aprilis h. a. electum Vniuerſitatis Rectorem teſtantur: neſcio quo errore Rotmarus in *Faltermarum* inciderit, qui inprimis *Ioannes* vocabatur; & anno demum 1505. ad regendam Academiam aſſumptus eſt.

Hac æſtate cæpit peſtis graſſari, & quidem ita grauiter, vt non Scholares tantum dilaberentur, ſed & Profeſſores plerique ſibi fuga ſalutem quærerent.

Hunc

A. 1495.

Funeſtus fuit Academiæ annus. Peſte enim perierunt Doctores quatuor, Licentiatus vnus, Magiſtri duodecim, Baccalaurei & artium Studioſi complures.

* En illorum catalogum eo ordine, quo in actis artiſticæ Facultatis ſub Decanatu *M. Andreæ Sparber* ad hunc annum deſcripti leguntur.

D. Georgius Eiſenhuet ex Preſſat, S. Theol. Doctor, & Eccleſiaſtes Ambergenſis, Rector anno 1485.

D. Ioannes von der Grün, alias Parreüt, S. Theol. Doctor, Concionator Prunouienſis & *Confeſſor*, i. e. Confeſſarius Duciſſæ.

D. Nicolaus Tinctoris, S. Theol. Doctor, Concionator Ratisbonenſis, Rector Academiæ anno Domini 1478.

D. Wolfgangus Federkiel, S. Theol. Doctor, & Eccleſiæ Landishutanæ S. Martini Paſtor, & *quondam*, quod addunt Acta Artiſt. *Prædicator famoſiſſimus Ratisbonenſis*, Rector an. 1475.

L. Chriſtophorus Salmair, Moſsburgenſis, bonarum Artium Magiſter, S. Theol. Licentiatus, Collegiatus Studii Ingolſtattenſis, Rector anno 1493.

Inter Magiſtros præcipui erant,

M. Ioannes Thürennechtinger, Decanus Philoſophicæ Facultatis, & Conuentor Burſæ Solis.

M. Oſwaldus Leuberſtorfer, Conuentor Burſæ Angelicæ.

M. Fridericus Pücbler (*ex Wunſidl*) Conuentor eiusdem Burſæ.

* *M. Chriſtianus Aicher*, Eccleſiæ B. M. V. diebus noſtris Cooperator.
M. Ioannes Plank, Ingolſtattenſis, B. M. V. Cooperator.
M. Ioannes Haltenoſſen, ex Purkertshaim, in Euſtett. Scholaſticus Scholarium.
M. Ioannes Staudacher, Scholaſticus in Purckhauſen.
Georgius Pernether, *Vdalricus Schück*, *Leonardus Sümel*, } Ingolſtattenſes, Artium Baccalaurei.
&c. &c.

Atque hi omnes cum aliis multis cum extra, tum intra Academiæ parietes, duarum mutationum ſpacio, ad annum vſque ſequentem peſte interempti ſunt.

Dominus *Ioannes de Parreüt* legauit Facultati artiſticæ *Archidiaconum ſuper Decreta*: *Gloſſam ordinariam* ſuper libros Regum vſque ad Pſalterium incluſiue & *Fortalicium Fidei*. *Chriſtophorus*

Sal-

A. 1495. *Salmair* Collegiatus legauit Facultati Artiſticæ libros ſubſequentes; *Simonem de Caſſia*: *Petrum de Aquila*: *Mammadretum Bibliæ*: *Præceptorium Herpf*. *Sermones diſcipuli de tempore & Sanctis*: *Quartum ſcriptum S. Thomæ*. *Brunonem ſuper Pſalterium*: *Ethicam Catonis*: *Speculum Exemplorum*: *Summam Vitiorum Guilielmi Lugdunenſis*: *didaſcalon Hugonis*: *Sermones S. Bernhardi de tempore & Sanctis*, *Quadrageſimale Ruperti de Licio*.

In Rectoris hyemalis, *Ioannis Plüemelii* electione, quia propter peſtis ſæuitiam, indies magis magisque inualeſcentem, ad tutiora ſalubrioraque loca diffugerant, pauciſſimi adfuere Profeſſores, adeo vt qui aderant, duas tantum Facultates, Theologicam ſcilicet & Artiſticam repræſentarent. Ex Facultate igitur Theologica, quam tunc ordo tangebat, facta eſt electio.

* Elegerunt Theologi *Plüemelium*, licet ex Artiſtarum Collegio eſſet, quippe qui anno adhuc 1498. & 1504. vt ex actis patet, in ea Facultate Decanatum geſſit.

Propter ſæuitiam graſſantis peſtis lectiones cum actibus Scholaſticis ad feſtum vſque Natalis Domini ſuſpenſæ ſunt, hac illac Doctoribus, Magiſtris & ſcholaribus dilapſis. A die 18. Octobris vſque ad Calendas Ianuarii anni ſequentis tantum quatuor nomina ſua Vniuerſitati dederunt.

* Die 21. Iunii h. a. albo Vniuerſitatis ſuum inſcripſit *Ioannes Turmair ex Abensberg*; id quod illorum certe in gratiam ſilere non debui, qui *Ioannem Auentinum* norunt, Hiſtoriæ Boicæ principem. Sed de hoc alibi plura.

A. 1496.

ANNO DOMINI M CCCC XCVI.

Rector XLIIX. WOLPHGANGVS PAVMGARTNER ex Kopfſtain LL. Doct. & Ordinarius meridianus. Rect. II.

Rector XLIX. M. LEONARDVS ARNOLDT, S. Theologiæ Baccalaureus Formatus, *Collegiatus*.

Inſcripti 221. in quibus
Nobiles: *Sebaſtianus de Rotenhan*.
Ioannes de Miſſlbach.

Wolf-

An. 1496.

Wolfgang. Kärgl de Sieſsbach.
Wolfgang. de Aſch, ex Landshut.
Ioannes de Auffeſs. ex Freienfels.
Alexander de Rabenſtein de Atlitz.
Wigandus de Redwitz, Can. Bambergenſ.
Lampertus de Bibra.
Georgius de Auffeſs.
Ambroſius Greckenhaim, Herbipol.
Vitus Pfeiffelmann, Herbipol.
Georg. de Redwitz, de Naſſenfels.
Georg. Weichslſtainer } ex Villaco.
Maximilian. Reynegken }
Laurent. Seybelſtorfer.
Georgius Groſs, Can. Auguſt.
Ioannes Ettlinger de Haimhof.
Gabriel Podin, ex Newburg.
Sigismund. Awerburger de Satelburg.
Nou. Doct. *Anton. Hering*, Auguſt. Prædicator in Braunaw. } *Theol.*
Chunrad. Diſtel, Markdorf. Carmelita Rauenſpurg. }

Hoc anno, & in ipſo die D. Georgio Martyri ſacro, habito de Sancto Spiritu Sacrificio, pro nouo Rectore eligendo, præſentatus eſt in Collegio Georgiano primus Regens, *M. Georgius Schweberwair* S. Theologiæ Baccalaureus Formatus, cum vndecim Stipendiariis. Ea præſentatio facta eſt a Reuerendo & magnifico Viro ac Domino *Ioanne Plüeml*, S. Theologiæ Doctore (*Licentiato*) ac pro tempore Academiæ Rectore, in frequenti Doctorum, Magiſtrorum & ſcholarium comitatu.

* Hoc igitur Collegium a Duce GEORGIO exſtructum, vt ad annum 1494. memoratum eſt, ab omnibus oneribus exemtum, & *Georgianum* Ducis iuſſu appellatum, atque ea ratione ab eodem fundatum eſt, vt redditus vndenis Alumnis ducalibus ſufficerent. Dedit autem Dux Illuſtriſſimus vndecim ſuæ ditionis ciuitatibus poteſtatem præſentandi ad ſtipendia, quæ etiam ab illis ciuitatibus cognominari voluit; vt 1. *Landishutanum*, 2. *Ingolſtadienſe*, 3. *Lauinganum*, 4. *Waſſerburgenſe*, 5. *Burghuſianum*, 6. *Schärdingenſe*, 7. *Prunouienſe*, 8. *Oettingenſe*, 9. *Wemdinganum*, 10. *Hilpolſteinenſe*, 11. *Weiſſenhornenſe*. Poteſt autem quisque quinque tantum annis frui ſtipendio: minimum ſedecim annorum eſſe debet, qui præſentatur; canendi peritus, ſaltem cantus

L. Gre-

A.
1496.

Gregoriani: Nihil autem obſtat, ſiue illi, qui præſentantur, in dictis ciuitatibus nati ſint, ſiue non ſint.

„ Electio Regentis penes Facultatem artiſticam eſt. Debet autem Regens ſaltem eſſe Baccalaureus Theologiæ, & ex Facultate: Debet item eſſe Sacerdos, aut promittere, ſe intra annum ordines ſuſcepturum: Interim vero per vicarium Sacerdotem debet diuinum officium in Collegio Georgiano peragere. Facultatis Artium eſt Regentem inueſtire. Regens habet ius in ſuos haud ſecus ac Conuentor Burſæ. Idem debet ſingulis diebus cum Philoſophis per horam repetere. Senatus Facultatis Artium poteſtatem habet Regentem deponendi, ſi munere ſuo non bene fungatur. Habet vero & ipſe Regens poteſtatem reſignandi ſuum munus, ita tamen, vt quatuordecim diebus ante diſceſſum Facultatem Artium moneat. Habet Regens quadraginta florenos ex Parochia Paar pro ſuo ſtipendio, quos ipſe Parochus ſingulis annis illi in manus tradere tenetur.

„ Collegialis quisque ſingulis diebus Curſum, vt vocant, B. Virginis in Sacello eiusdem Collegii recitare debet; & qui non poteſt adire Sacellum, extra illud ad idem penſum obligatur. Si propter infirmitatem vel aliam cauſſam omiſit dictas preces, poſtea compenſet: niſi duobus menſibus infirmetur; tunc enim a compenſatione liber eſto.

„ Regens etiam diebus feſtis Curſum B. Virginis perſoluere tenetur, item alii, qui ſunt in Ordinibus. Collectam tamen præſcriptam pro incolumitate Principis omnes facere tenentur, & ſingulis horis ſubiungere. Regens diebus feſtis Officium & Vigilias cantare, vel alium in locum ſuum ſubſtituere debet.

„ Regens puniat negligentes in diuino Officio; qui ſemel negligit Curſum, duobus diebus careat cibo: qui ter monitus ſe non emendat, priuetur ſtipendio: Qui Regentem percuſſerit, aut alium, priuetur ſtipendio. &c.

„ Regens cum ſuis ſubeſt Rectori & Decanis.

„ Qui tribus noctibus extra Collegium dormit, ſiue continuo, ſiue poſt interuallum, priuetur ſtipendio.

„ In dubiis Regens accuſabit ſuos coram Rectore & quatuor Decanis. Singulis, qui præſentantur, prælegantur Statuta; & iurabunt omnes ad manus Regentis, quod velint omnia diligenter obſeruare.

„ Regens cum Senatu artiſtico habet ius condendi plura Statuta pro Collegio, quæ ſeruiant bonis moribus; nec tamen immutent Statuta priora: Et Princeps reſeruat ſibi ius irrita faciendi Statuta illa priuata.

„ Nullus Stipendiatorum poteſt ſuum ſtipendium alteri reſignare, & qui illud faceret, priuaretur ſuo ſtipendio. Siquis abeſſet, careret fructu ſui ſtipendii, vti & Regens ipſe.

„ Quam-

A. 1496.

„ Quamprimum vacat ſtipendium, ſignificabit id Regens ciuitati, quæ habet ius præſentandi.

„ Dat Princeps poteſtatem fundandi plura ſtipendia, ita tamen, vt minimum viginti florenos habeant in ſingulos annos: Et tunc eiusmodi fundator habeat ius præſentandi, vel cui ipſe voluerit concedere. Gaudebunt vero & hi priuilegiis & omnibus bonis ſicut Alumni Ducales, quibuscum tamen debebunt curſum recitare.

Hisce capitibus tota fundatio ac interior etiam diſpoſitio Collegii Georgiani conſiſtit. Quas ab illo tempore ad hunc vſque diem mutationes ſubierit, per decurſum horum Annalium declarabitur.

Inter inſcriptos hoc anno Nobiles erat *Wigandus de Redwitz* Oſtrofrancus, multis tum corporis tum animi dotibus illuſtris. Scribitur Epiſcopus a Bruſchio, quod in iuuenilibus ſuis annis religionis ergo, & locorum ſanctorum viſendorum amore ad terram ſanctam peregrinatus ſit, vnde eiusmodi elogium a Bruſchio meretur:

Multorum mores, multorum vidit & vrbes.

Eligitur in Epiſcopum Babenbergenſem anno 1522. in locum *Georgii de Limpurg*. Incidit in eius Epiſcopatus adminiſtrationem pernitioſiſſima tumultuantium & rebellantium pene per totam Germaniam ruſticorum ſeditio, qui primi erant Euangelii Quinti & Doctrinæ Lutheranæ fructus. Obſeſſus ipſemet Princeps anno 1525. a ruſticorum copiis magna fortitudine animi defenditur a Sueuici fœderis exercitu, liberaturque. Princeps commendatur fuiſſe a Bruſchio mitis, clemens, benignus, pacis ſtudioſiſſimus, omnibusque ſuis charus. Interfuit fere omnibus Comitiis Imperialibus, a Carolo quinto per Germaniam celebratis. Pietatem eius & in religione integritatem illud teſtatur, quod anno Domini, 1548. reformandi ſui cleri gratia, dioceſanam ſeu prouincialem ſynodum congregauit. Nihil de eo amplius habeo.

* Obiit anno 1556.

Obiit hoc anno die 18. Nouembr. Reuerendiſſimus in Chriſto pater, ac Princeps Illuſtriſſimus ac Dominus GVILIELMVS *de Reichenaw*, Epiſcopus Aichſtadianus quinquageſimus primus,

* Quæ ſequuntur, ex Acad. Ingolſt. Tom. I. pag. 27. b. deſcripta ſunt.

A.
1496. qui fundata, ſolenniterque publicata Academia (quanquam ſub IOANNE eius nominis tertio, nobili *ab Aich*, prima ſunt Scholæ facta initia) primus Cancellarius fuit, & cum aliis compluribus viris illuſtribus præſens Publicationi interfuit. Præfuiſſe ſcribitur Epiſcopatui Aichſtadiano annis triginta duobus: Cancellarii vero muneri viginti quatuor. Fuit Imperatoribus FRIDERICO tertio & MAXIMILIANO primo vnice charus, cum & prudentia & in rebus agendis induſtria, & ſumma valeret eloquentia: vnde ad intima eorundem de maximis Imperii rebus, conſilia adhibitus, & vtrique in legationibus operam ſuam præſtitit: veluti Epitaphium, quod in choro S. Wilibaldi habet Aichſtadii, demonſtrat, quod eiusmodi eſt:

WILHELMO *Epiſcopo Ayſtetenſi, viro omnibus virtutibus ornatiſſimo, quem ob ſingularem fidem atque prudentiam Fridericus Cæſar & Maximilianus Rex, non modo in Conſilium de maximis Imperii rebus præcipuum adſciuerunt; ſed etiam Legatum, alter ad Matthiam Hungarorum, alter ad Carolum Gallorum reges miſerunt. Maximilianus etiam, poſt Friderici patris obitum parentis loco in ſummis rebus habuit, & verbis compellare conſueuit. (Vixit in Epiſcopatu annis triginta tribus.) Moritur (in Meſſing) anno Domini* 1496. *die* 18. *Nouembris*, ſepeliturque in choro S. Wilibaldi.

Eligitur in Epiſcopum Aichſtadianum GABRIEL *ab Eyb* Oſtrofrancus; ſecundus Academiæ Cancellarius; Doctoratus in vtroque Iure titulo inſignitum fuiſſe ſcribit Bruſchius. *Vid. plura ad annum* 1535.

Eodem anno pro ſtudioſorum commoditate Facultas artiſtica, in omnibus Facultatibus iuſtum emit librorum numerum a Domino *Ioanne Rhueman* de Oringen, centum & decem florenis, quorum conſignatio in actis eiusdem Facultatis reperitur. Venditor Baldum ſupra Codicem ex liberalitate adiecit.

Ab hoc itidem tempore per viginti aut circiter annos, cum pietas in hominum cordibus nondum refrixerat, cœpit templum B. Mariæ Virginis eleganter ornari, præſertim vero feneſtris. In quibus faciendis contribuerunt etiam diuerſis annis ſumptus ex Academicis, *Ioannes ab Adorf* Doctor Theologus, *Wolfgangus Peiſſer* Medicinæ Doctor & Profeſſor, *Gabriel Paumgartner* nobilis & Doctor, *Pancratius Imhof* Decretorum Licentiatus

tus & Præpoſitus in Inchofen. Ex ciuibus vero familia *Stengeliorum*, *Schraimiorum* & *Stadlerorum*. Item tribus vinaria, cereuiſiaria & fullonum. Præterea respublica Ingolſtadiana: poſtremo vero etiam Principes noſtri, Duces Bauariæ, GVILIELMVS & LVDOVICVS, multique alii ex ciuibus, quorum nomina tempeſtatum iniuria in feneſtris confracta deletaque ſunt. A. 1496.

* Refert eruditiſſimus *Oefelius* Script. Rer. Boic. Tom. II. pag. 569. feneſtras illas, in quibus totius lineæ Ingolſtadienſis Principes, & coniuges liberique ſcite expreſſi fuiſſent, ſe puero ſublatas eſſe a Neocoro quodam Barbare eleganti, quod viſæ eſſent lucem intercipere.

ANNO DOMINI M CCCC XCVII. A. 1497.

Rector I. IOANNES DE ADORF &c. Rect. VIII.

Rector II. M. IOANNES RAMELSPACH, Licentiatus & Inſtitutionum Profeſſor Ordinarius. Rect. IV.

Inſcripti 147. inter quos
Nobiles: *Theobald. Waller* ex Landaw.
Chriſtoph. Prigkhofer.
Ioannes Hawſner.
Georg. Edelmann de Haſelbach.
Wolfgang. Seleytner de Hallenberg.
Heorg. Hauſſer de Werishofen.
Chriſtoph. Fraunberger de Haidenburg.
Rupertus Höbenfelder.
Ioannes de Planitz.
Ioannes Raittenawer, Profeſſus Campidonenſ.
Georg. de Bibra, Can. Bamberg.
Hieronym. Baro de Limpurg, S. Imp. Pincerna Hæreditarius.
Georg. Liechtenegker de Wolfering.
Sixtus Preiſinger, Can. Ratisbon.
Wilhelm. Preyſinger zu Kranwinkl.
Simon Stetner.
Maternus de Tann.

A. 1497. Nou. Prof. *Hieronym. de Croaria*, Conſtantienſ. Iur. Can. Prof. Ord.
Franciſcus Burckbardus LL. Doctor & Profeſſor.

Hoc itidem anno inſcriptus eſt *Ioannes Rem*, Decanus Franckfordii apud D. Leonhardum; & *Walthaſar Marggraf*, Ingolſtadienſis, qui poſt Illuſtriſſimi Principis GEORGII Landgrauii Leuchtenbergenſis Cancellarius eſt factus. Hoc vt multa alia, in exemplum Ingolſtadianæ iuuentuti adſcribendum putaui, vt ſopore tandem excuſſo, abiectaque ignauia, eo excita, Studiis alacrius incumbat, perceptura aliquando illuſtre laborum ſuorum & eruditionis præmium.

Eodem anno petiuit Vniuerſitas a Facultate artiſtica, partem aliquam auditorii concedi, pro archiui, vt vocant, conſtructione. Quod eidem liberaliter conceſſit Facultas, ea conditione, vt & ipſa res ſuas precioſiores ibidem recondendi & aſſeruandi ius habeat. Vetus enim Collegium in poteſtate Facultatis eſt artiſticæ.

A. 1498.

ANNO DOMINI M CCCC XCIIX.

Rector LII. M. GEORGIVS SCHWEBERMAIR, Landishutanus S. Theolog. Baccal. Form. & noui Collegii Regens.

Rector LIII. IOANNES DE ADORF, &c. Rect. IX.

Inſcripti 168. inter quos

Nobiles, *Ioannes Rorbeck* ex Rorbach.
Anton. de Hatſtat, Can. Wormat. & Baſil.
Chriſtoph. Praitenſtein, de Oetingen.
Walthaſar de Leuben de Kurzſe.
Petrus Helldrit, Can. Spirenſ.
Georg. Tanner, Monacenſis.
Thomas Täutſch, Landishutanus.
Caſpar Offenhaimer de Wilzhut.
Ioannes von Preyſing de Kopfſperg.
Ioannes Gegkenhaim, Herbipol.
Wilhelm. de Eyb, Can. Eichſtett. Bamberg. & Wurceburg.

Erbar.

A. 1493.

Erhardus de Grumbach.
Wolfgang. de Redwitz, Can. Herbipol. & Bamberg.
Melchior Baro in Lymburg S. R. I. Pincerna Hæreditar. Can. Patauienſ.
Wilhelm. Trenbeck ex Oeting.
Ioannes Hirnkofer ex Baugart.
Ioannes de Wirſperg, Can. in Feuchtwang, poſt Decanus Eichſtettenſ.
Nou. Prof. *Theodoric. Reyſach* I. V. Doct. & in Ciuil. Ordinarius.
Georg. Barth, I. V. Doct. & Lector Ordinarius veſpertinus.
Petrus Burckhardus (Ingolſtadienſ.) Medic. Doct. & Prof.
M Iacob. Locher * ex Ehingen, P. L. Lector in Poëſi.

Hoc ipſo anno recruduit inter Philoſophos reales & nominales pugna, ſumpta occaſione a diſputatione publica, in qua ſe Facultas artiſtica a realibus Philoſophis Magiſtro *Michaële Peterſaſs* & *Wilibaldo Krapf*, læſam eſſe conquerebatur: quare ab omni actu publico illi duo per Facultatem excluſi ſunt. Verum ea lis 24. die Septembris per Dominos Doctores Iuriſconſultos, & *Henricum Ebran* præfectum vrbis, & *Caſparum Morhard* redditnarium Neüburgenſem, tanquam commiſſarios, eſt iterum compoſita & ſopita.

* *Conradus Celtis* inde ab anno 1494. Eloquentiæ ac Poeſeos ordinarius Profeſſor, hoc, ni fallor, anno a noſtra Vniuerſitate abiit, quod inueniam *Iacobum Locherum* ipſo hoc anno oratoriæ ac poeticæ cathedræ fuiſſe admotum. Neſcio quo ſeceſſerit interea *Conradus Celtis*; certe anno primum 1501. a MAXIMILIANO I. Imp. Viennam fuit euocatus; vbi per ſeptem reliquos vitæ annos Eloquentiæ ac Poeſeos Profeſſorem & Bibliothecarium egit, hac ſingulari ornatus prærogatiua, quod ipſe quos dignos putaret, laureatos creare Poetas poſſet. Vt ſuum ab Ingolſtadienſi ſchola diſceſſum aliqua ratione defenderet, ipſe in Lib. II. Carm. Ode 26. cereuiſiam & moroſum illætabilemque locum accuſabat. Obiit Viennæ anno 1508. ætatis 49. Huius *Celtis* opera enata eſt Sodalitas illa Rhenana & Danubiana, quæ inter Societates literarias prima fuit in Germania, ac ſimul occaſio ingentium fructuum ex huiusmodi Inſtitutis in rem literariam deriuatorum. Quæ tum hic, tum alibi ſcripta edidit, hæc fere ſunt: *De Origine, Situ, Moribus & Inſtitutis Norimbergæ, unacum Hymno de S. Sebaldo.*

Car-

A. 1498. *Carmen Hroſuithæ. Poema de Situ & Moribus Germanorum. Opuſcula de Viſtula, de Veſontibus, de Salinis ſarmaticis*; quæ in itinere polonico compoſuit. *Libri IV. Amorum. Quatuor vitæ humanæ circuli ſecundum Pythagoreos. De Arte Verſificandi. De Laudibus Eloquentiæ. Carminum Libri IV. Parnaſſus biceps. Panegyris ad Duces Bauariæ, & Philippum Palatinum Rheni.*

* *Iacobus Locherus*, Ehinganus Sueuus, *Philomuſus* h. e. Amator literarum dictus, *Conrado Celti* ſucceſſit. Hic cum iam anno 1489. Vniuerſitati noſtræ ſit adſcriptus, neſcio profecto, diſcendine, an docendi cauſſa tunc ad nos acceſſerit, præcipue cum affirment nonnulli *Locherum* in Italia literis vacaſſe, ac Friburgi & Baſileæ ante ſuum ad nos aduentum Profeſſorem publicum Poeſeos atque Rhetorices fuiſſe. Illud certum, ab hoc maxime tempore *Philomuſi* nomen editis in publicum ſcriptis clareſcere cœpiſſe. Laurea poetica a *Conrado Celte* coronatus videtur; fuitque idem abs dubio ſocius Sodalitatis Literatorum Danubianæ; quippe qui ſuum de Iudicio Paridis ſpectaculum die 14. Iun. an. 1502. Ingolſtadii exhibitum *Georgio a Sinzenhofen Sodalitatis patrono primario* dedicauerit. Non poterat autem meo iudicio de alia Sodalitate hic ſermo eſſe, quam quæ anno 1501. cæſareo diplomate a MAXIMILIANO I. firmata, auctorem habuit *Conradum Celtem*; cum Sodalitas illa boica *Ioannis Auentini*, *Vrbani Rhegii* &c. ante annum 1516. inſtituta haud fuerit. Vnde *Finauerus* in ſuo Hiſtoriæ literariæ boicæ Conatu mirari non debet, cur eruditiſſimus *Lippertus* in ſua Diſſertatione academica de Sodalitatibus literariis in Boiaria *Iacobum Locherum* omiſerit, quando de prima illa Sodalitate *Auentini* &c. ſermonem habet. Quantam vero cunque *Philomuſus* ex optimarum artium cognitione famam ſibi conciliarit, non tulit certe eandem a Collegis ſuis moderationis laudem; quod tum maxime patuit, cum *Georgium Zingelium* Vniuerſitatis Procancellarium, virum grandæuum ac venerandum ſacerdotem ſcripto publico acerbiſſime perſtrinxit ac dilacerauit, non aliam, vt mihi videtur ob cauſſam, quam quod in guſtu humanioris literaturæ a ſe diſſentiret. Nempe *Zingelius* pro ſua religionis teneritudine chriſtianos potius Poetas, *Prudentium*, *Baptiſtam Mantuanum* &c. quam gentiles iuuentuti academicæ prælegendos eſſe cenſebat. Illud quoque *Lochero* obiectum eſt, quod die quodam dominico ex nobilium & honeſtorum hominum filiis ſtudioſis Lancigeros, vt tum loquebantur, i. e. milites publice per vrbem incedentes, in vituperium ordinis ſcholaſtici effinxerit, ſpreto totius Vniuerſitatis præcepto, legibus & ſtatutis. Addunt hiſce pro clauſula: *Iacobus Locherus ſi Chriſipolim non appuliſſet, quietius in vtramuis aurem respublica noſtra litteraria quieſceret.* Quæ quidem verba, vt fatear, quod ſentio, hominem produnt, in temporis illius barbarie inueteratum, & a Muſarum romanarum elegantiis, quibus magis iam appropinquare *Locherus* videbatur, abhorrentem.

Quanto

Quanto deinceps tempore *Philomuſus* hac in Vniuerſitate vixerit, affirmari certo non poteſt: Anno 1522. & 1523. illum adhuc apud nos floruiſſe, carmen *Braſſicani* eodem tempore conſcriptum manifeſte teſtatur, hoc diſtycho: A. 1498.

Audio & hic lauro ornatum quemdam eſſe Poetam,
Scilicet a μουσῶν nomen amore trahit.

Cumque ſcribat Rotmarus ad an. 1523. *Marcum Millenum* mortuo Philomuſo Poeticæ præfuiſſe, videri omnino poſſet *Locherus* eodem anno vita deceſſiſſe. Verum illa Rotmari verba fortaſſe aliud nil volunt, quam ſucceſſiſſe aliquando, quocunque demum anno, *Millenum Philomuſo.* Interea multum ſuperuixiſſe huic tempori non potuit, cum iam anno 1526. ad lectionem poeticam ſelectum inueniam *Alexium Zehentmarum*, *Milleni* ſcilicet ſucceſſorem. Scripta *Philomuſi* in lucem publicam edita inſigni cum induſtria collegit *Finauerus* in cit. Conatu Hiſt. literar. Boic. pag. 91. hoc ordine: *Drama de ſene amatore: filio corrupto & dotata muliere. Reſponſio compendioſa in anticategoriam rectoris cuiusdam & conciliabuli Ingolſtadienſis, cum declaratione Zingolenſis factionis. Carmen de diluuio Romæ effuſo. Threnodia, ſiue funebris lamentatio in laudem inclite Hedwigie e Polonorum ſtirpe prognate, Illuſtriſſimi Principis Georgii Comitis Palatini Rheni ac Bauarie Ducis coniugis ſinceriſſime, in publico foro cantata. Spectaculum more tragico effigiatum, in quo chriſtianiſſimi Reges aduerſum truculentiſſimos turcas conſilium ineunt &c. Iudicium Paridis de pomo aureo &c. Poëmation de Lazaro mendico &c. Carmen augurale de Cæſ. Maximiliano; Epigramma contra oblocutores Maieſtatis Cæſareæ; Carmen de feſto Conceptionis B. Mariæ Virginis.* Hi libri omnes in forma quarta, abſque impreſſionis loco & tempore ſunt editi. *Horatii Flacci Venuſini opera cum quibusdam Annotationibus &c.* per Iacobum Locherum, Argentin. 1498. *Stultifera Nauis &c. per Iacobum Locher cognomento Philomuſum ſueuum in latinum traducta eloquium.* Baſileæ 1498. in 4to. *Comparatio mulæ ad muſam; Currus ſacræ Theologiæ triumphalis. Elogia quatuor Doctorum Eccleſiæ, cum Epigrammatibus & duabus Præfationibus, &c.* Nurimberg. 1506. *Roſarium cæleſtis curiæ & patriæ triumphantis &c.* Nurmberg 1512. in 4to. *Carmen ad ſcholaſticos Ingolſtadienſes.* Auguſt. 1517. in 4to. *Compendium Rhetorices ex Tulliano theſauro &c. Aptiſſima Syntaxis de componenda oratione funebri.* 1517. in 4to. *Exhortatio heroica ad Principes Germaniæ & ſtatus pro Sereniſſimo Romanorum & Hiſpaniarum Rege Carolo, contra hoſtes ſacroſancti imperii deteſtabiles.* 1521. in 4to. Eodem *Finauero* teſte typis edi curauit Orationes tres *Thomæ Roſenbuſchii* legum Doctoris famigeratiſſimi, Principis Ludouici Bauariæ Ducis quondam Cancellarii, Auguſt. 1517. in 4to. *Ciceronis* Orationem pro Milone cum appendicibus &c. *Franciſci Mataratii* Peruſini opuſculum aureum de componendis verſibus, &c. Item, *Iacobi Sentini* Ricinenſis appendicem de verſibus lyricis Nurnberg. 1520. ac denique

A. 1498. *Fabii Fulgentii* Placiadis Epiſcopi Mytologiarum lib. tres, cum ſcholiis paraphraiticis *Philomuſi* &c. Auguſt. 1521.

Hæc de vita ac ſcriptis *Philomuſi* anticipanda duxi, quod de mortis ipſius anno certi nihil conſtet.

A. 1499.

ANNO DOMINI M CCCC XCIX.

Rector LIV. GEORGIVS BARTH, Iuris vtriusque Doctor.

Rector LV. IOANNES PLÜEML, S. Theol. Licent. Rect. III.

Inſcripti 130. inter quos

Nobiles: *Sebaſtian. Fuchsſtainer* de Kalenberg.
Chriſtoferus Styber de Rainegk.
Wolfgang. Taufkircher de Gutenberg.
Sigismund. Walrab de Hawzendorf.
Wolfgang. Mendl de Stainfels, Can. Herriedenſ.
Heinricus Comes de Donnyn.

Erant tum temporis in Facultate artiſtica duo Licentiati Theologi *M. Ioannes Plüeml*, & *M. Leonardus Arnold*, qui in actibus publicis, omnibus & ſingulis & proceſſionibus ſolemnibus, atque etiam in priuatis conſeſſibus locum & ſeſſionem inter Theologos ſibi vendicabant. Id quod ægre ferens Facultas Artiſtica, & iniquum eſſe cenſens, ſubditos ſuo Magiſtratui, id eſt Decano præſidere, præferrique, & præſertim, cum pariter de emolumentis Facultatis vellent participare. Quare octaua die Aprilis Collegialiter concluſum eſt, quod Decanus omnibus & ſingulis ſuæ Iurisdictioni ſubiectis, cuiuscunque conditionis quique exiſtant, in omnibus actibus publicis, nullis omnino exceptis, præire & præſidere debeat: Idque ſtatutum Dominis Licentiatis ſupra nominatis ſignificari curarunt, & triduum ad reſpondendum eisdem artiſtæ conceſſerunt. Interea facultas Theologica, apud quam Licentiati prædicti erant conqueſti, ſuas interponendo partes monuit artiſticam Facultatem, vt a propoſito ſuo diſcederet; ſed impetratum nihil. Reſponderunt Facultati eodem die Licentiati, alter quidem *Arnoldus* humiliter & leniſſime, alter vero ſuperbius, adeo vt repeterent, confir-

marent.

marentque artiſtæ ſtatutum cum pœna priuationis emolumento-rum, & exclusionis a Facultate: exceptus tamen eſt Dominus Rector, ſi quis de Facultate Philoſophica eligeretur, in actibus tamen Facultatis eodem ſtatuto ligabatur. A. 1499.

Inſtat rurſus 18. die Maii Magnificus Dominus Rector, & quidam Doctores, vt in feſto Corporis Chriſti ſecure & quiete prædicti Licentiati locum inter Theologos obtinere poſſent; ſed nec tum petitis acquieuit Facultas, æque Licentiatos illos Decano iuratos, & ad reuerentiam præſtandam eſſe obſtrictos exiſtimans, quam ſint cæteri Magiſtri.

Duodecima Septembris repetitur actio, & Facultas ad conſilium Vniuerſitatis negotium transfert, eiusque iudicio ſtandum decernit, dummodo ipſa ſecundum rigorem iuris, non pro affectu & libero arbitrio proceſſerit: Doctores tamen Theologos, tanquam ea in cauſſa iudices ſuſpectos repudiat. Decima ſeptima eiusdem menſis, Facultas ſua motiua per delegatos a Facultate concipienda decernit, ita tamen vt ea ad Facultatem prius referantur, & puncta quinta die Octobris a Facultate perlecta, diſcuſſa & approbata: Vide de hac re plura annis ſubſequentibus, ſcilicet 1501. 1502. & ſententiam iudicialem, anno 1503.; *nam* nihil hoc anno actum eſt amplius, forte quia reus alter magiſtratu ſummo fungeretur.

* Nempe *Ioannes Pliemelius* die 18. Octobris tertium electus eſt Rector Vniuerſitatis.

Viceſima octaua die Octobris, in qua noui Decani fit electio, campanam *Burſæ Solis* Facultas artiſtica pietatis ergo ad Fabricam D. Sebaſtiani liberaliter dono dedit.

ANNO DOMINI M D. A. 1500.

Rector LVI. M. MICHAEL PVTERSASS, S. Theologiæ Baccalaureus Formatus.

Rector LVII. M. STEPHANVS PRANTL ex Purkhaim, Decretorum Licentiatus & Inſtitutionum Profeſſor.

A.
1500. Inſcripti 163. inter quos
Nobiles, *Theodoricus de Miltiz.*
Ludouicus de Emersbofen, Can. Brixin.
Ioannes Nicolai de Padua.
Chriſtoph. de Knöringen.
Chriſtoph. Langenmantel, Auguſtenſis.
Frideric. de Leonrod, Can. S. Burkhardi Herbipol.
Hapto Marſchall de Biberbach.
Wilhelm. de Seiboltſtorf, Presbyter.
Nou. Prof. *Stephan. Prantl*, Inſtitutionum Profeſſor.

Præter hos memorandus venit Thomas Roſenbuſch, qui anno 1510. (*verius* 1509.) in Academia noſtra Doctor legum & earundem Profeſſor eſt factus: & poſt Cancellarius Landishutanus: periit in vndis anno 1510.

* Error quidam typi hic interuenerit neceſſe eſt; neque enim veriſimile, *Roſenbuſchium* eodem anno Doctorem, Profeſſorem & Cancellarium factum, atque itidem aquis ſuffocatum eſſe.

In negotio Dominorum Licentiatorum cum magnificus Dominus Rector cedendum Decano cenſuiſſet, appellatum eſt a Facultate artiſtica, tanquam a mandato illicito, & reuocatur decretum anni 99.

Inter cæteros magiſtrales habitus erat & cingulum. Pro eiusdem depoſitione impetranda literas ad Illuſtriſſimum Principem mittendas tertia die Iulii decreuit Facultas artiſtica.

* Quibus ad id petendum rationibus permota fuerit, mihi quidem perſpectum haud eſt: Forte indecorum videbatur, aut ſeruile etiam, talarem tunicam cingulo adſtringere contra morem aliarum Facultatum. Niſi meum me fallat iudicium, ſæpius memorata cum geminis Theologiæ Licentiatis controuerſia ad capiendum hoc conſilium Magiſtris Artium occaſionem præbuit. De Habitu Magiſtrorum notari meretur decretum Facultatis circa hæc tempora editum: *Quilibet Magiſter legens ordinarium habeat proprium integrum & decentem habitum magiſtralem. Quilibet vero alius Magiſter volens gaudere emolumentis & lectionibus facultatis habeat ad minus alas magiſtrales eiusdem coloris cum tunica, quæ ſint ſerico ſubductæ &c. Artiſtæ deferant habitum longum ad talos, ſiue ſit pallium ſiue tunica, eaque ſit vincta. Carioſus habitus tollatur. Placet, quod nullus Magiſtrorum pallium deferat vtroque vel altero latere apertum ſiue tunicellam, quæ non protendatur vltra genua.*

Aucta

Aucta eſt ſub hoc Rectore (Stephano Prantl) Bibliotheca Facultatis artiſticæ, & libri partim Theologici, partim Iuridici expenſis Facultatis ſunt coëmpti. A. 1549.

ANNO DOMINI M D L. A. 1550.

Rector LIIX. M. Wilibaldus Kiebair, Perchingenſis, S. Theologiæ baccalaureus.

Rector LIX. Ioannes ab Aberg &c. Rect. II.

Inſcripti 142.

Nobiles, Georg. *Abaimer* de Wildenaw.
Chriſtoferus Peſchitz de München.
Wolfgang. Stinglhaimer ex Voburg.
Eucharius de Tingen, Can. S. Burkardi Herbipol.
Theodericus de Tingen, Can. Eccl. Herbipol.
Porphirius Ruter de Poeisberg.
Maternus Wurſperger de Culmbach.
Alexander de Reitzentz, Can. Herbipol.
Ioannes Faland ex Tiſlingen.
Ioannes Schampüchar de Spraiting.
Chriſtoferus Gumpenberger de Petmes.
Matthias Fraunberger de Fraunberg.
Paulus Wurſperger ex Geyſenfeld.
Ioannes Gruber, ex Scherding.

Nou. Doct. *Thomas Rater*, Vienneſ. Art. & Medic. Doctor.

Mirus ille impoſtor (hoc enim laudis titulo quidam eum in matricula honorauit) & hæreticus eodem tempore inſcriptus eſt, *Wolphgangus Capito*, Zwinglianus, ſub nomine *Fabri*.

* Hæc ad verbum Rotmarus. Alii *Capitonem* ſcribunt etiam *Wolfgangus Fabritium* nominatum fuiſſe. Natus is Hagenoæ in Alſatia anno 1478. qua de cauſa ad Academiam noſtram acceſſerit, aut cui Facultati nomen dederit, haud inuenio: Dicunt enim patris in gratiam primum medicinam didiciſſe; ſed poſtea ſuo obſecutus genio, Theologiæ ſe dediſſe. Linguam quoque hebraicam magno opere coluit, magiſtro viſus Iudæo quodam proſelyto. Nominatum vero

A. 1501. cum eſſet ſtudioſior, iis ſe hominibus applicuit, qui e *Lutheri* ſchola egreſſi noua paſſim diſſeminabant dogmata, *Melanchtoni* ſcilicet & *Bucero*; e quorum ſocietate ita profecit, vt primi nominis Theologus audiat apud nouæ Religionis patronos. Scripſit *Inſtitut. Hebraic. Lib. II. Vitam Ioannis Oecolampadii*, cuius viduam ipſe vxorem duxit. *Enarrationes in Habacuc & Oſeam. Reſponſionem de Matrimonio & Iure Magiſtratus in Religionem &c.*

Menſe Iulio iterum Bibliotheca Facultatis artiſticæ multis numeris eiusdem impenſis eſt auctior facta, cum in libris Philoſophicis, Medicis, Iuridicis, tum vero Theologicis.

Vltima die menſis Decembris *Ioannes Plüeml* Licentiatus Theologiæ, cauſſam ſuam de præcedentia (nam *Leonardus Arnold* inimicus, vt reor, contentionibus, & quia illi in ſua conſcientia videretur, cedendum eſſe Decano, iure ſuo ceſſerat) propoſuit coram Senatu Academico, in quo cum ab Vniuerſitatis iudicio appellaſſet Facultas, propterea quod & iudex & alii quidam Doctores eſſent ſuſpecti, & quidem ad Epiſcopum Aichſtadianum. Dominus Licentiatus inſcia Facultate libellum ſupplicem ad Illuſtriſſimum Principem ſcribit, plenum querelarum; cuius exemplum eſt in actis. Reſcripſere Illuſtriſſimi Ducis Conſiliarii Landishutenſes, ad quorum mandatum lis ab vtraque parte coram Vniuerſitate conteſtata eſt, & libelli depoſiti. Et primo quidem Facultas cauſſam ſuam apud Senatum exponit, in certos diſtributam articulos.

A. 1502.

ANNO DOMINI M D II.

Rector LX. Georgius Bart, Monacenſis LL. Doctor. Rect. II.

Rector LXI. Pavlvs Kheyl (*non Khexl*) Vohburgenſis Medicinarum Doctor.

Inſcripti 110. in quibus
Nobiles: *Ioannes de Adelzhauſen.*
Wilhelm. de Seckendorf, Can. Eichſtett.
Chriſtofferus de Abſperg.
Georg. Notbaft ex Zettlitz.
Ioannes ex Gämmingen, Can. Wormat.

Sigis-

Sigismund. Sinzenhauſer ex Monaco. A. 1502.
Georg. Schwarzenſtainer.
Regerus Weſtermather ex Burkau.
Ioannes Ratz ex Oberſpeint.
Nou. Doct. *Fridericus Sünzel* Moſellanus. } *Medic.*
Paulus Kheyl, Vohburgenſis. }

Alteræ a Principis Commiſſariis Landishutanis ad Vniuerſitatem adferuntur literæ, in feſto Conuerſionis D. Pauli datæ, quibus mandant, vt in eam curam incumbat Vniuerſitas, quo poſſit res illa inter partes de ſeſſione & præcedentia diſceptantes componi: Sin minus, tota cauſſa, vt eſſet coram Vniuerſitate acta, ad Illuſtriſſimum Principem referretur.

Ad Facultatis articulos & puncta argumentaque pro illius incolumitate adducta, reſpondet *Ioannes Plüeml*, magis calumniando & ſubſannando, quam diſſoluendo. Replicam deponit apud Senatum Facultas ſuper reſponſum, & pugnatur vtrinque replicis, triplicis, & quadruplicis, integraque verborum plauſtra adducuntur. Atque hic rurſum a lite ceſſatum eſt aliquandiu, ad annum ſcilicet tertium.

Hoc anno 12. Septembris donauit Bibliothecam Facultati Theologicæ *M. Vrbanus Kluegenhaimer* Altenſtainenſis, altaris SS. Nicolai & Catharinæ apud D. Mauritium Sacellanus, in vſum Theologiæ Studioſorum.

ANNO DOMINI M D III. A. 1503.

Rector LXII. M. IOANNES SALACH, S. Theol. Baccalaureus.
Rector LXIII. M. WILIBALDVS KHRAPF &c. Rect. II.

Inſcripti 78.

Nobiles: *Bernhardus Stauffer*, nobilis & generoſus.
Caſpar. Guttenberger ex Guttenberg.
Philippus Rechperger ex Hohenrechberg.
Bernhardus Thil, de Wormacia Canonicus.
Georg. Baumgartner ex Ratisbona.
Nou. Doct. *Carolus Schütz*, Art. & Medic.

Bern-

A. 1503.

* *Bernhardus Baro a Stauf*, Gubernatoris huiatis filius conſuetum iuramentum, cum albo academico inſcriberetur, ob immaturam ætatem præſtare non potuit: datum eſt vero D. Parentis honoribus, vt primus hoc anno ad matriculam ſuum daret nomen.

Obiit *Ioannes Altenpeckh*, primus Vniuerſitatis Pedellus & Notarius. in cuius locum iam ante ſucceſſerat *Ioannes Stain*, qui in cauſſa Facultatis aduerſus Licentiatum *Ioannem Plüeml*, Notarii officio functus legitur.

* Ad diem 18. Octobris ſuperioris anni *Ioannem Stein* tanquam Notarium Vniuerſitatis prima vice ſubſcriptum inuenio. Pedellus vero Vniuerſitatis ad hunc annum notatur *Leonhardus Schroll* ex Peilengries.

Decima quinta die Maii ſuas partes inter Facultatem artiſticam, & Licentiatum *Ioannem Plüeml*, ex Illuſtriſſimi Principis Domini GEORGII voluntate, interpoſuit Generoſus vir ac Dominus, *Bernardinus Baro a Stauf*, vrbis Ingolſtadianæ Præfectus; qui cum multa ſalubriter de concordia facienda & retinenda diſſeruiſſet, tandem eo redegit litigatores, vt arbitros eligerent, & in eos compromitterent.

Decimo quinto igitur Calend. Iunii elegit Facultas ſibi in arbitros, clariſſimos viros ac Dominos *Hieronymum de Croaria*, Iurisprudentiæ, & *Wolfgangum Peiſſerum* Medicinæ Doctorem & Profeſſorem; Licentiatus vero Reuerendum Dominum *Georgium Zingel* Doctorem Theologum, & *Theodoricum Reiſach*, Iuriſconſultum & Profeſſorem: diſſentientibus vero arbitris ſuperarbitrum pars vtraque elegit, Generoſum Dominum *Bernhardinum a Stauf*. Et compromiſſio a litigantibus ordinarie eſt facta.

Sententia definitiua Arbitrorum ex parte Licentiati.

Vndecimo die Octobris pronuntiarunt ſententiam Domini *Georgius Zingel* & *Theodoricus Reiſach*: quod Dominus Licentiatus in omnibus actibus & ſolennitatibus Facultatem artiſticam concernentibus, Decano eiusdem Collegii debeat cedere: in reliquis vero, quæ extra Facultatem ſunt, quod iure eidem Decano præferatur.

Sen-

Sententia Arbitrorum pro Facultate Artiſtica.

A. 1503.

Eodem die & in eadem cauſſa, pronuntiant Dominus *Hieronymus de Croaria* & Dominus *Wolphgangus Peiſſer*, arbitri a Facultate artium electi. In poſſeſſorio quidem, quod Dominus Licentiatus, a Facultate eiusque emolumentis excluſus, in integrum reſtitui debeat: Verum in Petitorio, quod idem Dominus Licentiatus, quamdiu membrum eius Facultatis eſſe velit, eiusque frui emolumentis, iure debeat eiusdem Collegii Decano in omnibus actibus & quibuscunque ſolennitatibus, nullis omnino exceptis, cedere, & competentem eidem exhibere reuerentiam. Quamobrem prædicti arbitri Domino Licentiato de præcedentia, quam diu Facultatis pars & membrum eſt, perpetuum imponunt ſilentium.

Sententia ſuperarbitri ab vtraque parte conſtituti.

Diuiſis inter ſe arbitris, diuerſisque pronuntiatis ſententiis, Superarbiter, Dominus *Bernhardinus de Stauf*, &c. Sententiam Dominorum, *Hieronymi de Croaria*, & *Wolfgangi Peiſſeri*, pro Facultate artiſtica confirmauit, literisque publicis, proprio ſigillo munitis, corroborauit, quarum copiæ auſcultatæ & collationatæ ſunt per *Ioannem Stais* Notarium publicum, & in acta Facultatis propria eiusdem manu relatæ. Actum Ingolſtadii, die Mercurii poſt Feſtum D. Dionyſii, anno 1503.

Eodem anno prima die Aprilis, Facultas artium, ad locupletandam & exornandam Collegii eiusdem Bibliothecam, emit duodecim florenis Hugonem Cardinalem ſuper Biblia.

Die quinta Decembris mortuus eſt illuſtriſſimus Princeps ac Dominus Georgius Dux Bavariae itidem cognomento Diues, Ludovico patre ex Amelia Friderici vndecimi Ducis Saxoniæ & Electoris ſecundi filia natus; parente ſuo ſiue pietatem, ſiue prudentiam, ſiue liberalitatem, aliasque id generis virtutes, ſiue denique opes & fortunæ bona reſpicias, neutiquam inferior; Princeps ab omni luxu alienus, pius & religionis catholicæ amantiſſimus, erga ſuos clemens, mitis, humanus & liberalis.

A. 1503. Hoc loci præterire non poſſum, quin Lazii Hiſtorici lectorem admoneam, tres ſimul ab eodem autore in vno pene loco errores committi. Nam primum licet, & quidem recte, alibi Ducis GEORGII parentem vocat LVDOVICVM cognomento diuitem, filium HENRICI Landishutani: tamen idem paulo poſt in dubium trahit, & alterius LVDOVICI diuitis, qui STEPHANO Ingolſtadiano fuerit natus, filium pronunciat; & rurſus alio in loco auum facit Ducis GEORGII ERNESTVM Monacenſem. Deinde fratrem eidem Duci LVDOVICVM attribuit; denique fundationem Academiæ illi tribus in locis adſcribit. Sed hæc parerga.

Fuit hic Princeps perquam clemens ſuæ Academiæ protector, pius & in religionem Catholicam, bonasque literas optime affectus, vtpote qui non obſcure intelligebat, veluti in ſuæ fundationis pro Collegio nouo literis ipſemet aſſerit, cognitione honeſtarum artium & literarum, humanum intellectum illuſtrari, & ad virtutes excitari, bonos mores conſtitui, Catholicam religionem plantari, propagari, conſeruari, denique quibuscunque hæreticis contra iri. Proinde in honorem Dei omnipotentis, D Mariæ Virginis, omniumque cælitum, in pauperum ſolamen & leuamen & ſuorum anteceſſorum ſalutem, Collegium nouum, quod ab ipſius nomine Georgianum vocamus, ædificauit, & in eodem duodecim ſtipendia pro diuerſis Bauariæ oppidis pie ac benigne fundauit, ac ſalutaribus legibus ac ſtatutis, quibus iuuentus ad pietatem, morum integritatem, & bonas literas perduceretur, ſapienter muniuit.

Præterea multa cum in Academiam, tum vero in vrbem Ingolſtadianam, vbi regiam ſuam habebat, contulit beneficia. Inter cætera vero ingentem ſyluam (appellant incolæ *das Newet*) Reipublicæ contribuit, vbi in vſum vrbis multa centena lignorum plauſtra annis ſingulis cæduntur, & tolerabili precio venduntur ciuibus (nihil vero Academicis) quin & eleemoſynas cum in Collegio ſuo, tum a Republica Ingolſtadienſi publice annuatim diſtribuendas, & ſingulis annis 10. florenos nupturæ Virgini in dotem erogandos conſtituit.

Obiit piiſſimus Princeps Ingolſtadii; Exenteratum eſt cadauer, & viſcera apud D. Virginem in Principum Bauariæ conditorio ſunt ſepulta, cadauer vero ipſum Landishutam de-

uectum

neĉtum & in maiorum ſuorum ſepulchro repoſitum. Atque in A. 1503.
hoc Principe, linea Ducum Bauariæ Landishutanorum defecit,
vtpote qui vnam tantum genuiſſet filiam, ELISABETHAM nomine, RVPERTI Palatini coniugem.

* Veriora de morte Ducis GEORGII apud *Oefelium* Script. Rer. Boic. Tom. II. pag. 362. ex Libro memoriali *Andreæ Zayneri* Archigrammatæi Ingolſtadienſis, Scriptoris ſynchroni, immo Autoptæ, intelligere licet. *Am Freytag nach Andreæ Apoſtoli* (ipſius verbis vtar, maioris fidei ergo) *das iſt geweſen der erſt Tag Decembris, hat der Hochgeborn Fürſt Herzog Georg loblicher Gedächtnus bald nach ſiben des Morgens als er Mes gehort, und der Prieſter das Evangelium Initium S. Ioannis geſprochen hat, ſein letzt Tag hie zu Ingolſtat in newem Sloſs in der obern groſſen Stuben neber der Thür, ſo man in Thurn gegen der Stat hinaus get, Criſtlich beſloſſen, und durch Maiſter Micheln Schmid Statarzt ſein Ingewaid aus im geſchnitten. Das Herz iſt geſund, allain die Lebern als ſey ſie erſotten und voller böſer Blattern geweſen, das gen unſer lieben Frawen zu der Fürſten Grebnus begraben, und ſein Tod bis an Sant Niclas Abent verhalten und im Cloſtern unter der Verkunt, als ſolt er dieſelben Nacht erſt geſtorben ſein.* Igitur Dux GEORGIVS non quinta, vt Rotmarus ſcribit, ſed prima die Decembris ex hac vita migrauit. Vigilias atque Officium funebre pro defunĉto celebrauit *Ioannes* Abbas Cæſareenſis. Landishutum vſque demortui Ducis cadauer proſecuti ſunt IOANNES *Landgrauius Leuchtenbergenſis, Comes Balthaſar de Schwarizburg*, atque alii nobiles.

Natus fuerat Dux GEORGIVS anno 1455. Vxorem habuit HEDWIGEM CASIMIRI Poloniæ Regis filiam, ex qua præter memoratam ELISABETHAM, aliam ſuſcepit filiam MARGARETHAM nomine, in Monaſterio Altenhohenauienſi DEO deuotam. Animi ac corporis indolem Ducis GEORGII *Ladislaus Sunthemius* apud *Oefelium* Script. Rer. Boic. Tom. II. pag. 568. his verbis deſcribit: *Fuit Princeps fortis & audax & libenter haſtiluſit atque venationi operam dedit & aucupio. — Fuit in facie morpheaticus & barbam habuit ad rubedinem tendentem*; imo rufam eamque promiſſam, quod eiusdem effigies in Collegio Georgiano hodiedum viſenda manifeſte, & ad oculum demonſtrat.

ANNO DOMINI MDIV. A. 1504.

Reĉtor. LXIV. GEORGIVS BARTH &c. Reĉt. III.

Reĉtor LXV. M. MICHAËL PVTERSASS &c. Reĉt. II.

A.
1504. Inſcripti 23. inter quos unus
Nobilis, *Sebaſtian. Seyboltſtorfer* ex Schenkenaw.
Nou. Doct. *Georg Pebam*, ex Pleinfeld. } *Medic.*
Wolfgang. Kern, Landishutan. }

Mortuo Illuſtriſſimo Principe GEORGIO Duce Bauariæ, cum prole maſcula deſtitutus, vnicam tantum filiam, ELISABETHAM nomine reliquiſſet, RVDBERTO Palatino, PHILIPPI Palatini filio nuptam, illa quarta feria poſt Dominicam *Quaſimodogeniti*, abſente marito Duce RVDBERTO, Landishutam ingreditur, eamque in fidem ſuam recipit, aſſiſtente eidem Domino *de Roſenberg*. Hinc inter ALBERTVM quartum Ducem Bauariæ & RVDBERTVM Palatinum de bonis & ditionibus, vrbibusque Ducis GEORGII diſceptari eſt inceptum, cum hic teſtamento & iure affinitatis atque etiam ſanguinis, propterea quod & natus ex eiusdem Ducis GEORGII ſorore eſſet, & filiam pariter in matrimonio ſibi copulatam haberet: ille vero ſucceſſionis & familiæ prærogatiua niteretur.

Res itaque, & controuerſia de hæreditate facta, ad Imperatorem MAXIMILIANVM, cuius ſororem KHVNEGVNDIM Dux ALBERTVS coniugem habebat, tanquam ad arbitrum eſt ab ALBERTO Principe deuoluta; ſed fruſtra.

Ad manus igitur ventum, & hoc ipſo anno grauiſſimum illud bellum, quod maiores noſtri, memoria repetentes Bauaricum appellabant, exortum eſt. In Palatini igitur ditiones miles irruit, vaſtandoque graſſatus; ac longius proceſſiſſet furor armatorum, grauioraque Palatinus detrimenta accepiſſet, eoquod præter inhibitionem, & interdictum Cæſaris filii partibus ſuppetias ferret, quanquam iam acceperat grauiſſima, niſi iratus D. MAXIMILIANI animus, qui ſuas interpoſuerat partes, proſcriptumque Palatinum armis perſequebatur, a CHRISTOPHORO Marchione Badenſi placatus fuiſſet.

Eodem itaque anno, quo bellum flagrare cœperat, interuenientibus arbitris, per modum tranſactionis, eſt extinctum. Nobiles Boii iuxta vrbem Ingolſtadianam caſtrametati erant, quique tum in caſtris militabant, quorum anteſignani erant *Bernhardinus a Stauf Baro in Ernfels*, & Nobilis quidam *a Rorbach*,

bach, cuius nomen tempeſtatum iniuria obliteratum eſt, feneſtram illam ſuperioris templi, apud D. Virginem, ſupra portam ſeptentrionalem poſteriorem, qua ad Eccianas exitur ædes, propriis expenſis fieri curarunt. A. 1504.

Vniuerſitas, vt in tanta Bauariæ confuſione ac tumultu rebus ſuis conſuleret, literas fundationis ac cenſuum apud capitulum Auguſtanum, tanquam tutiori in loco depoſuit.

Rariorem hoc anno ſtudioſorum aduentantium fuiſſe numerum eſt credibile, propter tumultus bellicos, quibus & Bauaria & Palatinatus turbabatur.

* Rerum durante hoc bello apud Ingolſtadienſes geſtarum ſeriem exactius multo deſcripſit ſupra memoratus *Andreas Zaynerus* huius Archigrammatæus, ex quo ea ſaltem ſupplere iuuat, quæ Academiam noſtram concernunt. Inde ab obitu GEORGII Ducis, contendentibus de ſucceſſione ALBERTO & WOLFGANGO Bauariæ Ducibus ex vna, & RVPERTO Comite Palatino ex altera parte, Patres academici communi cum Gubernatore ac Magiſtratu ciuitatis conſilio, nulli ſeſe ex dictis Principibus commiſere; ſed quaſi neutrarum interea partium expectabant, quem Statuum prouincialium ac Cæſaris etiam MAXIMILIANI iudicio agnoſcere Dominum deberent. Tandem menſe Maio h. a., die vigeſima quarta, cum RVPERTVS banno Imperii proſcriptus, ALBERTVS vero & WOLFGANGVS legitimi ſucceſſores cæſarea ſententia eſſent declarati, hi ipſi vrbem noſtram ingreſſi, ac publico in foro, ſicut a reliquis ordinibus, ita ab academico etiam Magiſtratu excepti, ſalutatique ſunt; quibus & biduo poſt fides iuramento confirmata eſt. Ab hoc tempore ardere vehementius bellum cœpit, quod incendiis magis quam præliis geri videbatur. Die tandem trigeſima Iulii ſequentis anni 1505. per ſic dictum Laudum Colonienſe controuerſia a Cæſare deciſa, & pax reſtituta eſt, domui quidem Bauaricæ omni bello perniciosior; illa enim Bauariæ portio, quam hodie *Ducatum Neoburgicum* dicimus, *Nordgauia* item & *Sulzbacum* RVPERTI hoc anno demortui filiis; *Ratenberga*, *Kueffſteinium*, *Kytzbühla*, *Kirchberga*, *Weiſſenhornium* & plura alia MAXIMILIANO Cæſari; *Reicheneckium*, *Heerſpruckium*, *Laufa*, *Allersberga*, *Hohenſteinium* Norimbergenſibus; alia aliis ALBERTI Fœderatis cedi debuere. Ita Ducis GEORGII hæreditas ab ipſis legitimorum Succeſſorum amicis fuit circumciſa.

Petrum Baumgartnerum Iurium Doctorem, illum ſine dubio ipſum, qui Canonum apud nos Profeſſor, ac bis Rector fuerat Vniuerſitatis, inuenio non tantum inter equeſtres Prouinciæ Status habuiſſe locum, ſed etiam ad memoratam ſucceſſionis cauſſam Statuum ſelectorum Cancellarium fuiſſe, eoque munere tam fideliter ac integre functum eſſe, vt in ipſius MAXIMILIANI Cæſaris inuidiam inciderit, qui ſuſpica-

A. 1504. ſpicabatur ſcilicet, vnum maxime Doctorem Baumgartnerum ſuis conſiliis obſtare, quæ vnice ad amplificandum ſuum ex hæreditate Georgiana imperium ſpectabant. RVPERTVS etiam Comes Palat. domum, quam Doctor *Petrus Baumgartner de Frawenſtain* Landishutæ habebat, *Wilhelmo Comiti de Hennenberg* donauit. Is illam, dum abit, diruit, ac ſupellectilem octo in curribus ſecum abducit; quam tamen prædam Equites boii, qui prope Ingolſtadium in caſtris agebant, de nouo prædati ſunt. Reliqua huius *Baumgartneri* geſta ad obitum vſque mihi comperta haud ſunt: ſufficit hæc Academiæ noſtræ gloria, Virum tam nobilem, tam communi patriæ ſtudioſum, quondam Profeſſorem ac Rectorem habuiſſe.

A. 1505.

ANNO DOMINI M D V.

Rector LXVI. M. GEORGIVS SCHWEBERMAIR &c. Rect. II.

Rector LXVII. M. IOANNES FALTERMAIR.

Inſcripti 138.

Nobiles: *Ioannes de Schawnburg*, Can. Auguſt.
Caſpar. Liechtenſtainer, ex Ingolſtat.
Erbaldus Zobel ex Gibelſtat, Can. Eichſtett.

Nou. Prof. *Ioannes Böſchenſteiner*, Prof. Ling. Hebr.

Sæuiit peſtis, bellici furoris plerumque comes; *eamque* hoc integro anno eſſe graſſatam, cum paucitas Studioſorum, qui in album Vniuerſitatis ſunt relati (*primo ſemeſtri nonniſi triginta ſunt inſcripti*) tum ipſemet e viuis exemptorum numerus teſtatur. Præter Doctorem enim *ab Adorf* (*de quo mox pluribus*) duo alii Doctores, Dominus *Thomas Wenigel*, (Landsbergenſis) Theologus, & *Petrus Formair* (Reicherſteinenſis) Medicus, item ſedecim Magiſtri Artium, & Baccalaurei octo, cum extra, tum intra Academiam perierunt peſte.

Ioannes Permetter, *Adorfenſis*, SS. Theologiæ Doctor, (de quo ad annum 1473.) hoc anno exceſſit e viuis *pridie* Nonarum Octobris; Vir pius eruditusque. Triceſies & ſemel Decanatus Theologici munere eſt perſunctus. Rectoris vero officio decies. Fuit Parochus apud D. Virginem, fidelis Paſtor, & ouium ſuarum amantiſſimus, quas ne peſte quidem vehe-

A. 1505.

vehementer graſſante, cum vitæ ſuæ periculo, veluti euentus docuit, deſerere voluit. Nam hoc ipſo anno, cum peſtis Scholam, vrbemque Ingolſtadianam grauiter affligeret, poſt multos exantlatos, tum in docendi munere & Cathedra Scholaſtica, tum concionandi publice officio, & animarum cura, labores, eadem lue peſtifera infectus 6. Octobris diem ſuum obiit. Vnus eſt ex omnibus Parochis, qui inſalubrem eius Parochialis domus aërem expertus, in ea functione diem ſuum obiit: cæteri omnes reſignarunt. Et ſepultus eſt apud B. Mariam Virginem in choro, vbi poſterioribus annis etiam *Iacobus Ionas* Vicecancellarius Cæſareus, *Nicolaus Euerhardus* ſenior, Iuriſconſultus, & anno 1578. Reuerendus Dominus *Martinus Eiſengrein* terræ mandati iacent. Duo ſibi, vnum lapideum, alterum vero ligneum & quidem pictum ad parietem iuxta ſacrarium, ſibi monumenta erigi voluit. In lapideo eiuſmodi eſt Epitaphium:

Adorf me genuit: docuit Lipſ. Theologiæ,
Eccleſiaque gradum tradidit Auripolis,
In grege Paſtor eram, fidei myſteria pandens;
Grex manet, at, ductor peſte furente cadit.

Ligneæ tabulæ eiuſmodi eſt inſcriptum Epitaphium priori Tetraſticho aliquanto elegantius, quanquam vtrumque ſimplicem antiquitatem ſapiat: Epitaphium ad poſteritatem Egregii viri & Domini *Ioannis Adorfenſis* Theologiæ Profeſſoris editum.

Mortales ſi flere iuuat, deflete Ioannem
Ex Adorf, precibus huncque piate locum.
Poſt cineres, buſtique faces qui digna meretur
Stemmata, virtutis & monumenta ſuæ.
Doctor enim celebrem per bis tria luſtra Cathedram
Gymnaſii tenuit, Theologia, tui.
Principis auſpicio Lipenſi ductus ab arce,
Palladis hic niueæ ſemina prima dedit.
Gnarus Aquinatis Thomæ documenta ſecutus,
Scripturæ prompſit ſenſa profunda ſacræ.
Hieronymi ſiquidem redolentia ſcripta diſerti
Excoluit, reliquos nec ſine laude Patres.

Solli-

A. 1505.

Sollicitus Chriſti Myſtes Rectorque popellum
Moribus, exemplo, legibus inſtituit.
Virginis æthereæ, quæ ſancta protulit aluo
Chriſtum, cultor erat ad pia ſacra frequens.
Quas grates non ſoluit homo, dabit auctor Olympi,
Cum frontem nitidam, cælica ſerta prement.

Tertium Epitaphium ſeu monumentum potius eſt illi in Schola Theologica, eiusdem Facultatis ſtudio, opera & impenſis, cum pictis in medio inſigniis eius gentilitiis, paratum, quod eiusmodi eſt: *

Anno Domini 1505. *ſexta die Octobris obiit clariſſimus artium & Sacræ Theologiæ Magiſter, D. Ioannes de Adorf, quintus Plebanus B. Mariæ Virginis; primus Ordinarius in Theologia, & præfuit Cathedræ magiſtrali in eadem quaſi ad triginta tres annos, vtiliter legendo, & diſputando, & primus magiſtralia inſignia in Theologia hic recepit: Cuius anima DEO viuat.*

Præter Epitaphia pium etiam & ſuæ pietatis ac liberalitatis monumentum reliquit in eodem templo D. Mariæ Virginis. Nam anno 1497. (*Engerdus ſcribit an.* 1479.) feneſtram illam ſupra Sacellum D. Ioannis propriis, nec iis leuibus, veluti res ipſa loquitur, expenſis fieri curauit.

Fundauit idem Adorfius duo ſtipendia pro Theologiæ Studioſis, & conferendi poteſtatem habet Facultas Theologica.

Mortuo *Ioanni ab Adorf* ſucceſſit in Parochiæ adminiſtratione *Ioannes Pliteml* Ingolſtadianus, Parochus ſextus.

* Ab ipſo ſcilicet ALBERTO Duce præ pluribus candidatis ad id muneris vocatus fuit ac præſentatus, licet ipſe nunquam pro eo obtinendo laborauerit; vt acta Facultatis Theologicæ teſtantur.

Hoc anno Facultas Philoſophica Bibliothecam ſuam nouorum librorum, ſcilicet operum Dionyſii, Chryſoſtomi, Alberti magni, Origenis & conſimilium emptione, amplificauit, auxitque.

* Pro *Ioanne Stab* ægrotante Notarius Vniuerſitatis aſſumtus eſt interea *Petrus Namer*, donec alius idoneus ex Magiſtris Artium haberi poſſit.

AN-

ANNO DOMINI M D VI.

A. 1506.

Rector LXIIX. M. STEPHANVS PRANTL ex Purkhaim, Decretorum Licentiatus. Rect. II.

Rector LXIX. M. IOANNES PLÜEML, S. Theol. Doct. Rect. IV.

Inſcripti 228.

Nobiles: *Wolfgangus Imhof* de Lauging.
Wolfgang. de Prackberg ex Perkhofen.
Wilhelm. Edelmann de Haſelbach.
Ludouicus Fröſchl ex Martzols, Can. Pataujenſ.
Wolfgang. Waltenhofer ex Prawnegk.
Ioan. Schönſtainer, Can. Patau. & Ratisbon.
Daniel Alatzhamer.

Nou. Prof. *Ioannes Plüeml*, Ingolſtadienſ. *Theol.*
Wolfgang. Lotter, Norimbergenſ. *Philoſ.*

Nou. Doct. *Ioannes Plüeml* &c. *Theol.*

* Ex magno inſcriptorum numero licet colligere, cum anni huius initio, peſtilentiæ non modo periculum, ſed plane metum quoque ſublatum fuiſſe.

Ioannes Plüeml die 13. Februarii h. a. doctoralibus inſigniis (Licentiatus gradum recepit in templo Beatæ Mariæ Virginis, anno 1486. die 19. Maii) a *Georgio Zingel* eſt donatus, & a Sereniſſimo Boiorum Duce ALBERTO Profeſſorum numero adſcriptus. Lectionem primam fecit 2. Martii.

Inter inſcriptos h. a. inprimis memorandi *Wolfgangus Lotter* Nornbergenſis, poſt Profeſſor Philoſophiæ, Decanus, & Rector Academiæ. II. *Ioannes Schröttingerus* ex Merklen, poſt Profeſſor Theologiæ, & Rector anno 1519. & 1525. de quo plura paulo poſt.

* III. *Nicolaus Fabri* ex Hailprun, Prædicator Mosburg. IV. *Fr. Auguſtinus Lupf* Ord. Eremit. S. Auguſt. Conuentus Norimbergenſis Prior. V. *Fr. Petrus Schweicker*, Ord. Carmel. Conuentus Dunkelſpühl. Prior. VI. *Ioannes Peurlein* de Gunzenhauſen ad an. 1515. Medicinæ apud nos Profeſſor, de quo alibi plura.

Aucta Facultatis (*Artiſticæ*) Bibliotheca libris Theologicis quinto, impenſis Facultatis.

 * Iaco-

A. 1506.

* *Iacobus Locher Poeta Philomuſus*, cum vix priori anno ex moleſta controuerſia cum *Georgio Zingelio*, quem mordaci ſcripto laceſſiuerat, emerſiſſet, in nouam hoc anno incidit cum ipſo Vniuerſitatis conſilio; cum ſcilicet ſpreto eiusdem mandato, atque contra obſeruatam hactenus conſuetudinem pulſu campanæ ad lectiones ſuas ſignum daret; id quod ipſi die 10. Aprilis h. a. ſub duorum florenorum, & ſi non deſiſteret, ſub maiori etiam pæna prohibitum eſt.

A. 1507.

ANNO DOMINI M D VII.

Rector LXX. GEORGIVS BARTH &c. Rect. III.

Inſcripti 216. inter quos

Nobiles; *Martin. Huſſicken* de Zymern, Can. Herbipol.
Sebaſtian. Nuſperger de Brennberg.
Georg. Winkentaler, Profeſſus O. S. B. Campidon.
Sigismund Wellwarter ex Leonrod.
Iohannes Frawnhofer de Frawnhofen.
Panthus, *Maximil.* *Sebaſtian.* *Gregorius* — *Barones de Loſenſtain*, Fratres.
Stephanus de Sinzendorf, Baro.
Bipertus de Anhaim, Can. Herbipol.
Hilarius Bropſt de Aesling.
Nicolaus Sonezeller ex Sonezell.
Adam. de Wolfſtain, Præpoſitus in Northauſen.
Balthaſar de Grünbach.
Lampertus Wiſendt ex Stain; Auſtriac.
Adam Schweinpech zum Haws, ex Marchia.
Eberhard. de Freyberg in Eyſenberg.
Anthon. Alberſtorfer de Alberſtorf.
Sebaſtian. Fridantzhofer de Meckenhawſen.
Ioannes Rieter de Boxberg.
Iohannes Silberberger de Silberberg.
Michaël Erſchinger de Twrnfeld.
Iohannes Fuchsſtainer ex Ebermansdorf.

Wil-

A. 1507.

Wilhelm. Comes de Montfort de Thetnang.
Ioachim de Stauff Baro in Ernfels.
Bernhard. Seybelſtorfer de Seyboltſtorf, Can. Ratisb.
Philippus de Gundelzhaim, Can. Baſil. & poſt ibid. Epiſcop.

Ex magno inſcriptorum numero præcipuam merentur memoriam. I. *Philippus de Gundelzhaim* Canonicus Baſileenſis, ac eiusdem Eccleſiæ anno 1527. electus Epiſcopus, qui anno 1535. a Zwinglianis Lutheranisque baſilea eiectus, ſedem ſuam Bruntrutum tranſtulit, vbi etiam anno 1553. mortuus eſt. II. *Chriſtophorus Kreſs* Norimbergenſis, Canonum poſtea Profeſſor Wittenbergæ; nondum mutata ſcilicet religionis & Academiæ illius facie. Inde redux Noricus Officiarius, quæ verba ſunt Matriculæ, factus eſt. III. *Andreas Haindel* de Kranach, Suffraganeus poſtea Herbipolenſis, aut *potius*, vt alia manus in Matricula academica notauit, *Babenbergenſis*: Neſcio cur *Rottmarus* Suffraganeum Pataujenſem dicat.

Hoc anno conſtitutum eſt ab Illuſtriſſimo Principe ALBERTO quarto, Sereniſſimi noſtri Principis ALBERTI quinti auo, vt in poſterum & Rectoratus & Decanatus dignitas integro anno continuaretur. Qua vero de cauſſa id Sereniſſima eius Celſitudo decreuerit, petentibusne id Academicis, an proprio motu, an aliis vrgentibus de cauſſis, nihil reperio. Reformationem certe circa id tempus in Academia factam ab Illuſtriſſimo Principe teſtantur acta Facultatis artiſticæ. Et durauit is annuus Magiſtratus vſque ad decimum ſextum annum.

Hoc ipſo 1507. anno reformatio facta eſt ſtatutorum & totius Vniuerſitatis ab Illuſtriſſimo Duce ALBERTO quarto, & confirmata, ſubſcripta, & ſigillo Illuſtriſſimi Principis communita in die Veneris Dominicam *Iudica* proxime præcedente. Circa ea ipſa tempora itidem, vt anno 1478. de Philoſophis dictum, inter Theologos fuit ſchiſma, & alii nominales, alii vero reales extiterunt Vtramque ſectam Illuſtriſſimus Princeps in ſua Academia ferri voluit: præſertim vero de veteri via loquitur, quod qui eam amplexantur, nullo modo expellendos cenſuit, propterea quod multi ex iis ab Eccleſia non recepti tantum, ſed etiam Canonizati, & pro Sanctis habiti, quorum doctrinam multi ex Franciſcanis, Dominicanis, & Auguſtinianis ſunt ſecuti.

A. 1507. Conſtituit etiam idem Illuſtriſſimus Princeps eodem tempore rationem eligendi Rectoris, & qui in Senatum & quot præter veterem conſuetudinem ſint recipiendi, quæ omnia hoc loci recenſere ſuperuacaneum eſt. Illam tamen immunitatem ab eodem Illuſtriſſimo Principe liberaliter Profeſſoribus conceſſam, præterire non poſſum, quod nullam de iis ædibus, quas poſſident, ciuico Magiſtratui debent ſteuram: de reliquis, ſi quas plures quis haberet, non item. Hoc ipſum priuilegium, neſcio quomodo a noſtris nunc intelligatur ciuibus, repetentibus importune a Profeſſoribus, non Doctoribus, tributum: Eadem immunitas Profeſſoribus multis poſt annis ab illuſtriſſimo Principe GVILIELMO contributa & confirmata eſt, patronis Scholæ exiſtentibus, magnifico & nobili viro *Leonardo ab Eckh*, Doctore *Georgio Stockhamero*, & nobili quodam *a Degenberg*, aulæ præfecto.

In eadem reformatione conſtituit Illuſtriſſimus Princeps, vt ciuicus Magiſtratus diligentem haberet inſpectionem, vt victualia, & quæ cætera ad vitæ humanæ ſuſtentationem ſunt neceſſaria, tolerabili pretio poſſent comparari; quid olim factum, neſcio, nunc quid fiat, rerum omnium pene intolerabile pretium demonſtrat.

Hoc ipſo anno Scholæ Tubinganæ Profeſſores liberaliter Ingolſtadienſibus omnia ſua cum Vniuerſitatis, tum ſingularum Facultatum communicarunt ſtatuta, datis literis in feſto Paſchatis.

* Occaſione ſcilicet mox dictæ Reformationis petiere Patres academici a Scholæ Tubingenſis Profeſſoribus Statuta tam Vniuerſitatis illius, quam ſingularum Facultatum atque etiam Burſarum, vt ex illorum comparatione cum ſuis iudicare poſſent, quid communi bono Vniuerſitatis reſpondere Illuſtriſſimo Principi oporteret.

* Nouam ordinationem Principis die 7. Aprilis exhibuit in congregato Vniuerſitatis Conſilio *Ioannes Plieml*, tum Rector; ad quam Profeſſores omnes ac ſinguli de nouo præſtiterunt iuramentum, hoc ordine: *Iohannes Plieml*, Plebanus beatæ Mariæ Virginis, Rector; *Georgius Zingl*, Vicecancellarius, ſacræ Theologiæ; *Ieronimus de Croaria*, *Theodoricus Riſicheus*, (Reiſach) *Georgius Bart*, *Iohannes Roſa*, Iurium; *Georgius Bæhem*, Medicinæ, Doctores. (*Wolfgangus Beiſſer* aberat tum a Conſilio) *Sebaſtianus Brentl* Decretorum Licentiatus; *Iohannes Faltermair* tum artiſticæ Facultatis Decanus, Dominus *Iacobus*

Locher

A. 1507.

Locher Philomuſus Poeta, *Michael Putterſaſs*, *Petrus Grünhofer*, *Georgius Schwebelmair*, (*Iohannes Zaler* abſens) *Chriſtoph. Tengler*. *Emeram. Moller*. *Iohan. Viſcher*. *Ioannes Salach*, Artium Magiſtri; *Iohannes Oſtermair* Aſtronomus. Illud ſingulare, Profeſſorem Aſtronomiæ neque Magiſterio Artium, neque vllo alio gradu inſignem fuiſſe.

Inuenio ab hoc tempore per integrum deinceps trimeſtre communi ſtudio atque opera laboratum eſſe, vt dicta reformatio ad maius Vniuerſitatis bonum executioni daretur. Varii hac occaſione ſublati ſunt abuſus in conferendo Baccalaureatus ac Magiſterii Philoſophici gradu, vt *Balnea*, *Fontanea*, *Chorea* &c.

Emigrauit ex hac vita in feſto Inuentionis Crucis *Gabriel Paumgartner* LL. Doctor & Profeſſor, Rector Scholæ an. 1481.

* Natus Norimbergæ, per continuos viginti ac nouem annos in noſtra hac Vniuerſitate Leges explanauit, vt memoria, ita ſine dubio etiam laude noſtra digniſſimus, niſi monumenta deficerent.

Obiit itidem hoc anno Dominus *Pancratius im Hof*, Decretorum Licentiatus & Præpoſitus in Inchofen: ſepultus apud Franciſcanos intra cancellos ad dextram. Eius familia & opibus & dignitatibus inter patritios Auguſtanos etiamnum claret.

Reſignauit Parochiam *Ioannes Plüeml* & ſucceſſit in eius locum *Ioannes Pettendorfer*, Parochus Septimus.

* De vtroque paulo inferius plura.

M. Georgius Schwebermair Regentiæ Collegii Georgiani renuntiauit, & in eius locum per liberam Facultatis artiſticæ electionem ſubrogatus eſt *M. Ioannes Zaller*, Regens Collegii noui ſecundus. Adminiſtrationem ſuſcepit 18. Iunii, & præfuit Collegio per 15. annos & menſes 10. (*præfuit vſque ad an.* 1516. *Adeoque nonniſi per* 9. *annos*).

* Ipſe quoque magnificus huius anni Rector *Georgius Barth* Monacenſis Iurium Doctor & Profeſſor die 22. Decembris in pleno Vniuerſitatis Conſilio ſignificauit Patribus academicis, ſe paucis abhinc diebus ſuum Profeſſoris munus ad manus Principis remiſiſſe; viderent igitur, vt ad feſtum vſque Diui Georgii huic ſuæ cathedræ de idoneo viro proſpicerent. Et vero eodem in Conſilio vnanimiter concluſum eſt *Sebaſtianum Prentl* Iurium Licentiatum commendatitiis ad Illuſtriſſimum Principem literis ad id muneris promouendum eſſe. Obtulit ſeſe paulo poſt ad idem officium *Conradus Schwabach* I. V. Doctor, literis etiam Iunioris Domini *de Stauf* commendatus. Sed reſponſum eſt, expectandam eſſe Illuſtriſſimi Principis de *Prentelio* ſententiam; tum

 forte

A. 1507. forte in huius locum, Inſtitutionum ſcilicet cathedram, ſuccedere ipſum poſſe.

Eodem anno conuentum ſeu comitia prouincialia celebrauit Ingolſtadii Illuſtriſſimus Princeps ALBERTVS.

MAXIMILIANVS Rex Romanorum conuentum Imperii habuit Conſtantiæ ad lacum Podmanicum, propter Italicam profectionem pro corona recipienda.

A. 1508. ANNO DOMINI M D VIII.

Rector LXXI. M. IOANNES ZALER, Ducalis Collegii Regens, Rect. II.

Inſcripti 142.

Nobiles: *Wolfgangus de Mengetreut.*
Waltherus de Hohengeroltzegk, Baro.
Wilhelmus Haslinger ex Hasling.
Criſtoferus de Seckendorff, Can. Bamberg.
Wolfgang. Stieber de Puttenham.
Wilhelm. Heſsperger de Heſsperg.
Sebaſtian. de Seckendorf, Can. Bamberg.
Guttan. de Stain, Can. Herbipol.
Vdalricus Eyſenreich ex Landſperg.
Mauritius Turner de Turri.
Iohannes Sebaſtian. de Husham.

Non. Prof. *Conradus Schwabach*, I. V. Doctor & Profeſſor.
M. Ioannes Pettendorfer, SS. Theol. Baccal. Plebanus ad D. Virg. & Theol. Profeſſor.

Hoc anno (*die* 10. *Martii*) deſiit in viuis eſſe Sereniſſimus & Illuſtriſſimus Princeps ac Dominus ALBERTVS eius nominis quartus Dux Bauariæ, ſingularis literarum & Academiæ Mecœnas: id quod conſtitutiones eius cum ſuperioribus annis, tum aliis præteritis factæ, & conceſſæ immunitates teſtantur.

* Quam is merito tulerit *Sapientis* cognomentum, ſi cetera deeſſent, illa ſola comprobat Sanctio pragmatica, qua ius Primogenituræ, vt vocant, in Bauariam introduxit, ac ſimul fœcundum extinxit bellorum ſe-

A.
ſemen. Multa ſperare poterat Vniuerſitas noſtra ex longiori eiusdem 1508.
vita, cum vel a breuiſſimo hoc tempore, quo ſubeſſe illi Ingolſtadium cœpit, tot ſaluberrimæ pro incremento literarum, pro morum diſciplina, ac pro ipſo etiam commodo Profeſſorum, emanarint conſtitutiones; pro quarum executione poſt ipſius etiam obitum impigre laboratum eſt. Mandauerat nuper Sereniſſimus, vt ad conſeruandam in plateis quietem nocturnam octo circitores conſtituerentur. Ea res ne nouis turbis occaſionem præberet, conuenere die 26. menſis Martii in Refectorio Franciſcanorum Præfectus vrbis *Georgius de Aw*, trium Facultatum Decani cum Notario Vniuerſitatis, *Hainricus Mugkentalerus* Iudex ciuitatis, *Georgius* item *Kaiſerus* Magiſter ciuium, cum *Wilibaldo Schwabio*, *Vito Beringero* & Archigrammateo vrbis. Hunc ad conſeſſum vocati circitores, lectaque Principis ordinatione officii ſui admoniti, iuramento fidem ſuam obſtringere ſunt iuſſi, primo quidem Præfecto vrbis nomine Principis, dein Academiæ, ac demum ciuitati.

* Circa hoc tempus noſter Iurium Profeſſor *Hieronymus de Croaria* declarauit pleno in Senatu, ſeſe acceptaſſe officium Fiſcalatus Cameræ regiæ Maieſtatis, ſiquidem continuandum illud eſſet, ac conſenſiſſe in hoc ipſum Principem noſtrum Illuſtriſſimum, cum promiſſo, ad feſtum vſque S. Galli neminem alium ſui loco conducendum fore Profeſſorem.

Vigeſimo ſexto die Aprilis, anno eodem valedixit rebus humanis Reuerendus vir ac Dominus *Georgius Zingel* artium & S. Theologiæ Doctor & Profeſſor, Rector quarto, Academiæ Procancellarius ſecundus, & duorum Stipendiorum in Academia Fundator: Sepultus apud Franciſcanos, intra cancellos templi ad ſiniſtram, cum marmoreo monumento, parieti affixo.

* Cui ſequens inſcriptum eſt Epitaphium: *Anno Dni MCCCCCVIII. die XXVI. Aprilis obiit egregius vir Georgius Zingel, artium & Theol. Lector ordin. & Procancell. Studii Ingolſtatenſ. cuius anima DEO viuat.*

Quam vero bene de Republica ſit meritus, quamque Vniuerſitati, & præſertim Theologis, charus extiterit, teſtatur monumentum, quod illi Facultas Theologica in Schola ſua pingi ſcribique curauit, hoc tenore:

Reuerendo Patri, artium ac Theologiæ Doctori, Domino Georgio Zingel inclytæ Eiſtetenſis Eccleſiæ Canonico, Vicecancellario, & Ordinario famigeratiſſimo huius Gymnaſii, qui Cathedræ docte & egregie circiter annos 35. cum magno Studioſorum incremento præfuit, Magiſtratus & officia ſeuere ac grauiter adminiſtrauit, nec veritus ob iuſtitiam iniurioſos ictus pati, Eſaiæ diligens obſeruator. Vixit annis 80. *menſibus*

3.

A. 1508. 3. *diebus 4. Fato ceſſit anno Virginei partus* 1508. *die* 26. *Aprilis: Alma Theologica Facultas præceptori pientiſſimo & de ſe optime merito*, P.

* Natus eſt *Zingelius* Schlierſtadii in Ottonia, vt vocant, ſilua; Viennæ dein in Auſtria ſeptendecim annos cum diſcendo, tum docendo conſumſit. Anno poſt conditam Vniuerſitatem noſtram tertio, ex celeberrimo illo Studio, Matre noſtra, per Principem LVDOVICVM Bauariæ Ducem, cum magno honore, vt in Theologica Facultate ordinarie profiteretur, accerſitus & conductus eſt pingui ſtipendio. Intra tres & triginta annos, quibus Profeſſorem egit, Decanatu Theologicæ Facultatis triceſies & ſemel eſt perfunctus: octo Doctorum Theologiæ Pater, vt tum vocabant, ſeu Promotor extitit. Quam fuit in docendo ſolers & ſubtilis, tam grauis fuit atque ſeuerus in adminiſtrandis omnibus officii ſui partibus. Videtur ob eam ipſam rem in nonnullorum ac in *Iacobi* præcipue *Lockeri* inuidiam incidiſſe, qui aduerſus venerabilem ſacerdotem mordaciſſimam ſcripſit, atque typis etiam euulgauit ſatyram, titulo quidem iuſtæ defenſionis, quaſi *Zingelius* diuum Thomam alioſque id genus ſuæ profeſſionis Doctores contemſerit, Poetas vaniſſimos, Philoſophos veneno-ſos, Iureconſultos rabulas & Legum venditores, Medicos autem ſicarios vocauerit, ſex & ſexaginta viros armis inſtructos in ſuam, *Lockeri*, cædem & calamitatem armauerit, Vniuerſitatis concilium in ſuam perniciem congregauerit, & quæ alia ſunt abſurdiora. Sed aduerſus has *Lockeri* calumnias *Zingelius* publico Vniuerſitatis (ſaltem plerorumque illius Profeſſorum) teſtimonio purgatus eſt, quippe quæ vindicandis illius honoribus libellum edidit hoc titulo: *Expurgatio Rectoris & Conſilii almi ac celebris Gymnaſii Ingolſtadienſis pro Domino Georgio Zingel ſacre Theologie Magiſtro ordinario & Vicecancellario in eodem Gymnaſio, nec non inclite Eyſtetenſis eccleſie Canonico, contra inuectiuam ſub velamine apologie a Iacobo Locher Philomuſo impie & iniuſte confictam.* Quæ nobis *Zingelium* immortalem reddunt, duo ſunt ſtipendia, quæ in Collegio nouo fundauit, primus omnium Ducis GEORGII exemplum ſecutus.

Hoc ipſo anno diſceſſit *Ioannes Plüeml* artium & S. Theologiæ Doctor, cum & Cathedræ Scholaſticæ & Parochiæ D. Virginis per annum vnum & menſes 7. præfuiſſet; & abiit Bruxellas Brureiniæ (*Bruchſaliam*) ad munus concionandi.

* *Et ſic Facultas Theologica deſiit in Vniuerſitate Ingolſtadienſi* (verba ſunt ipſius *Plüemelii* in actis Theolog. Facultatis) *donec iterum reſuſcitetur; quod vt breui fiat, velit DEVS Omnipotens.* Interea, quæ ad Facultatem Theologicam pertinent, omnia *M. Ioanni Peltendorfero* ſunt tradita, ad D. Virginem Plebano; qui licet nonniſi Baccalaureus eſſet Theologiæ, lectiones tamen habuit theologicas, atque ad

Conſi-

Conſilium etiam Vniuerſitatis, ipſo volente Principe eſt admiſſus. A. 1508.
Inuitatus quidem eſt ad vacuam Theologiæ cathedram *Achatius Haiſwaſſer* Eccleſiaſtes Eluacenſis, qui & die octaua Iunii coram Vniuerſitate comparuit, ac conditiones, quibus illud munus acceptaturus eſſet, expoſuit; ſcilicet, vt ſibi in annos ſingulos penderentur ducenti floreni, ac expenſæ omnes in gradum doctoralem, atque in transuehendas res ſuas faciendæ reſarcirentur; denique vt habitatio *Zingelii* ſibi aſſignaretur. Sed hæc cum diſplicerent Patribus academicis, reſponderunt tamen, exquiſitum iri ſuper eo negotio voluntatem Principis. Hic vero reſcripſit, vt dimiſſo *Haiſwaſſero*, de alio prouideretur. Vocati dein ſunt per literas in eam ſtationem duo alii Prædicatores, Bambergenſis ac Schorrendorfenſis; ſed neutri venire placuit. Denique *Philomuſus* eodem in negotio, cum conſenſu Vniuerſitatis Tubingam abiit, ad conducendum ſcilicet idoneum Theologiæ Profeſſorem; ſed & hic re infecta inde rediit. Sicque annus integer exactus eſt, nondum reſtaurata Facultate theologica.

Alia præterea cauſſa Vniuerſitati interceſſit cum capitulo, vt vocant, cathedralis Eccleſiæ Eichſtettenſis, ob præbendam canonicam, quæ ex morte *Zingelii* vacare cœperat, quamque Domini Capitulares extinctam volebant, parati centum aureos annuatim dare, ſi Vniuerſitatis expenſis ſupprimeretur canonicatus. Sed hoc quidem anno ea res componi non potuit.

Vndecima Maii conuocato Vniuerſitatis concilio (de verbo ad verbum ex Actis academicis omnia transſcribam) *ad inſtantiam nobilis viri Georgii de Av prefecti in Ingolſtat, qui nonnulla Vniuerſitati proponenda petebat ſibi per curatores Ducis Wilhelmi commiſſa, veniens ad concilium obtulit literas credentie. Vigore illarum propoſuit poſtquam ciuitas Ingolſtat virtute regii laudi veniſſet in ditionem Ducis Alberti generalem feciſſet ſanctionem prohibentem venationes maiores, ſed ſint quidam ſtudentes exeuntes in ſiluam Vorengrieſs & Pirken venandi gratia, in qua ſit concertatio inter Epiſcopum Eiſtetenſem & prefatum Ducem, commiſiſſent ergo ei curatores vt hec Vniuerſitati proponeret illa inhibendo curaret ne hoc de cetero fieret alioquin iuxta traditam ſibi a curatoribus formam contra eos procedere vellet.* Studioſius hæc adnotaui, quod primum ſit exemplum controuerſiæ ob venationes exortæ.

Eodem menſe Maio die 22. nomine WOLFGANGI Ducis Curatoris venerunt literæ ad Vniuerſitatem, quibus aſſignabatur dieta Monachii inſtituenda, in cauſſa ipſius Vniuerſitatis atque ciuium Ingolſtadienſium, qui ſcilicet priuilegia atque exemtiones quasdam academicas impugnabant. Scriptum eſt igitur *Hieronymo* inprimis *de Croaria*, vt ſtatuto die Vniuerſitatis cauſſam Monachii agat, deinde Epiſcopo etiam Patauienſi, Cameræ Iudici, vt eidem *Hieronymo* abeundi præſtet copiam. Ex ipſo Academicorum gremio miſſi ſunt Monachium *Ioannes Roſa* & *Wolfgangus Peiſſerus* Hieronymi ſcilicet adiuto-

A. 1508. intores. Atque hi Monachio reduces in vigilia Pentecoſtes coram congregatis Patribus academicis retulere, eo rem in dieta Monacenſi deductam eſſe, vt mitterentur Ingolſtadium Conſiliarii Principis, qui totum negotium in bonum Vniuerſitatis componerent; id quod anno demum ſequenti executioni datum eſt.

Ioannes quidam *Heringius* Vniuerſitati, ſeu potius Facultati iuridicæ, libros admodum multos teſtamento legauit; quo certe beneficio eſt meritus, vt ſaltem nominis, cum cetera ignoremus, memoria relinquatur.

A. 1509.

ANNO DOMINI M D IX.

Rector LXXII. M. IOANNES PETTENDORFER, SS. Theologiæ Baccal. Form. & ad D. Virginem Paſtor.

Inſcripti 126. in his erant

Nobiles, *Iohannes de Satelbogen*, ex Gertolfing.
Georg. de Hirnham, Can. Elwangenſ.
Sigismund. Steringer de Kalhin.
Georgius Pucher.
Iohannes Zenger, Can. Ratisbon.
Bernhard. Hauſner de Stetperg.
Oſwald. Fraunberger de Fraunberg.
Eraſmus Rordorfer de Rordorf.
Iohannes Wirſperger, Can. Ratispon.
Heinricus Vatterſteter de Vatterſtetten.
Wilhelm. d Eicheim.
Chriſtoph. Drether.

Nou. Prof. *Simon Ribeiſen*, Iuris vtr. Doct. & Prof.
Thomas Roſenbuſch, Monacenſ. LL. Doct. & Prof.

Nou. Doct. *Georg. Staudacher*, Landishut. }
Dauid Kremer, Friburg. } *Medic.*
Michael Prawn, Ingolſtad. }

De *Ioanne Petendorfero*, illud ſilentio præterire nec poſſum nec debeo, quod, poſteaquam Rectoratus dignitate potitus eſſet, diebus canicularibus profectus in Italiam, Ferrariæ doctoralia recepit inſignia.

* Inde

* Inde redux ad Academiam reſuſcitauit Theologicam Facultatem, vocato in auxilium Reuerendo Patre *Ioanne Forti* Artium & Theologiæ Doctore Studii Viennenſis, Prouinciale Ordinis Carmelitarum per ſuperiorem Germaniam, quocum plures Theologiæ cum Baccalaureos, tum Licentiatos creauit, Decanus ſimul ſacræ Facultatis & Vniuerſitatis Vicecancellarius. Plura de *Petendorfero* ad an. 1512. A. 1509.

Eodem anno in feſto D. Georgii fundata ſunt duo Zingliana ſtipendia in Collegio Georgiano, a *Theoderico Reiſach*, Iuris vtriusque Doctore, & *Georgio Schwebermario*, Doctoris *Georgii Zingelii* teſtamentariis, & ab Illuſtriſſimo Principe WOLFGANGO, Ducis WILHELMI curatore confirmata.

Notarii & Pedelli officium ſuſcepit *M. Georgius Schönlober*, (*Schönlöner Imbſtenſis*) 17. die Septembris: Functus eſt vtroque munere per ſexennium: Poſt anno 15. ab Academia diſcedens Illuſtriſſimi Ducis LVDOVICI Landishutani (*Fratris* WILHELMI) factus eſt Secretarius.

Hoc anno Sereniſſimi Principis WOLFGANGI mandato deſeruit profeſſionem ſuam Doctor *Theodoricus Reiſach*, Iuris vtriusque Doctor, & ad dignitatem aſſeſſoriam Spiram eſt profectus: in eius locum ſubſtitutus eſt ab Illuſtriſſimo Principe, tanquam Vicarius, *D. Simon Ribeiſen*, eodem ſtipendio, reſeruato interim etiam ſalario, Domino Doctori *Reiſach*. Id quod ægre ferebat Vniuerſitas, & tergiuerſabatur facere. Primo quia tantas expenſas ferre non poſſet: deinde quod iuxta ſtatuta, nemini per vicarium profeſſionem adminiſtrare liceret. Tertio, quod Doctor *Simon* presbyter eſſet, nec dum Doctoratum ſuum Vniuerſitati probaſſet.

* *Theodoricus Reiſachius* ſummis deinceps negotiis eſt adhibitus; inter quæ & illud eſt, quod anno 1513. viduam Scotiæ Reginam, Regis Angliæ ſororem Duci WILHELMO ſponſam præparare conatus ſit, quamuis irrito labore. Scripſit etiam nonnulla ſub nomine *Riſichei*, vti ipſus videre me memini, cum b. m. *Ignatii Cyriaci Schmidii* ſupellectilem librariam luſtrarem; quæ nuper magnam partem ad Pollingenſe Canonicorum Regularium Collegium emptione tranſiit.

Circa medium menſis Martii h. a. ad vrbem noſtram inuiſit Sereniſſimus Princeps noſter WILHELMVS, ac per complures hebdomadas in eadem commoratus eſt. Vniuerſitas ea occaſione vtendum rata, cauſſam ſuam cum huiate ciuitate controuerſam, oratore *Pettendorfero*, Principi propoſuit, illudque tandem obtinuit, vt per *Ioannem*

A. 1509.

de Peſſenhauſen curiæ Magiſtrum reſponderet, poſſe Vniuerſitatem antiquis priuilegiis atque immunitatibus perfrui.

Sic ad tempus ſaltem ciues inter atque academicos pax conſtituta eſt. De præbenda Canonicatus Eichſtadiani hoc quidem anno nihil concluſum eſt; etſi Vniuerſitas declaraſſet, permiſſuram ſe illius extinctionem, ſi Capitulum centum & quadraginta annuos florenos, ſcilicet aureos, daret.

A. 1510.

ANNO DOMINI M D X.

Rector LXXIII. M. Simon Ribeisen, LL. Doctor & Profeſſor.

Inſcripti 120.

Nobiles, *Andreas de Kienburg.*

Bertholdus } *de Rot*, de Ichſenhauſen.
Heinricus }

Ludouic. de Wolmershauſen, Can. Bamberg.

Chriſtoph. Marſchalk de Pappenheim, electus anno 1535. in Epiſcopum Eichſtettenſem.

Theobaldus Heel de Tona alta.

Georg. Füeger, ex Hall.

Wolfgang. de Knöringen, ex Helmetzhofen.

Nou. Prof. *Ioannes Eckius* &c. Prof. Theol.

Nou. Doct. Idem *Eckius*. *Theol.*

Michael Fenk, Gunzenhuſan. *Medic.*

* Inſcriptos inter erant inſignes viri, & ſæpe in his annalibus cum laude nominandi: I. *Ioannes Forti* Artium ac S. Theol. Doctor Studii Viennenſis, Prouincialis Ord. Carmel. per ſuperiorem Germaniam. II. *Leonhardus Marſtaller*, Norimbergenſis, poſthac Theologiæ apud nos Profeſſor. III. *M. Ioannes Maier*, ſeu, vt ipſe ſe ſcribit, *Maioris*, a loco natali, Eck in Allgoia, communiter *Eckius* dictus, Theologiæ Licentiatus Friburgi Brisgoiæ, vbi Philoſophiæ Profeſſor exſtiterat, Doctor vero in noſtra Academia a *Pittendorfero* creatus. Inuitatus a Sereniſſimis Bavariæ Ducibus Wilhelmo, Ludovico & Ernesto, ad initium Septembris huc delatus, ac die tertia eiusdem menſis albo academico inſcriptus eſt. Diſputauit eodem adhuc menſe *de Statu Infantium, qui ſine baptiſmo decedunt*, & tertio decimo Nouembris, die ſuo natali ſolenne lectionum ſuarum principium fecit.

Ro-

Eodem anno poſitum eſt lapideum pauimentum in templo D. Mariæ Virginis: & Facultas artiſtica ſedilia in duobus Sacellis, ad Orientem pro magiſtris, & alibi etiam pro Baccalaureis & Scholaribus, adeo vt 35. ſedilia eſſent, ſuis expenſis fieri curauit. A. 1510.

* Quæ Rotmarus de *Ribeiſenio* & *Ioanne Eckio* commemorat, ad annum ſequentem pertinent.

ANNO DOMINI M D XI. A. 1511.

Rector LXXIV. CHRISTOPHORVS TENGLER, Artium & Iuris Pontificii Doctor, Collegiatus.

Inſcripti 169. in quibus erant

Nobiles, *Wolfgang. de Rottaw*, Can Patau.
Hieronymus } *Martinus* } *de Croaria*, Fratres.
Chriſtofferus Prantner ex Hemmaw.
Georg. Kaltentaler ex Marbach.
Wolfgang. Zandtner de Zandt, Can. Ratiſpon.
Caſpar de Mondt de Cyre.
Fridericus de Aw.
Ludouic. Comes de Helfenſtain, Can. Colon. Argent. & Bamberg.
Gotfridus de Wolfſtain, Can. Auguſt. & Bamberg.
Hector de Guttenberg.
Wolfgang. Trenbeck de Trenbach.
Marcus de Knöringen.

Non. Doct. *Fr. Ioannes Reutter* Carmelita, *Theol.*

Simon Ribeiſen LL. Doctor & Profeſſor (*Vicarius ſcilicet Theodorici Reyſachii*) renuntiauit Rectoratui menſe Ianuar. poſt cuius diſceſſum ex Academia, magiſtratum adminiſtrauit *Ioannes Pettendorfer*, D. Theologus & Profeſſor, & inſcripti numero 36.

Hoc anno claruit in Academia noſtra *Ludouicus Comes ab Helffenſtain* &c. Eccleſiarum Cathedralium Colonienſis, Argentoratenſis & Babenpergenſis Canonicus: quo tempore in eadem

A.
1511. Academia literis operam dedit *Marcus a Knöringen*, nobilis Sueuiæ, electus Abbas Augiæ diuitis in lacu Veneto, infra Conſtantiam; de quo teſtatur Hiſtoria Heluetiorum, quod vltimus Augiæ diuitis Abbas fuerit, & circa annum 1540. Abbatiam *Ioanni a Wetza* Archiepiſcopo Lundenſi & Epiſcopo Conſtantienſi tradiderit.

Liceat mihi quoque candide Lector (*demus hoc memoriæ Rotmari vt deinceps quoque locum habeant his in Annalibus, quæ ipſe de ſuo patruo, parum quidem ſcitu neceſſaria, conſcripſit*) in meis luxuriare hortis & area, & qualemcunque, ſiquæ ex tantula poteſt percipi gloriola, laborum meorum mihi reddere mercedem.

Inſcriptus eſt hoc anno, die 28. Aprilis *Ioannes Rotmarus*, patruus meus, perpetua memoria mihi recolendus, ex pago Graſſau, vallis Graſſouienſis, qui vno milliari a Chimo lacu verſus alpes diſtans intra fauces alpium iacet, oriundus: ex parente natus hoſpitium & panni linei mercimonium exercente. Is cum circiter triennium paternis ſumptibus in Academia Ingolſtadienſi honeſtarum literarum Studio impendiſſet, & primam in liberalibus artibus (id quod anno 1512. circa angariam S. Luciæ factum) meruiſſet lauream, reuocatus eſt a parente domum, ac Salisburgum transmiſſus: Vbi cum in famulitio Cancellarii Reuerendiſſimi Archiepiſcopi Salisburgenſis (tenebat autem tum temporis Archiepiſcopatum *Leonardus a Keütſchach*, moneta paziorum notiſſimus) liberaliter ſeruiiſſet, in ipſa Cancellia (vt vocant) Principis, munus ſcribæ adeptus eſt. Quia vero ea temporum & religionis tranquillitate fœlices ſe arbitrabantur parentes, ſi quem ex ſe natum DEO & eius ſeruitiis conſecrarent, vt filius ſacris initiaretur, dies noctesque apud eum inſtabant.

Vicit parentum pietas, & ſacros ordines patruus meus ſuſcepit, & mox defuncto *Leonardo* Archiepiſcopo, ſucceſſori eiusdem *Matthæo Lang*, Auguſtano, & Cardinali fit a ſacris, ac paucis interiectis annis Cameræ præficitur; quo genere officii laudabiliter eſt functus, quoad Cardinalis Archiepiſcopus viueret. Eidem pariter muneri, poſtulato in Archiepiſcopum Illuſtriſſimo Boiorum Duce ERNESTO, tum Adminiſtratore Pataujenſi, per aliquot annos fideliter præfuit, donec aulæ, turba-

rumque

ſumque aulicarum pertæſus, officio renuntiaret, & pietate in parentem, tum adhuc ſuperſtitem & decrepitum permotus, in Parochiam ſuam Graſſau, ad patrios quaſi lares & ad ſuos concederet, quietique ſe tradere cogitaret. Interim tamen, quamdiu ruri ageret, atque pene etiam ad extremam vſque vitæ cataſtrophen, ſemper familiam & ſcholarium quaſi quoddam ſeminarium Salisburgi alebat, quinque ſcilicet vel ſex ex fratribus nepotes (in quorum numero & ego vnus fui) vna cum Pædagogo, qui literis dabant operam. A. 1511.

Verum cum iam pluſculos annos ruri conſumpſiſſet, ætasque magis ac magis ingraueſceret, ad ciuile vitæ genus redire ſtatuit, & ſub eodem Principe & Archiepiſcopo ERNESTO Salisburgum repetiuit, & vnica contentus præbenda, priuatam vixit vitam. Verum nec tum illi, vt ſtatuerat, penitus in otio & quiete viuere conceſſum. Etſi enim nullo amplius officio in aula ſe grauari pateretur, operam tamen ſuam Reuerendiſſimo Archiepiſcopo omnino denegare non potuit.

Itaque cum DUX ERNESTVS Archiepiſcopatui renuntiare vellet, per eundem vnum & ſolum meum patruum, nullo adiuncto, aſſiſtenteue, munus Epiſcopale, totumque Archiepiſcopatum ad manus Reuerendi Capituli Salisburgenſis libere reſignauit. Idem patruus meus poſt, & a Reuerendiſſimo Archiepiſcopo *Michaele a Khienburg* piæ memoriæ, & ab eo Principe, qui nunc rerum potitur, ſæpius ad aulam, & aulica officia liberaliter inuitatus, ſemper modeſte renuit.

Interim tamen in omnibus grauioribus Cameræ negotiis, non ſine iuſta remuneratione, a tribus his poſterioribus Archiepiſcopis, quoad viueret, eſt adhibitus, vtpote cui rationes Cameræ & totius Archepiſcopatus res intus & extra erant perſpectiſſimæ, & quoties vel Archiepiſcopus *Michael*, vel *Ioannes Iacobus* peregre proficiſcerentur, cura illi totius aulæ committebatur. Erat enim vir pius, in rebus agendis prudens, induſtrius, diligens & fidelis. Gratus & acceptus ſummis quibusque & infimis, Canonicis, aulæ proceribus, ciuibus Senatoriis & plebi. Beneficus in ſuos & liberalis ac miſericors in pauperes. Fuit in deductione funeris ipſius tanta hominum frequentia, & omnium ordinum concurſus, vt non priuatum presbyterum, ſed ſatra-

A. 1511. ſatrapam aliquem ad ſepulturam deferri crederes. Dicerem de hoc noſtro patruo plura, niſi res ſuſpicionis eſſet plena.

Illud tamen vnum haud grauatim addo, me illi pene omnia mea, ac præſertim prima literarum, nec illa infœlicia debere fundamenta, propterea que me, fratremque meum *Georgium Rotmarum*, LL. Doctorem & nunc temporis, Reuerendiſſimi Archiepiſcopi Salisburgenſis Conſiliarium aulicum, in Studiis ſub dura *Ioannis Molini* diſciplina, fratrem vero etiam in Academiis, complures aluerit annos. Viuat illius anima DEO, & æterna pace ac quiete fruatur.

Eodem anno Facultas Artiſtica multis Theologicis libris ſuam Bibliothecam auxit & locupletauit.

A. 1512.

ANNO DOMINI M D XII.

Rector LXXV. Ioannes Eccius, D. Theologus, Profeſſor, Procancellarius & Canonicus Aichſtadianus.

Inſcripti 191. in quibus

Nobiles, *Achatius de Liechtenſtain*, Can. Herbipol.
Ioannes Schafhauſer de Schafhauſen.
Alexander Hallecker de Halleck.
Hercules Gölde, Clericus.
Ioannes / *Fridericus* } *Füeger* ex Swatz.
Henricus Ken de Aur.
Caſpar de Fronſperg, Can. Auguſt.
Eberhard. de Hüenham, Can. Friſing.
Andreas Preyſinger.
Albertus Thüm de Newburg, Can. Elwang.
Ioan. Adam de Stain, Can. Elwang. &
Georg. Wilhelm. de Stain, Fratres.
Michael Puechpeck.
Sebaſtian. Moroltinger.
Laurent. Mansheimer.

Nou. Prof. *Balthaſar Huebmayr*, Fridbergenſ. *Theol.*

Nou.

A. 1512.

Nou. Doct. Idem *Huebmayr* &c.
Stephan. Septimius, Prior in Ebersberg. } *Theol.*
Paulus Rötinger, Nördlinganus.
Wernerus Vndergeuger, Bondorfenſ. } *Medic.*

Ad initium huius anni reſignauit Parochiam D. Virginis *Ioannes Pettendorfer*, D. Theologus & Profeſſor, & ſucceſſit in eius locum *Balthaſar Huebmair*, vterque religionis peſtis & ſcholæ ignominia: Parochus ab initio Parochiæ octauus, Academiæ vero quartus.

Vocatus eſt, *Pettendorferus*, Herbipolim, & Suffraganeus Epiſcopi conſtitutus. Ibi vero a Catholica religione defecit, & libidinis æſtu inflammatus vxorem duxit, & ad Lutheri caſtra tranſiit. Ei Facultas Theologica in ſchola ſua, in perfidiæ illius & periurii æternam memoriam, execrationemque monumentum, cum inuerſis gentilitiis inſignibus fecit, ac tale ſubiecit tetraſtichon, anno 1525.

Deſertor fidei, mendax e Præſule factus,
Ex paſtore lupus, atque lutoſus aper.
Vltricem tulit hanc inuerſo ſtemmate pœnam,
Fumida Plutonis quod modo tæda cremat.

Putamen fuit is *Petendorfer*, & quaſi excrementum noſtræ Academiæ, veluti & *Huebmarius*, de quo alibi.

* *Ioannes Eckius* cum anno ſuperiori Theologicæ Facultatis Decanatum geſſiſſet, hoc anno etiam Rector Vniuerſitatis eſt renunciatus, ac in reliqua omnia p. m. *Georgii Zingelii* munia ſucceſſit, Procancellarii ſcilicet Vniuerſitatis, & Canonici Cathedralis Eichſtettenſis. Inde colligere licet cauſſam Capituli atque Vniuerſitatis hoc tandem anno feliciter finitam eſſe.

Ioannes Waltenberger Ebershuſanus SS. Theol. Doctor ac Canonicus Rheinfeldenſis albo academico inſcriptus, atque ad Theologicæ Facultatis conſilium admiſſus eſt.

Obiit 9. die Maii *Ioannes Ramelſpach* (*Friſingenſis*) LL. Doctor, & Inſtitutionum per aliquot annos Profeſſor: Rector quarto, curiæ Aichſtadianæ Iudex officialis ad tempus, in Spiritualibus Vicarius, & chori S. Wilibaldi Canonicus. Eiusdem menſis die 14. obiit *M. Conradus Widman* Artium Profeſſor, & Parochus in Hoſpitali, ſepultus apud D. Virginem in Sacello D. Ioannis.

Q AN-

A. 1513.

ANNO DOMINI M D XIII.

Rector LXXVI. THOMAS ROSENPUSCH Monacenſis LL. Doctor & Ordinarius in quartum annum.

Inſcripti 186. in quibus

Nobiles : *Bernard. Kewsler* de Eppen, Clericus.
Ioannes } *de Wolfſtein.*
Bero }
Wolfgang. Krumeter de Ach, Cleric.
Iacob. de Rechperg de Hohenrechperg.
Matthaeus Weixer, Can. Eccl. Colleg. Monac.
Balthaſ. de Rechenperg, ex Franconia.
Ioachim Göldlin de Zürch.
Matthias Haunſperger.
Georg. Keſſenbüller, ex Carinthia.
Stephan. Heldritt de Heldritt.
Ioan. Balthaſ. de Gumppenperg, Can. Friſing. in Summo.
Eberhard. vom Stain., Can. Conſtant.
Eberhard. Peuſcher de Loienſtain.
Hainricus de Landaw.
Chriſtoph. de Laymingen, Profeſſus Ord. Can. Regul. S. Aug. in Aw, prope Waſſerburg.
Philipp. de Foitt de Salzburg, Can. Wirzburg.
Stephan. Wolff de Rot.

Non. Doct. *Leonard. Schmauſs*, Neoburg. *Medic.*

* Praeter mox dictos memoriam quoque noſtram meretur *Matthias Alberus*, poſtea Legum Doctor & Cancellarius Salisburgenſis.

Incarceratus quidam *Lucas Vehlin* Memmingenſis, propterea quod pauperem quandam mulierculam nocturno tempore tractarat miſere, opera, ſed & fraude *Balthaſaris Huebmair* Parochi ad D. Virginem, e vinculis & turri liberatus eſt. Parochus ob delictum 10. florenis Rhenenſibus multatus & per triduum in hypocauſtum Doctoris *Zingels* ablegatus, vt ne per feneſtram quidem proſpectus illi eſſet conceſſus. Laeſae praeterea neceſſaria ſubminiſtrare coactus fuit, & ſi contingeret eam mori, vt *Lucam Vehlin* Vniuerſitati ſiſteret.

* *Ioan-*

• *Ioannes Widmann* Pellio & ciuis Ingolſtadienſis hoc anno pie defunctus, teſtamento legitime condito fundauit ſtipendium in Collegio Georgiano pro Sacerdote ex cognatione Widmanniana, vel pro alio in cognatorum defectu, qui quot hebdomadis ter ſacrum faceret ad fundatoris intentionem. Cenſus annui huius ſtipendii erant duodecim floreni, & 34. Viertl, atque iterum 2. Scaffæ frumenti. Ius præſentationis in perpetua tempora penes Decanum & Senatum artiſticæ Facultatis eſſe voluit. Videtur hæc fundatio ſucceſſu temporis cum bonis Collegii fuiſſe commixta; ita vt & ius præſentandi, & ipſum ſtipendii nomen extinctum ſit. A. 1513.

ANNO DOMINI M D XIV. A. 1514.

Rector LXXVII. M. THOMAS RAMELSPACH, S. Theol. Baccal.

Inſcripti 266. in quibus erant,

Principes, FRIDERICVS Marchio Brandenburgenſis, Præpoſitus Herbipolenſis, &
GVILIELMVS Marchio Brandenburgenſis, *Fratres.*

Nobiles, *Iacob. de Cham* de Turrego, Suitenſ. Præpoſ. & Canon. Eccl. Colleg. Imbriacenſ. Diœceſ. Conſtant.
Wolfgang. Schwarzenſteiner zu Englburg.
Leonhard. / *Ioannes* } *Sinzenhofer*, Fratres.
Georg. de Neiperg, Paſtor in Schweigern.
Reynerus de Streitperg, Can. Bamberg.
Martinus / *Ludouicus* } *Comites de Oettingen*, Fratres.
Walthaſſar de Gülting, / *Achatius de Wireſperg*, / *Ioannes Reiſs de Reiſtenſtein*, / *Georg. de Dienna.* } ex familia DD. Marchionum.
Wolfg. Griesſtetter, Can. Regul. Perchtelzgad.
Matthias Pranndt ex Aibling.
Ioannes Rorbeck ex Mauern.
Wolfgang. Marſchalk de Pappenheim,
Ioan. Wilhelm. de Schwabſperg.

A. 1514. *Chriſtoph. Pregendorfer* ex Weiden.
Sebaſt. Zinger de Eulenpach.
Sigismund. Truchſeſs de Wetzhauſen, Can. Bamberg.

Inter Principes viros & Illuſtriſſimos Duces, primi Academiam noſtram, celebritate procul dubio eiusdem exciti, illuſtrarunt Sereniſſimi Principes ac Domini, Dominus FRIDERICVS & Dominus GVILIELMVS, Marchiones Brandenburgenſes, Duces Stetini, Pomeraniæ, Sclauorum & Caſſubiæ: Burgrauii Norinbergenſes, Principes in Rugen &c. Fratres Germani; relati in Album Vniuerſitatis, menſe Maio; dederunt operam literis ſub præceptoribus *Vdalrico Paur* de Parreut, concionatore in Nertingen, & *Ioanne Förz* de Kullnbach, vtroque presbytero. Id quod ego ſingulariter volui annotare, propterea quod cum ad bonos mores, tum etiam pietatem plurimum referat, ſub quibus quisque inſtituatur præceptoribus.

Parens eorum erat FRIDERICVS Marchio Brandenburgenſis & Burggrauius Norinbergenſis, qui præter hos etiam alios liberos ex SOPHIA, CASIMIRI Ducis Lithuaniæ, ac paulo poſt in regem Poloniæ poſtulati, & Anno Domini 1492. pie ac catholice in Chriſto defuncti, filia progenuit, nempe CASIMIRVM, GEORGIVM, IOANNEM & ALBERTVM.

* Patuit hoc anno, quid Principum, atque aliorum etiam Illuſtrium Academicorum præſentia non ad ſplendorem tantum Vniuerſitatis, ſed ad numerum quoque conferat; præter nobiles enim quamplurimos, ducenti omnino & ſexaginta ſex albo academico nomen dedere; atque hos inter nonnulli præcipuo quodam ſuo merito his in annalibus memorandi, vt I. *Georgius Stengelius* Auguſtanus, Theologiæ poſtea Doctor, trium linguarum peritus, Canonicus Friſingenſis, qui obiit anno 1554. in Vigilia S. Martini. II. *Georgius Stockhamer* Monacenſis, Scholæ noſtræ cum tempore Patronus. III. *M. Georgius Hauer* Turſchenreitenſis, Plebanus in Plädling, paulo poſt Canonum Doctor & eorundem apud nos Profeſſor, ac Parochus ad S. Mauritii. IV. *Ioannes Sickhart* de Puſchelsheim, poſtea I. V. Doctor ac Profeſſor apud Tubingenſes celeberrimus, & inter Ictos Germaniæ maximi nominis.

Controuerſiam hoc anno inter Duces Bauariæ GVILIELMVM & LVDOVICVM de regni paterni diuiſione ſcribit enatam Surius, cum GVILIELMVS ex teſtamento patris ALBERTI totum ſibi Ducatum vendicaret; LVDOVICVS vero fauore ac gratia va-

leret

ſeret apud ſubditos. Cæterum interpoſitis ſuis partibus D. Maximilianus primus Imperator diſſentientes inter ſe fratres facile in gratiam reduxit, controuerſiam diremit, & vnicuique ſuam Ducatus portionem aſſignauit. A. 1514.

* Videantur *Abhandlungsacta beyder Gebrüeder Nro* 22. *P. Ima ſub faſc.* 1. *ad finem*, apud Aettenkhofer pag. 403. & ſeq. vbi certiora de hac re intelligi poterunt, quam ex Surio.

Obiit Ingolſtadii 16. die Iunii Reuerendus & Nobilis vir ac Dominus *Chriſtophorus a Knöringen* Canonicus Auguſtanus: Sepultus apud D. Virginem iuxta Sacellum D. Trinitatis.

Item *M. Ioannes Parſchius* Burſæ Draconis Regens, cui Epitaphium æri inſculptum eſt in Sacello Fullonum, quod eiusmodi eſt:

Parſchius Auripoli Sophiæ Studioſus alumnus,
Laudati meruit ſigna Magiſterii.
Ille draconifera iuuenum Præceptor in æde
Artibus egregiis pectora culta fouit.
Antiqui tandem nactus conſortia fratrum
Collegii, fato fungitur vſque ſuo.
Quartus huius Cuſtos altaris marmore paruo
Conditur: hunc precibus lector amice iuua.
Obiit 11. Septembris.

Prouocatum erat ſuperiori anno, & appellatum in cauſſa quadam dimicationis a *Georgio ab Hiernhaim*, Canonico Aichſtadiano, ad Epiſcopum eiusdem Eccleſiæ, ab Vniuerſitatis Conſilio: acceptauit prouocationem Epiſcopus, & ius ſibi in noſtros Studioſos, præſertim Clericos eſſe voluit. Sed aliud Academici ſuis docuere priuilegiis. Ea res hoc ipſo anno menſe Decembri propoſita Sereniſſimo Duci GEORGIO (GVILIELMO). Is factum Vniuerſitatis approbauit, quod in appellationem factam non conſenſerint, nec Epiſcopi Aichſtadiani agnouerint imperium. Proinde *Georgius ab Hiernhaim*, caſſata appellatione, in carcerem detruſus eſt, & Academici ſaluam & integram ſuam Iurisdictionem obtinuere.

Anno eodem, 10. die Ianuarii, nobilis quidam *Laurentius Stainlinger de Stainlingen* turbas excitauit circa horam noctis vndeci-

A. 1514. decimam in domo *Ioannes Kelbels* (Oenopolam fuiſſe reor) ciuis Ingolſtadienſis, & ipſummet ædium Dominum ſtricto inuaſit gladio. Sed prohibitus a ſociis e domo eſt eiectus. Ille vero tranſacto per feneſtras gladio ipſummet *Kelbel* perſtrinxit. Fit clamor in vrbe, atrox eſſe commiſſum facinus; concurritur ad arma, & Conſul armata manu ad ædes Magnifici Domini Rectoris aduolat, petens *Laurentium Stainlingerum* incarcerari, quia lætaliter ab eo læſus eſſet *Ioannes Khelbel*, & iam morti proximus. Nihil obtentum a Magnifico Domino Rectore, & cauſſa in craſtinum reiecta, interim tamen ad obſidionem conceſſa domus, in qua *Laurentius* habitabat. Conuocato de mane Conſilio, cum res tractaretur, ecce reus adducitur, ad nudam Iudicis euocationem egreſſus. Facta eſt de cæde inquiſitio, & repertum eſt, ſaluum eſſe læſum, & dentem tantum infractum ciui *Khelbelio*; neque is quicquam pro damno compenſationis petiit. Fit riſui Magiſtratus ciuicus, & ab ipſis quoque ciuibus Senatus afficitur ludibrio, quod propter vnum effractum dentem, tantam excitarit tragœdiam, & circa trecentos & quadraginta ciues ad arma euocarit, qui ad diem vſque ab vndecima noctis hora in magna hyemis iniuria ſub armis ſtare, & atrociſſimum noctis frigus perferre ſunt coacti; iactatum proinde illud vulgo Horatianum:

Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus.

* *Ioannes Böſchenſtainer*, S. Linguæ Profeſſor, edidit hoc anno ſuam Linguæ Hebraicæ grammaticam.

A. 1515.

ANNO DOMINI M D XV.

Rector LXXIIX. Illuſtriſſimus & Sereniſſimus Princeps ac Dominus FRIDERICVS Marchio Brandenburgenſis, Dux Stetinæ, Pomeraniæ, Sclauorum & Caſſubiæ, Burggrauius Norinbergenſis, Princeps in Rugen, & Cathedralis Eccleſiæ Herbipolenſis Præpoſitus.

Prorector *Balthaſar Huebmair*, SS. Theol. Prof. & ad D. Virg. Parochus.

In-

Inſcripti 249. In quibus erant A. 1515.

Princeps, ERNESTVS Dux Bauariæ, Comes Palat. Rhen. &c.

Nobiles, *Sebaſt. Ebner* ex Purglein.
Conrad. de Bibrach, Can. Herbipol.
Ioannes } *Wilhelmus* } *de Trenbach.*
Chriſtoph. Ecker de Kepfing.
Euſtachius de Albn.
Iacob. de Puechberg.
Chriſtoph. Ioach. Nothaft.
Fr. Balthaſar de Firiberg, O. S. B.
Wolfgang } *Daniel* } *de Seuboltſtorf.*
Chriſtophorus Iud de Bruckpergk, de Friſinga.

Nou. Prof. *Franciſcus Burkhardi*, I. V. Doctor & Prof. Ord.
Sebaſtian. Schölnacher, LL. Licentiatus & Prof.
Ioannes Peirlein de Gunzenhauſen, Art. Mag. & Græcæ Literaturæ Profeſſor.

Nou. Doct. *Wilhelm. Roſenzweig*, } *Paulus Mildorfer*, } Norimbergenſes, *Medic.*

FRIDERICVS Marchio, Præpoſitus Herbipolenſis, & ſi *Latio* credimus, Canonicus Salisburgenſis, Rector Vniuerſitatis electus eſt die 24. Aprilis. Is tanti faſces Academicos & Rectoratum fecit, vt quanquam ab initio tergiuerſaretur, nec in electionem, ob cauſas grauiſſimas, iuſtiſſimasque velle conſentire videretur, precibus tamen Patrum Academicorum diutius reluctari, arbitraretur indignum. Itaque Rectoratum ſuſcepit, eumque cum honore ſummo geſſit. Erat tum temporis moleſtum gerere magiſtratum Academicum, vtpote qui integrum adminiſtrandus erat annum.

Nondum abſoluto Rectoratus tempore, Vicerector ab Academia diſcedit, & Sereniſſ. Princeps ipſemet reliquo temporis ſpacio Rectoratum, & negotia Vniuerſitatis per aliquot menſes, ſine Vicerectore, non ſine laude & Academicorum admiratione adminiſtrat. Qui in matriculam eius anni ſtudioſos ſcri-

A.
1515. ſcribendo retulit, id illi Principi encomium tribuit, quod totius Vniuerſitatis decus & virtutum exemplar fuerit.

Sub eius Rectoratu acceſſit ad Academiam noſtram Sereniſſimus & Illuſtriſſ. Princeps ac Dominus, ERNESTVS Comes Palatinus & Dux Bauariæ, ALBERTI quarti ex KHVNIGVNDE Archiduciſſa Auſtriæ, Imperatoris FRIDERICI tertii filia, & MAXIMILIANI primi ſorore filius: GVILIELMI quarti & LVDOVICI Landishutani frater, natuque minimus; de quo alias plura.

Præterea memorandi I. *Hieronymus Meyting* Auguſtanus. Fuit hic meo tempore Epiſcopus Chiemenſis & Suffraganeus Salisburgenſis, vir literatus, rerum experientia clarus, in negotiis agendis perquam induſtrius, ſtatura corporis virili & grandi. Vidi puer ab illo ſummum apud Salisburgenſes templum, quod D. Ruperto dicatum, turpi libidine & ſanguinis profuſione prophanatum erat, ſub Archiepiſcopo ERNESTO, Duce Bauariæ, repurgari, expiari & conſecrari. II. *Ioannes Peürle* ſeu *Agricola Hammonius* Medicinæ Doctor & Profeſſor, de quo anno 70. Eſt idem & anno 6. decima nona die Decembris inſcriptus: Verum & moris fuit apud maiores noſtros, & ſtatuta ita dictitant; vt qui abſunt per quinquennium a Schola, reuerſi iterum nomen dent albo Vniuerſitatis, id quod hoc loci factum arbitror.

* Scilicet *Ioannes Peürle* anno 1506. ſtudiorum cauſſa huc acceſſerat: Interea vxorem duxit Norimbergæ, ac Circulator factus (id manus illi tempori coæua in matricula academica notauit) omnes circum luſtrauit mundi plagas; dum tandem Ingolſtadium reuerſus græcæ literaturæ publicam hoc anno profeſſionem ſuſcepit, ac per continuos ſexdecim annos tenuit, cum demum anno 1531. Medicinæ Profeſſor eſt renunciatus. Plura ad an. 1570. quo ex hac vita migrauit.

III. *Caſparus Schoberus* Ingolſtadianus, primo Græcarum literarum Profeſſor Ingolſtadii; poſt cum Ferrariæ in Italia in vtroque iure Doctoralia eſſet inſignia conſecutus, reuerſus Ingolſtadium Iurisprudentiam publice docuit, nec ita multo poſt aſſeſſor in Camera Imperiali factus. Cum vero in legatione ad Imperatorem CAROLVM quintum, qui tunc Bruxellis commorabatur, febrem contraxiſſet, reuerſus Spiræ obiit, ætatis ſuæ anno vixdum vigeſimo (nono) ſingulare familiæ Schoberorum, & rarum vrbis Ingolſtadianæ decus & ornamentum. Extat in eius lau-

dem

dem Oratio *Cœlii Galcagnini* Ferrarienſis, in eiusdem autoris operibus, *fol.* 550. A. 1515.

* IV. *Matthias Rötterus* Waſſerburgenſis, Monachii primum ad Div. Virginem Ludimagiſter, tum Præceptor Sereniſſimi Ducis THEODONIS, quocum etiam Wolfratshuſii mortem obiit.

Menſe Maio huius anni Sereniſſimus Dux WILHELMVS *Leonardum Eckium*, *Illſungium*, *Ioannem Auentinum & Auguſtinum Kölnerum* in cauſſa Vniuerſitatis ac ſingularum Facultatum Commiſſarios, vt vocant, conſtituit; hi quid in eo negotio præſtiterint, quid reformarint &c. haud ſatis habeo cognitum. Quædam reformationis capita ſequens annus dabit.

Vniuerſitatis Mathematicum inuenio circa ea tempora fuiſſe *Ioannem Viſcherum*; qui hoc anno Facultati medicæ inſcriptus eſt.

ANNO DOMINI M D XVI. A. 1516.

Rector LXXIX. Illuſtriſſimus & Sereniſſimus Princeps ERNESTVS, Comes Palatinus Rheni, & Dux Boiorum.

Prorector *Sebaſtianus Schölnaher*, LL. Licentiatus.

Rector XXC. Illuſtriſſimus Princeps GVILIELMVS, Marchio Brandenburgenſis, &c. Frater Illuſtriſſimi Principis FRIDERICI Germanus.

Prorector *M. Andreas Hainlin* ex Cronach, S. Theologiæ Baccalaureus Formatus & noui Collegii Regens.

Inſcripti 228.

Nobiles, *Magnus Fetzer* de Vlma.
Wolfgang. Marſchalk de Pappenhaim, Can. Bamberg.
Martin. Stieber.
Georg. Marſchal, nobil. Cler. Eichſtettenſ.
Chriſtoph. de Seuboltſtorff.
Fabian. de Seckendorf, nobil. Cleric.
Carol. Comes de Ortenberg (Ortenburg).
Georg. Trenbeck de Dornberg.
Leo Löſch, nobil. Monacenſ.
Wolfgang. Goder, nobil. Monacenſ.
Eraſmus Preiſinger de Kranwinkel.

R *Ru-*

A. 1516.

Rupert. Notbaft de Kunting.
Servatius de Seiboltſtorf ex Schenkenaw.
Ioan. Mattheus Schad, MATTHÆI Cardinal. Gurcenſ. ex ſorore nepos.
Ioan. Rösler, Patrit. Monac. eiusd. Card. ex ſorore nepos.
Anton. Langenmantl, Patrit. Auguſt. eidem Cardin. ſanguine iunctus.
Georg. de Stain, Can. Auguſt.
Anton. Erſinger de Turingfeld, nobil. Cler.
Petrus Reich de Reichenſtain, Can. Baſil.
Wolfgang. de Layminger, Equitis aurati filius.
Georg. Ramſeider de Sallfelden.
Chriſtoph. de Tylo Pruckner.
Wilhelm. Truchſeſs de Wetzhauſen.
Ioan. Philipp. de Stain, Can. Auguſt.
Georg. Zenger de Adlmanſtein, Can. Pataunienſ.
Caſp. de Perg, Can. Bamberg.
Seufrid. de Zilhart.
Ioan. Adam. Wiſpeck.
Wolfg. Adolf. de Waldnfels, Can. Bamberg.
Paul. de Schwarzenberg Baro, Can. Mogunt. Bamberg. & Herbipol.
Ioan. Penzenawer.
Ioan. Georg. de Cloſen.
Georg. Reicherzhaimer.
Alexander Comes de Ortenperg (Ortenburg).
Erhard de Gumpenberg, Can. Friſing. & Ratispon.
Ioan. Redwitzer de Obern-Redwitz.
Carol. Schenk de Limpurg, Baro Imperii, Can. Bamberg. & Herbipol.

Nou. Prof. *Thomas Ramelſpach* ex Haimhauſen, *Theol.*
Nou. Doct. Idem *Thom. Ramelſpach*, *Theol.*

Sub Illuſtriſſimi Principis ERNESTI Rectoratu, annuus ille Magiſtratus, ab Illuſtriſſimo Principe ALBERTO quarto, anno 7. decretus deſiit, forte quia & Principibus viris & Academicis integrum annum occupari, diſtrahique non erat commodum.

An-

A. 1516.

Annua vero Decanatus Philoſophici adminiſtratio anno 11. ſublata eſt, per Commiſſarios Principis GVILIELMI *Ilſungum* & *Auentinum*.

Hoc ipſo anno diſceſſit Ingolſtadio 25. die Ianuarii *Balthaſar Huebmair*, ex Fridbergo oppido Bauariæ, non procul a Lyco & Vrbe Auguſtana oriundus. S. Theologiæ Baccalaureus formatus eſt Friburgi Briſiacorum creatus. Doctoralia autem inſignia recepit Ingolſtadii, anno 1512 die 2. Sept. Procancellario & Promotore *Eccio*. Cum per tres annos & menſes quinque docendi muneri apud Ingolſtadienſes præfuiſſet, vocatus eſt Ratisponam ad animarum curam in ſummo templo. Ratisponæ infectus eſt hæreſi, & cum primum ea res innotuiſſet, inde eſt eiectus. Waldishutum itaque (quod ad Rhenum eſt oppidum ſupra Baſileam, vt opinor) profectus, iterum curam animarum ſuſcepit, & ibidem, nihil de concepta ſemel malitia, hæreſique remittente animo, Anabaptiſtarum dux & autor eſt factus. At cum in eo oppido ſibi ſuæque hæreſi locum eſſe nullum intelligeret, eoquod ſub Catholicorum Auſtriæ Archiducum imperio eſſet, turpiter inde Turegum Heluetiorum aufugit, vbi pari laborans infortunio a Zwinglianis captus, & ad Palinodiam coactus eſt.

Solutus e vinculis in Morauiam proficiſcitur, aut quia tutiorem ſuæ hæreſi quærebat locum, aut quod fata ipſius eo ad pœnam ſuæ perfidiæ Hæreticum illum trahebant, & abiuratam rebaptizationis hæreſin inſtaurat, docet, publicatque. Quod cum Catholiciſſimus, & piiſſimus Rex FERDINANDVS, poſt Imperator, eius nominis Primus, intellexiſſet, nec tantam ſibi ſuis prouinciis ferendam eſſe peſtem, denique principiis in quocunque malo obſtandum, ſapienter ac pie arbitraretur, capi nefarium illum hominem, & Viennæ anno 1520. (1528.) cum in errore ſuo eſſet pertinax, vna cum coniuge falſo credita iuſſit comburi. Statuit illi in æternam periurii memoriam Facultas Theologica in ſua Schola, inſignibus inuerſis, monumentum, quo hæc notauit, ex quo & illa ſunt verba:

Deus tradat eum in interitum carnis, vt Spiritus ſaluus fiat, Amen.

A. 1516. Atque parieti hæc verba inſcripta, antequam Viennæ combureretur; erant meo iudicio, inſtar diuini oraculi, & de nefarii viri exitu Prophetiæ.

Huebmario profecto ſucceſſit in Parochia *Sebaſtianus Heiperger*, Quintus Academicus, ſed in ordine Parochus nonus.

* Certiora de erroribus *Huebmaieri*, ac de illius fatis, & tempore combuſtionis refert teſtis oculatus, Doctor *Ioannes Fabri* in Epiſtola ad Sereniſſimum Saxoniæ Ducem GEORGIVM, poſtridie eius diei, quo ſumtum de illo ſupplicium, perſcripta, ac typis euulgata, hoc titulo: *Urſach, warumb der Widertewffer Patron und erſter Anfenger Doctor Balthaſar Huebmair zu Wien auf den zehenden Tag Martii Anno* 1528. *verbrannt ſey. Gedruckt zu Dreſsden durch Wolffgang Stöchel M. D. XXVIII.*

Notarium (*pro Georgio ſcilicet Schönlönero*) hoc anno reperio fuiſſe *Georgium Frankenmann*, vſque ad decimum nonum.

Anno eodem vacante Regentia noui Collegii, e multis competitoribus electus eſt in Regentem eiusdem Collegii per Facultatem artiſticam, *M. Andreas Hainlin* ex Cronach 25. die Aprilis, præfuitque Collegio annum vnum & nouem Menſes.

* Huius electionis hiſtoriam Acta artiſtica paulo diſtinctius deſcribunt. Depoſito per Concilium Facultatis *Ioanne Zalero* ob magnam in Collegio adminiſtrando negligentiam, duo maxime candidati ſeſe offerebant, quorum vnum Bauariæ Dux ERNESTVS, alterum Duces Neoburgici OTHO HENRICVS & PHILIPPVS fratres commendabant. Reddebat ea res electores haud parum ſolicitos, quod maior pars redditunm Collegii in palatina ditione eſſet ſita; ERNESTI vero Ducis commendatio ab imperio differre parum videretur. Magiſtrum ergo curiæ ERNESTI Ducis *Leonardum Eckium* conuenere, qui ad Principem ſuum Facultatis preces deferret, nunc quidem palatinis Principibus cedere vt vellet. Sed ille ne audita quidem propoſitione affirmauit, niſi eligeretur Collegii Rector, quem Princeps ſuus vellet, ab ipſo Sereniſſimo electionem faciendam eſſe. Secunda igitur Februarii die ab artiſtica Facultate Collegii Georgiani Regens conſtitutus eſt *venerabilis vir M. Andreas Heinl*, quem ſupra Marchioni GVILIELMO in adminiſtrando Rectoris munere adiunctum vidimus.

Cæterum cum Illuſtriſſimus Princeps ante finitum Rectoratus tempus ab Academia diſcederet, quod erat reliquum, compleuit Vicerector, verum agens Rectorem.

* Fundatio noui Beneficii, in Sacello academico S. Catharinæ honoribus dicato, hunc ipſum in annum incidit. Non igitur alienum puto ab

ab his annalibus perbreuem & ipſius ſacelli & beneficii cum veteris tum noui hiſtoriam pertexere. Erexerat LVDOVICVS *Barbatus* Dux Bau. Ingolſtadienſis domum, quam vocant, præbendialem, quicum ſacellum diuino Spiritui ac memoriæ B. V. Mariæ & S. Catharinæ ſacrum coniunctum erat; ſed tum quidem absque ſtabili, quæ in eo perageretur, miſſa. LVDOVICVS igitur *Diues*, Dux. Bau. Landishutanus, cum Ingolſtadienſis ei portio ex hæreditate obtigiſſet, completurus piiſſimam Anteceſſorum ſuorum intentionem anno 1456. perpetuum pro dicto ſacello beneficium liberaliſſime ita fundauit, vt ſacerdos, cuius præſentandi ius ſibi ac ſuis ſucceſſoribus reſeruabat, in ſingulos dies poſt primam in Templo B. Virginis miſſam, ſacrum ibidem faceret, abſoluendum ſemper ante officium, vt vulgo loquimur, ſolenne. Poſtquam autem fundatio memoratæ domus ad recens erectam Vniuerſitatem translata, immo ipſum etiam ædificium in ſic dictum Collegium vetus conuerſum fuit, ſeruato tamen ſacello; redditus quoque beneficii mox dicti, neſcio qua auctoritate, quoue conſilio, vel tranſiere ad alios vſus, vel omnino interiere. Tandem hocce anno 1516. *Ioannes Megershaymer* Dunkelſpuhlenſis, Artium & Medicinæ Doctor, ac Reuerendiſſimi Domini LAVRENTII Epiſcopi Wurceburgenſis Archiater, nouum pro eo ſacello fundauit beneficium, ſatis pro illo tempore liberaliter. Ius autem præſentandi, poteſtatem item definiendi numerum ſacrorum, quæ quot ſeptimanis peragi debeant, penes Facultatem artiſticam illimitate prorſus eſſe voluit. A. 1516.

Maius eſt beneficium, quod Sereniſſimus Dominus ac Dux noſter WILHELMVS eodem anno toti Vniuerſitati conceſſit, ſcilicet ius nominandi ac *reſpectiue* præſentandi ad Parochias Abenſpergenſem, Wemdinganam & Schongauienſem; item ad *Capellanias* & *Altaria*, ad quæ Sereniſſimus præſentandi ius habet.

Cum hactenus in Philoſophia Ariſtoteles tantum & *Petrus Hiſpanus* prælegerentur, compoſuit hoc anno *Ioannes Eckius*, auctoritate ſcilicet eorum, quos ſuperiori anno ad reformandum Academiam miſſos dixi, in vtrumque illum auctorem commentarios, impenſis Facultatis Artium Auguſtæ impreſſos, qui deinceps publice explicarentur. Voluere iidem Reformatores, ac *Leonardus* maxime *Eckius*, vt *locationes*, quas vocabant, ſecundum Doctrinæ ordinem in Baccalaureorum ac Magiſtrorum gradibus omitterentur. Sed cum Artiſtæ reponerent, maximum hac ratione ſtimulum diligentiæ ſublatum iri, adquieuit pro ſua prudentia *Leonardus ab Eck*, nec quidquam in contrarium mouit.

Ad hunc annum ſtatuit eruditiſſimus *Lippertus* in ſua Diſſertatione academica initium ſocietatis literariæ, quam *Ioannes Auentinus* ERNESTI Ducis Præceptor Ingolſtadii inſtituit. Nec vero annus eſt alius, qui huius Societatis initio magis conueniat; inuenio enim pleroſque, qui huius ſodalitatis membra ſcribuntur, tum Ingolſtadii

A. 1516. commoratus fuiſſe; atque *Leonardum* inprimis *ab Eck* Sodalitatis Principem ac Patronum; *Ioannem Auentinum* illius Auctorem; *Georgium Behamum* Salicetanum ſiue Weidenſem; *Ioannem Kneiſſelium* Ingolſtadienſem; *Vrbanum Riegerum* ſiue *Rhegium* Lindauienſem; *Hieronymum Aufang* Pfaffenhofenſem; *Matthiam Kretzium* Landsbergenſem (Acta artiſtica Tubingenſem dicunt; ideo puto, quod in illa Academia Artium Magiſter ſit creatus) *Georgium Schachium* Wemdinganum; *Dauidem Rottmundum* Buchhornenſem &c. Hos vero præcipua quadam cum *Auentino* amicitia coniunctos fuiſſe, ex Actis artiſticæ Facultatis colligo; referunt enim ad primam Septembris, Magiſtrum *Ioannem Auentinum* comparuiſſe in concilio Facultatis, ac nomine Illuſtriſſimi Principis Arionisti, hoc eſt Ernesti petiiſſe nouam Burſam erigendam, cui præeſſe debeant *M. Vrbanus Rieger*, & *M. Matthias Kretz*. Quod autem *Lippertus* referat, pleraque carmina ab huius Sodalitatis hominibus edita, ex *Liliorum contubernio* ſubſcripta eſſe, mire iterum fauet; inuenio enim ad decimam tertiam Octobris hæc verba: *Eodem die Magiſter Matthias Kretz admitti petiit pro regimine Burſæ Lilii, cui petitioni Facultas annuit, & ei regimen Burſæ commiſit, conuentoremque conſtituit, ea tamen conditione, vt ſtatuta & leges Facultatis ſuper regimine burſarum obſeruet.* Videntur itaque in Burſa ſeu contubernio Liliorum ſuos quaſi conuentus celebraſſe, atque ex illo tanquam Muſæo partus ingenii ſui in lucem emiſiſſe. *Kretzium* ſubſequentibus etiam annis ſpeciali quadam gratia apud Sereniſſimos Bauariæ Duces valuiſſe, vt eadem Acta commemorant, haud dubie *Leonardi Eckii* & *Ioannis Auentini* commendatio fecit.

Ne autem vel dubitare quis poſſit, an dicta Societas literaria Ingolſtadii vnquam exſtiterit, literas afferam ab *Auentino* ſcriptas, quas Rottmarus ad an. 1541. a ſe, vt teſtatur, viſas, Annalibus inſeruit, hoc tenore:

Georgio Cuſpinio (Spies) *Boiemo*, *VI. Viro* (Sextumuiro ſeu Collegiato) *Gymnaſii Ingolſtadienſis Philoſopho & iureperito*, *amicorum ſummo*.

S. Si vales bene eſt, atque gaudeo. Ego quidem valeo, cupioque te valere. Si vita Imperatoris Henrici quarti Cæſaris Auguſti, nondum publicata eſt atque edita, rogo operam des, vt quam primum id fiat, huiusmodique titulum in liminari pagina præſcribendum cures. Imperatoris Henrici quarti Cæſaris Auguſti, Ducis vero Boiorum ſeptimi, huius quidem nominis, vita, a Ioanne Auentino inuenta, A SODALITATE VERO LITERARIA ANGILOSTADIENSI EDITA, &c. Ego iam in cænobio, quod Altheam inferiorem vocare ſolent, quatuordecim dies de-

go;

go: inueni plurima, quæ prius me fugerant, præſertim duos A. 1516.
ſcriptores rerum Germanicarum eloquentiſſimos, diligentiſſimosque, Hermannum Abbatem Althææ inferioris Dægobergamo oriundum, & Valtogeium Noricum. Ex quibus plane intelligo, maiores noſtros non ita barbaros, vt nos quidem falſo ſuſpicamur, fuiſſe. Nos autem præ illis eſſe maxime ſocordes, qui in vana dictionum digladiatione & vmbratili edentuli Grammatici conſeneſcimus. Sed de his plura coram. Obſecro te, tua opera Diuum Hieronymum ac Nouum Teſtamentum Eraſmi conſequar, & alteras literas Doctori Eckio iuriſperito mittendas cures, quem opto tibi auxilio fore, quo tibi omnia ex animi tui ſententia cedant. Ego quidem tibi operam meam vbique polliceor. Vale, & amicos ſalutabis meo nomine, Eckhium Theologum, Vrbanum Ramelſpach (*fortaſſis Vrbanum Rhegium; nam nullum inuenio Ramelſpachium Vrbanum nomine, ſed Thomam tantum & Ioannem*) vnnd den von der Alben (*ſcilicet Euſtachium de Albn nobilem Academiæ Alumnum*) Althææ in Vigilia D. MARIÆ Magdalenæ CIƆ. IƆ. XVII.

Ioannes Auentinus.

* Eodem anno, nomine ac voluntate ERNESTI Ducis per *Vrbanum Rhegium* ad hanc Academiam inuitatus eſt *Deſiderius Eraſmus* Rotterodamus, oblatis in ſingulos annos ducentis aureis & *opulentiſſimis ſacerdotiis*, quæ ipſius *Rhegii* verba ſunt. Meminit præterea Magiſter *Vrbanus* illis in literis, in animo eſſe Illuſtriſſimo Principi, doctiſſimos paſſim viros, vbi vbi in Germania fuerint, conducere, ſuaque liberalitate magnifice exornare, quo tandem ſuo auſpicio omnes bonæ literæ refloreſcant, natiuoque reſtituantur nitori; ad hunc vero finem neminem illi aptiorem videri, quam *Eraſmum* Polyhiſtorem ſummum, & admirabili ac diuino ingenio virum. Addidit deinde *Rhegius*, vt, ſi forte animo apud nos manendi venire recuſaret *Eraſmus*, veniret certe viſendi Gymnaſii cauſſa & ſalutandi Principis, qui mire aueret videre ipſum atque etiam amplecti. Reſpondet *Eraſmus* ſexto Calendas Martii eiusdem anni; gratulatur Germaniæ talem Principem, optatque quam plurimos eiusdem ſimiles. Agit dein gratias pro tam benigna inuitatione; ac ſeſe excuſat, quod ſibi iam liberum non eſſet cuiquam ſe addicere, poſtquam Illuſtriſſimo Principi CAROLO eſſet addictus. Quoad alterum ſcribit, ſe, ſi itineris ratio ferret, bidui triduiue diſpendio non grauaturum tanti Principis conſpectum emercari. Alteras literas miſit *Eraſmus* ad eundem *Rhegium* noſtrum nonis Martii eiusdem anni, quibus pro Academia Ingolſtadienſi ſui loco *Henricum*

A. 1516. rium *Glareanum* commendat, laurea cæſarea inſignem, in mathematicis eximie doctum, in Geographia & Hiſtoriis abſolutum, & in reliquis ſcientiis omnibus feliciſſime verſatum. Neſcio, cur acceptatus non fuerit. Suſpicor propter Ducis ERNESTI diſceſſionem ab Academia & eam *Glareani* vocationem, & plura alia ad reipublicæ literariæ ſplendorem & incrementum facientia omiſſa fuiſſe. Vt autem pateat, quantum in ERNESTO Bauaria Principem, & Academia Alumnum habuerit, iuuat eius vitam ex Rotmari Tomo primo deſcribere.

ERNESTVS, cum exteras perluſtraſſet regiones, vocatus ad Epiſcopatum Patauienſem, Anno Domini 1517. ſucceſſitque in Epiſcopatus adminiſtratione WIGVLEO ex nobili & ingenua *Froſchcliorum* familia nato &c. Impetrauit, referente id *Bruſchio* in libello de Epiſcopis Patauienſibus, vnde pleraque quæ ad illius Epiſcopatus adminiſtrationem pertinent, deſumpſi, a ſummo Pontifice, vt a maiorum ordinum initiatione poſſet immunis eſſe, & ea ratione Sereniſſ. Princeps 23. Annos Epiſcopatui Patauienſi, magna cum laude & totius Epiſcopatus ſumma cum vtilitate præfuit. Ditiones enim & prædia ab anteceſſoribus forte propter temporum iniuriam alienata, aliisque oppignorata redemit, Eccleſiæque reſtituit, reddens Deo, quæ Dei erant. Vrbana ædificia magnifice curauit, & in iis inſtaurandis haud exiguos fecit ſumptus. In Anabaptiſtas aliosque eius temporis hæreticos grauiſſime animaduertit, & partim viuos igni cremandos tradidit, partim vero, & præſertim eos & quidem ſupra triginta, qui a *Liechtenſtainio* regulo in exilium acti, Patauiam confluxerant, carceri mancipari iuſſit, donec triennio elapſo plerique morerentur. Ciuibus vero ita fuit gratus, propterea quod ipſorum commodis vehementer ſtudebat, vt multas inter ſe & ſenatum ciuicum lites ac controuerſias ſopiret. Hæc de ipſius Sereniſſ. Principis adminiſtratione Patauienſi.

Vocatur ad Archiepiſcopatum Salisburgenſem Anno 40. Sed ea de re audiamus quæſo, quæ *Ioannes Albertus Widmanſteter*, vulgo *Lucretius* dictus, apud *Münſterum* in Catalogo Archiepiſcoporum Salisburgenſium refert, ea cum ad Archiepiſcopatus adminiſtrationem, tum etiam reliquam vitæ illius partem faciunt.

ERNESTVS Comes Palatinus Rheni & Bauariæ Dux &c. a *Ioanne Auentino* viro doctiſſimo bonarum artium rudimenta hau-

hauſit, Iaſonem Maynum Ticini paucis diebus audiuit, in iuris ſcientia non vulgariter profecit. Mathematicas diſciplinas amauit, & foſſilium metallicorum tantam eſt aſſecutus notitiam, quantam in tota Germania quisquam alius. GVILIELMO fratre Bauariæ dominatum appetente & obtinente, ERNESTVS aliquandiu multa regna & prouincias, veluti priuatus aliquis ex infima nobilitate oberrauit, ſeque *Ioannis Malentini* equeſtris ordinis hominis, & poſt Epiſcopi Seccouienſis in ea peregrinatione miniſtrum præbuit, atque hac diſſimulatione Lutetiam venit, vbi die quodam a FRANCISCO Rege conſpectus, & ſe proditum ratus, cum ſuo *Malentino* in Saxoniam profectus, inde Pataniam, vbi Epiſcopus erat deſignatus, mortuoque MATTHÆO *Lang* &c. Archiepiſcopo poſtulatus fuit a Salisburgenſibus Archiepiſcopus. A. 1516.

Eccleſias, quas hactenus rexit, Patauienſem & Salisburgenſem, partim ære alieno liberauit, partim opibus, redditibusque maximis auxit. Princeps fuit laborioſiſſimus, qui noctu diuque ſupplices ſuorum libellos atque querimonias legit, decreuit, decreta dictauit, aut præſcripſit amanuenſibus ipſe nonnunquam, ſummaque tranquillitate prouinciam ſuam ſine exactionibus & oneribus gubernauit. Hæc ille.

Quibus hæc addenda arbitror, quæ egomet ipſe puer vidi; erat Princeps ille ab omni luxu alienus, non niſi neceſſarium alens famulitium, tubicinem tantum habebat vnum, quo fere nunquam domi, raro foris vtebatur. Victitabat frugaliter, & pene præter conſuetudinem Principum, cum eſſet & naturæ validæ, & corporis robuſti: vnde magnas ſibi congerebat diuitias, aurifodinis non infæliciter illi affluentibus. Fidebat ſuis perquam facile, vnde non exiguam interdum iacturam faciebat.

De eius in religione Catholica zelo, eiusque incolumitate tuenda feruore, illud etiam tacere non poſſum, quod aliquando puer adhuc plauſtrum ingens ſacerdotibus coniugatis onuſtum, & cathenatis Salisburgum in arcem Epiſcopalem duci vidi. Quidam ex illis morbo gallico laborare, quidam calculo dicebantur, qui tamen omnes, poſtquam impenſis Archiepiſcopi ſanitatem recuperaſſent priſtinam, abiurata hæreſi, e vinculis ſunt dimiſſi, præter vnum pertinacem in hæreſi, cui nomen

S erat

A. 1516. erat *Leonhardus*, qui multis poſt annis in libera cuſtodia retentus benigneque tractatus, ibidem eſt mortuus.

Reſignauit ad manus Capituli Archiepiſcopatum Anno 1554., & receſſit in ſuum comitatum Glacenſem ad ſyluam Bohemiæ, quem paucis ante annis coëmerat, magnam vim auri & argenti & ingentes ſecum auehens diuitias. Ibi priuatam & ſecularem agens vitam diem extremum vitæ ſuæ clauſit. Comitatus vero Sereniſſ. Duci Bauariæ ALBERTO ceſſit, quanquam & Dux Wirtenbergenſis, nepos ex ſorore aliquam bonorum partem ſibi vendicabat: ſed per prudentes arbitros res ea fœliciter fuit compoſita.

A. 1517.

ANNO DOMINI MDXVII.

Rector XXCI. MARTINVS COMES AB OETINGEN.

Prorector *Ioannes Eccius* Theologus &c.

Rector XXCII. CAROLVS A LIMBVRG Baro & Romani Imperii Pincerna hæreditarius.

Prorector *Michael Marſtaller* LL. Doctor & Ordinarius. Qui cum ad tempus diſcederet, *Ioannes Eccius* Theologus ad Vicerectoratus adminiſtrationem rediit.

Inſcripti 243.

Nobiles, *Hieronym. Seyboltſtorfer*, Cleric.
Wolfgang. Senenſis, ex Landsberg, Cleric.
Ioan. Ioachim de Abſpergk, Can. Eichſtett.
Iacob. de Weſterſtetten.
Henric. Hauſner de Helffenberg, Cler. Eichſtett.
Ioan. de Seckendorf de Schönberga.
Ioan. Bapt. Neunhauſer de Graförſch.
Pancratius de Egloffſtein, Can. Bamberg.
Cyriacus Preiſinger de Erenbach.
Martin. de Wiſentaw, Can. Herbipol.
Siluester de Roſenaw.
Rudgerus de Guttenburgk, (forte *Guttenberg*) Cleric. Bamberg.
Heinricus de Erenberg, Can. Spirenſ.

Otto

A. 1517.

Otto de Pack.
Georg. Schenk de Geirn.
Chriſtoph. Pettinger de Heytzem.
Eobaldus de Lichtenſtain de Neuemark.
Chriſtoph. Teitnhofer.
Guilielm. Helffendorfer.
Ioan. Dapifer de Winterſtetten, Canonic.
Berchtoldus Roſtaler de StauffERbuch.
Gotfrid. de Wolfersdorf.

Nou. Doct. *Andreas Hainlin*, ex Cronach, *Theol.*
F. Andreas Stöſs, Ord. Carmel. Nürnberg. *SS. Can.*
Ioan. Wirzburger }
Pantaleon Pruner } *Art. & Medic.*
Ioan. Paſſauer Meranenſ. }

* Sub huius anni initium Marchio GVILIELMVS, abs dubio vna cum fratre FRIDERICO, nondum abſoluto Rectoratus ſemeſtri ab Academia diſceſſit.

Eum ſcribit Latzius cum tribus aliis fratribus, IOANNE, ALBERTO, & GVMPERTO in iuuentute obiiſſe. Alii, & forte melius, cum aliquandiu cum fratre ALBERTO, Teutonici ordinis ſupremo Magiſtro, & primo Duce Pruſſiæ vixiſſet, Anno Domini 1547. Archiepiſcopum Rigenſem creatum tradunt.

Inter inſcriptos erat *Tranquillus Parthenius* Dalmata Poëta, & *F. Nicolaus Haider* religioſus, in Abbatem S. Crucis Werdæ electus anno 22. *poſtea depoſitus.*

* Item *Wolfgangus Boſchius* Kelpühlenſis LL. Doctor & Præceptor ALBERTI Ducis Bauariæ.

M. Andreas Hainlinus noui Collegii Regens Octobri menſe huius anni Bambergam vocatus eſt ad Suffraganei munus; quare prius quam hinc diſcederet, Doctoris Theologiæ inſignia e manu *Ioannis Eckii* die 14. dicti menſis recepit.

Quo tempore *Michael Marſtallerus*, quem Baroni *Limpurgio* Rectorem vicarium fuiſſe additum ſupra notaui, ad ordinariam legum cathedram aſſumtus fuerit, inueſtigare haud licuit.

A.
1518.

ANNO DOMINI M D XVIII.

Rector XXCIII. M. GEORGIVS SCHWEBERMAIR Althamenſis Boius, S. Theologiæ Baccalaureus Formatus; Rector III.

Rector XXCIV. THOMAS RAMELSPACH, Artium & Theologiæ Doctor, Rector II.

Inſcripti 246. in quibus
Illuſtriſſimus Princeps GEORGIVS Landgrauius in Leuchtenberg.

Nobiles: *Alexander von der Thann*, Can. Herbipol.
Dauid Puchperger.
Iohannes de Stain, Can. Herbipol.
Ioannes Leſch, Can. Friſing.
Wolfgang. Comes in Hohenlohe.
Eckhard de Riſchach, Profeſſ. Campidon.
Theodoricus de Haundorf, Profeſſ. Campidon.
Wolfgang. de Greuenſtain, vel vt Rotmarus ſcribit *de Grünenſtain*, Prof. Campidon. anno 1536. Abbas electus.
Ioannes de Konberg.
Ioan. Sigism. de Ellerbach.
Maurit. Weltzer de Frauenſtain.
Emeram. Nothafft de Ahaming.
Sigismund. Häl de Maynburg.
Albert. Kellner de Pibrach.
Wolfgang. de Planckenfels.
Ambroſ. de Gumpenberg.
Ioan. de Egloffſtain.
Martin. de Egloffſtain.
Caſpar Laubenperger.
Georg. Wolff de Altmanshoven.
Oſwaldus de Hirſpergk.
Fabian. Behaim de Türſenreidt.
Hugo Beringer de Landenberg.
Albert. de Landenberg, filius militis.
Fœdericus Iacob. de Anbill, filius militis.

M.

A. 1518.

. *M. Matthias Kretz* Theologiæ Baccalaureus Formatus, conſtituitur Regens noui Collegii 28. die Ianuarii: Regens tertius (*quartus*). Præfuit Collegio annos duos. Superiori tamen tempore præſes fuerat *Burſæ Liliorum.* Poſteaquam doctoralia in Studio Theologico recepiſſet inſignia, Auguſtam ad munus concionandi apud D. Virginem ſeceſſit, ibi cum a Lutheranis miſere inceſſeretur, vexareturque, deſerta ea conditione Monachium migrauit, vbi itidem Eccleſiaſtæ munere apud D. Virginem functus aliquandiu, valedixit humanis.

* Elegerant Artiſtæ noui Collegii Regentem *Ioannem Schröttingerum* Marklenſem, neglecto *Kretzio*, etſi literas commendatitias a WILHELMO Duce attuliſſet. Litigatum eſt aliquamdiu, ipſo Vniuerſitatis concilio Artiſtis fauente. Verum die 16. Ianuarii veniunt a Sereniſſimo Duce literæ, quibus prohibet, *ne Facultas, nec verbo nec facto vllo modo impediat M. Matthiam Krez in ſua regentia ſub pœna relegationis & amiſſionis tam prouinciæ quam ciuitatis Ingolſtadt.* Perlectis his literis *concluſit tam Vniuerſitas quam Facultas in hoc negotio quieſcendum eſſe, cum ipſi de Vniuerſitate & Facultate fecerint ea, quæ eorum conſcientia & iuramenta dictabant. Princeps ergo faciat cum collegio quidquid velit. Et cum Regente ipſi ſint ſecuri & quieti.* Huc vſque Acta Facultatis. Remotus hac ratione *Schröttingerus* a regimine Collegii, præfectus eſt Burſæ Liliorum, in locum ſcilicet *Kretzii.*

Inſcriptus eſt hoc ipſo anno 3. die Martii *Andreas Perneder*, Illuſtriſſimi Ducis GVILIELMI Secretarius, ſcriptis ſuis toti Germaniæ notiſſimus.

Thomas Ramelſpach, Artium & Theologiæ Doctor, Rector electus eſt abſens, & cum ad quartam vſque feriam poſt Dominicam Lætare anni 19. laudabiliter adminiſtraſſet Rectoratum, vocatus ab Illuſtriſſimo Principe ac Domino, Domino ERNESTO, Duce Bauariæ, & adminiſtratore Pataulenſi ad concionandi prouinciam, reſignauit Rectoratum: reliquum tempus magiſtratus abſoluit Dominus *Georgius Schwebermair.*

Reſignauit Parochiam (*academicam*) *Sigismundus Heiperger*, & in eius locum ſucceſſit *Georgius Hauer* Canonum Doctor, a fundatione Parochiæ decimus, Academiæ vero ſextus Parochus.

Quinto Nouembris obiit eruditus vir *M. Leonardus Reicher*, quondam Parochiarum Mündling & Lauterbach Rector.

A. 1518. Habet in Sacello D. Ioannis Epitaphium, parieti affixum, quod eiusmodi eſt.

Poſt varias miſere curas vel gaudia vitæ
Serius en cunctos mors rapit aut citius.
Teſtantur monumenta Patrum, cineresque Magiſtri,
Contegit hic poſitos quos ſacer iſte tolus.

A. 1519.

ANNO DOMINI M D XIX.

Rector XXCV. Illuſtriſſimus Princeps ac Dominus GEORGIVS Landgrauius in Leuchtenberg, Dominus in Grüensfeld & Pfreimbd.

Prorector *Georgius Hauer* Canonum Doctor, quem Illuſtriſſima eius Celſitudo, concedente Senatu Academico, ipſamet ſibi cooptauit.

Rector XXCVI. M. IOANNES SCHRÖTTINGER S. Theologiæ Baccalaureus Formatus: de quo plura anno 36.

Inſcripti 314.

Nobiles: *Hypolitus de Kinsfeld* in Puchfried.
Ioannes de Aſch, Landshut. Can. Mosburg.
Ioan. Theodoric. de Pleningen.
Ioannes Paumgartner.
Chriſtoferus de Pyringen.
Frideric. Marſchalk de Pappenheim.
Ioan. Wernherus de Reiſchackh.
Hieronym. Zoth.
Alexander } *de Abſperg.*
Georgius }
Ioan. Mich. de Puhenhoven.
Ioan. Chriſtoph. de Cloſn.
Antonius Scheck zu Soldern.
Martin. de Degnfelt.
Wilhelm. Gyſs de Geyſenberg.
Ioan. Albert. de Anwill.
Erhard. de Falkenſtain.

Mel-

A. 1519.

Melchior Preintſperger.
Iacob. de Wixenſtain.
Ioan. Adam. de Stein.
Theodoric. de Freyberg.
Guiliehn. de Neuhauſen.
Nou. Prof. *Leonardus Marſtaller* S. Theol. Prof.
Nou. Doct. *Matthias Kretz*, Landſpergenſ. *Theol.*
Ioannes König ex Parrent.
Petrus Nigri. } *Medic.*
Georgius Kraut.

GEORGIVS *Landgrauius in Leuchtenberg* &c. hoc anno Rectoratum geſſit æſtiualem, quem honorem communibus Academicorum votis ſibi oblatum, gratiſſimo animo ac reuerenter accepiſſe ſcribitur.

Genuit ex BARBARA Marchioniſſa Brandenburgenſi LVDOVICVM Landgrauium in Leuchtenberg & Comitem in Hals, qui ſuperioribus annis mortuus vnicum nobis filium GEORGIVM LVDOVICVM Landgrauium (hoc vnico ſatis ſuperque ille fœlix) ex comitiſſa Arenbergenſi natum reliquit.

Non poſſum hoc loci, tam opportuna data occaſione præterire, quin hiſtoriarum *Latzii* Viennenſis lectorem admoneam, ſine tamen viri calumnia ſeu iniuria, videri mihi, in Genealogia Leuchtenbergenſium errorem ab illo commiſſum. Nam GEORGIVM præſentem filium ALBERTI *ſecundi* vna cum IOANNE & FRIDERICO ponit: ALBERTVM vero FRIDERICI *quinti* & hunc ALBERTI *primi*. Ego ex alia genealogia eiusmodi duco lineam: quod GEORGIVS fuerit IOANNIS filius ex Domina MARGARETHA Comitiſſa a Schwartzenberg. Obiit IOANNES anno 1531. Gruensfeldiæ. Coniunx anno 1517. IOANNES vero FRIDERICI ex DOROTHEA filia Burggrauii de Reineck. Obiit FRIDERICVS 1487. Hæc vero 1503. FRIDERICVS LEOPOLDI, qui SIGISMVNDO Romanorum Imperatori a conſiliis fuit. Et hic ALBERTI, qui VDALRICI *tertii* filius fuit. GEORGIVS de quo in præſenti agimus, anno 1555. obiit, Marchioniſſa vero 1552.

Leonardus Marſtaller, patria Norinbergenſis, & eiusdem ciuitatis Imperialis in honeſtis ſtudiis Alumnus, acceſſit eodem tem-

A. 1519. tempore, quo *Ioannes Eccius* ad Academiam, anno ſcilicet 1510. Vbi cum aliquandiu operam dediſſet literis, Lutetiam Pariſiorum proficiſcitur, & ſtudiis Theologicis totum ſe dedicat. Inde reuerſus in Germaniam, iter Viennam Auſtriæ apparat, vbi aliquandiu moratus, doctoralia in ſtudio Theologico recipit inſignia. Hinc rediens Ingolſtadium hoc anno Profeſſorum numero & Facultati Theologicæ aſſcribitur.

Inter inſcriptos erant *Theodoricus Vngelter* in Teiffenhauſen LL. Doctor, & *Ioannes Reuchlin* dictus alias *Capnio*, LL. Doctor, vir magnæ eruditionis, & trium linguarum peritiſſimus.

* Fuit *Reuchlinus* patria Phorcenſis, eiusque magnum eſt apud Eruditos nomen, maxime apud Tubingenſes, quorum ſcholam per plures annos illuſtrauit. Qua ratione ad noſtram Academiam delatus fuerit, non eadem eſt omnium ſententia. Sunt, qui occaſione belli Wirtenbergici captum a WILHELMO Bauariæ Duce, indeque ad nos perductum aſſerunt; idque ipſum Clariſſ. Bruckerus in Hiſt. Crit. Philoſ. Tom. IV. P. I. p. 367. vt minime dubitans affirmat, addens, redditas ipſi Facultates, quæ poſt eius captiuitatem fiſco fuiſſent addictæ, & annuum ducentorum florenorum ſtipendium conceſſum eſſe. Alii tamen defendunt, *Reuchlinum* bellici tumultus pertæſum, Tubinga liberrime relicta Ingolſtadium veniſſe. Linguarum hebraicæ ac græcæ peritia, qua inſigniter pollebat, tantam ei famam apud nos peperit, vt non raro pluſquam trecenti Academici ad eum audiendum confluxerint. In lectionibus matutinis explicabat librum *Rabbi Moſis Kimchi*; in pomeridianis *Plutum Ariſtophanis*, ac præterea Grammaticam & Poeſin græcam. Vid. an. 1520. & 1521.

Menſe Iulio huius anni *Eckius* noſter Theologus cum *Luthero* & *Caroloſtadio* Lipſiæ diſputauit.

Ad regimen Collegii noui die quinta Decembris *M. Ioannes Schröttinger*, *Matthia Kretzio* Auguſtam auocato, concordibus Artiſtarum votis electus eſt; immo peracta iam electione, ipſius etiam Sereniſſimi Ducis WILHELMI literis, Dominica poſt Conceptionis datis ad idem munus eſt commendatus.

Paucos inter libros ad hoc vſque tempus Ingolſtadii impreſſos occurrit ad hunc annum *Dionyſii ſiue Libyos, ſiue Halcarnaſii de Geographia elegantiſſimus libellus a Priſciano, vel (vt aliis placet) a Fannio Rhemnio e græco verſus. Impreſſ. Ingolſtadii per venerabilem virum M. Andream Lutzen 1519. XIX. Kal. Decembr.*

AN-

ANNO DOMINI M D XX. A. 1520.

Rector XXCVII. LEONARDVS MARSTALLER, S. Theologiæ Doctor & Profeſſor, de quo plura anno 46.
Rector XXCIIX. THEODORICVS VNGELTER Iuris vtriusque Doct.

Inſcripti 176.

Nobiles: *Adam. de Wildenſtain.*
Franc. von Königsfeld.
Ioan. Vtlhofer de Teyrung.
Ioan. Iacob. de Zillhart.
Wilhelm. Schenk ex Geirn.
Ioan. Camerer de Ferpurk.
Carol. Fuchs de Fuchsperg.
Chriſtoph. / *Euſtach.* } *Goldochs* de Bernhardsweyler, Fratres.
Ioan. Baro de Heydeck, Can. Bamberg.
Bertbold. Gottfrid. de Lapide.
Chriſtoph. Truchſeſs Baro in Walpurg.
F. Theobald. de Hoheneck, ex Monaſt. Campidon.
Maurit. de Hutten, Can. Herbipol. & Eichſtett.

Nou. Prof. *Panthaleon Brunner*, *Medic.*

Nou. Doct. *Ioannes Wınhart*, Aichenſis, *Theol.*
Georg. Gundelfinger, Nördlingenſ. *Medic.*

Inter inſcriptos præcipua quadam memoria videntur digni, I. *Chriſtophorus Dapifer a Waldpurg*, frater vt opinor OTTONIS Cardinalis & Epiſcopi Auguſtani, qui in expeditione Tunetana diem ſuum obiit. Huius familiæ non vnquam intermoriturum decus & ornamentum illuſtre fuit OTHO, presbyter Cardinalis, Epiſcopus Auguſtanus, ſingularis literarum Mecænas, propterea quod ipſemet, veluti pietate & omni genere virtutum multis præibat Epiſcopis, ita eruditione & literarum amore nulli ſuæ conditionis cedebat. Obiit cum omnium bonorum, doctorumque virorum, tum totius pene Germaniæ, cuius patronum in vrbe agebat, & protectorem ſummo luctu Romæ, Anno Domini 1573. II. *Ioannes Brief* Conſtantienſis LL. Licentiatus. III. *Mauritius ab Hutten* Canonicus Herbipolenſis & Aichſtadianus,

 factus

A. 1520. factus poſtea Præpoſitus Herbipolenſis, & anno Domini 1539. (*non 1564. vt in Rotmaro legitur*) Epiſcopus Aichſtadianus.

* De hoc plura ad annum 1552. quo ex hac vita migrauit.

Ioannes Eckius hoc anno iter Romam inſtituit; quam ad rem menſe Februario in concilio Rectoris ac Decanorum licentiam petiit, atque etiam obtinuit.

* Initio menſis Martii h. a. *Ioannes Reuchlinus* quem ſuperiori anno Academiæ noſtræ adſcriptum legimus, publicarum lectionum principium fecit. Typis impreſſa eſt eius *Promiſſio inſtituendarum linguarum Ingolſtadii*, ſequenti tenore:

Ab illuſtri Principe Willelmo Boiorum Duce inclyto, Domino noſtro, præclariſſima huius Vniuerſitatis cauſa & eius nomine Ioannes Reuchlin Phorcenſis Legum Doctor in operas duarum linguarum Principalium Hebraicæ atque Græcæ quotidianas ex ærario publico nobili ſtipendio conductus cras tertio nonas Martias, diatribæ ludum aperiet literarium ante meridiem hora nona in auditorio Collegii veteris latiſſimo. Anno Chriſti M. D. XX.

Exſtat item *Oratio a Ioanne Guſſubelio longicampiano coram Vniuerſitate Ingolſtattenſi habita pro D. Io. Capnione Phorcenſi, cum in lingua Hebraica & Græca ludum literarium ex conducto aperiret. III. Non. Mart.* 1520.

A. 1521.

ANNO DOMINI MDXXI.

Rector XXCIX. M. GEORGIVS SCHWEBERMAIR, S. Theologiæ Baccalaureus Formatus. Rect. IV.

Rector XC. Idem V.

Inſcripti 69. & non 24. tantum, vt Rotmarus ſcribit.
Nobiles: *Philipp. Albert. de Stain.*
Ioannes Seckendorffer de Pertlsdorf.
Nou. Doct. *Hieronymus Leicht*, Lomershaimenſ. *Medic.*

Sub hoc Rectore (*Schwebermario*) cœpit peſtis grauiſſime ſæuire, & moritur hoc anno *Erhardus Sampaël* Granarius Vniuerſitatis, ſepultus apud Franciſcanos.

Diſceſſerant propter peſtis ſæuitiam iam *ante electionem Rectoris autumnalem* indulgente Illuſtriſſimo Principe, Profeſſores omnes, præter *Georgium Schwebermarium*, *Georgium Hauerum* Parochum

chum Diuæ Mariæ Virginis, & *M. Conradum Schaiderum* Facultatis artiſticæ Decanum, quos omnes partim in ſubditos ſuos pietas; partim officia & Magiſtratus, quibus fungebantur, detinuerant. Ad hos *Petrus Burkhardus* Medicinæ Doctor, qui & ipſe cum aliis diſceſſerat, in ſumma neceſſitate, ſummaque peſtis ſæuitia reuerſus acceſſit. Hi quatuor electioni interfuere, & electus eſt, immo precibus potius quæſitus Rector, *Georgius Schwebermarius*. A. 1521.

* Cum metu peſtilentiæ, vt mox dictum eſt, Profeſſores paſſim dilaberentur, *Reuchlinus* quoque, aliunde Ingolſtadienſi ſtatione non ſatis contentus, quod famem effugere vix poſſet, quod ipſe in epiſtola ad *Wilibaldum Pirkhaimerum* queritur, Tubingam rediit; vbi tamen ſequenti mox anno 1522. pro fame morbum ac paulo poſt Stutgardiæ, quo deportari ſe curauerat, mortem inuenit III. Calend. Auguſti, annos natus ſeptem & ſexaginta.

Excuſa eſt ad hunc annum huiatibus typis *Oratio Diuo Hiuoni Iuriſconſultorum ſanctiſſimo a Hieronymo Rott Vlmenſi patritio in florentiſſimo Angeliſtadiano Gymnaſio dicta. Impreſſ. Angeliſtadii per M. Andream Lutzen Berckhamenſem prid. Id. April.* 1521.

ANNO DOMINI M D XXII. A. 1522.

Rector XCI. MATTHIAS ALBERUS Brixinenſis LL. Doctor & Profeſſor pomeridianus.

Rector XCII. M. MATTHAEVS LVCHS, Arbergenſis, Diocœſis Aichſtadianæ, LL. Licentiatus, & veteris Collegii Decreto Principis Collegiatus.

Inſcripti 150.

Nobiles: *Alexander Haunſperger* de Lauffen.
Wolfg. Ludwig de Habſperg.
Ioach. Conrad. de Meningen, Can. Gurcenſ.
Ioan de Parſperg, Can. Ratiſpon.
Balthaſ. Füeger ex Fridperg.
Vdalricus de Schwarzenſtein.
Ioan. Iacob. Nothafft.
Hainricus Pack ex Meixfen.
Franciſcus Ziegler ex Mixna.

A.
1522.

Ioannes Sandzell.
Ioannes de Croaria.
Leonardus, *Chriſtofferus,* *Bernardus,* *Quirinus,* } *Relingeri* Auguſt.
Wolfgang. Paulsdorffer de Paulsdorf, von der Kürn.
Wernberus de Seyboltsdorf.
Achatius Layninger.
Leonardus Comes vom Hag.
Bernardus Reiſacher von Vichauſen.
Ioan. Chriſtoph. Pubenhofer.
Chriſtoph. Schenk zum Klingenſtein.
Ioan. Chriſtoph. de Stadian, Can. Auguſt.
Ioan. Iacob. de Stadian.
Sixtus vom Stain.
Marcellus de Stauff, Baro.
Paulus de Gumpenberg, Can. Ratiſpon.
Ioan. Notbafft nobilis de Bodenſtein.

Non. Prof. *Nicolaus Appel,* Egweilenſ. *Theol.*
Matthias Alberus, Brixinenſ. LL. Prof. pomerid.
Oſwaldus Haydenreich, Styrius, *Iur. ciu.*
Alexander Braſſicanus, Stutgardienſ. *Græc. ling.*

Non. Doct. *Nicol. Appel,* vt ſupra. *Theol.*
Ioan. Schröttinger, Marklenſis, *Theol.*
Georg. Pilegius, Canonic. Onolzbach. *Theol.*
Simon Eiſenmann, Dilingan. *Medic.*

Matthias Alberus adminiſtrauit Rectoratum vſque ad feſtum D. Margarethæ, ac tum auocatus ad tribunal ab Epiſcopo Brixinenſi, reliquit faſces Rectorales *Georgio Hauero.*

Matthæus Luchs, poſteaquam inſignia doctoralia eſſet conſecutus, anno 23. ſcribitur lectione matutina in Iure ordinaria eſſe functus: qua relicta Ratisbonam, inde Friſingam, ac demum Aichſtadium conceſſit, vbi trium Epiſcoporum Cancellarius fuit, ibique mortuus. Viuunt adhuc Aichſtadii duo illius filii, quorum alter Conſiliarius eſt Epiſcopi, alter priuatam agit vitam, de ſuis viuens redditibus.

Inter

A. 1522.

Inter inſcriptos notandi I. Illuſtris Dominus *Leonhardus Comes ab Hag*, quod eſt oppidum non procul a Waſſerburgo Bauariæ, Oenum ſurſum verſus. Ea familia ſub ALBERTO *quinto* Boiorum Duce nuper extincta eſt, *Ladislao* vltimo Hagenſi Comite mortuo, & nulla relicta prole Comitatum domus Bauariæ poſſidet; *Leonhardus* in matrimonio habuit Landgrauiam de Leuchtenberg, vt ſcribit Latzius. II. *Oſualdus Haydenreich* (*aus dem Eyſenärzt, vt matricula notat, Styrus*) Iuris vtriusque Doctor & Profeſſor; de quo illud paulo poſt *Philomuſi* circumferebatur carmen:

Oſualdum cupiunt omnes audire diſerti.

Dicitur 16. annis Oratoriæ operam dediſſe in Italia, antequam Iuris ſtudium eſt aggreſſus. III. *M. Ioannes Alexander Braſſicanus* (*vero nomine Koblburger, Stutgardienſis*) Græcarum literarum Profeſſor.

Nicolaus cognomento *Apelles* (*Appel*) patria Eguelus (*Egweil vicus eſt ditionis Eichſtettenſis prope Naſſenfelſam haud procul Ingolſtadio*) liberalium artium Magiſter & Sextumuir, id eſt, vnus ex illis ſex, quibus pro lectionibus ſuis ex Camera Vniuerſitatis fiebat ſatis (reliquis enim Profeſſoribus artium auditores numerabant) eximius Philoſophus, & diſputator acutiſſimus, hoc anno, die 10. Aprilis doctorali laurea eſt inſignitus. Anno eodem Theologiam in Academia docere incepit, idque magna cum laude & auditorum applauſu. Habuit in Facultaté Theologica ſibi collegas Dominum *Eccium*, & *Leonardum Marſtallerum*. Atque ipſe ternarius numerus nouo quodam fiebat exemplo, cum hactenus duo tantum Profeſſores Theologi Facultatem conſtituiſſent. Verum hoc ipſum ſingulari *Apellis* aſſcribi debet eruditioni, vt non immerito ex gratia receptum, id eſt, tantum eum propter eximiam eruditionem valuiſſe gratia, vt ſtatim poſt recepta doctoralia inſignia, & in Facultatem adoptatus, & numero Profeſſorum aſſcriptus ſit, quidam magni nominis Theologus annotarit. Intelligebat autem vir ille prudentiſſimus, præter temporum noſtrorum conſuetudinem, quantopere linguarum cognitio ad ſolidam eruditionem, tum vero perfectam ſacrarum literarum cognitionem & interpreta-

A. 1522. tionem requireretur. Itaque vt commiſſam docendi ſpartam & prouinciam fœlicius poſſet ornare & adminiſtrare, non erubuit iam ætatis adultioris, & qui doceret alios, ſe quoque ab aliis doceri & in iis inſtitui, quæ ipſemet ſibi ignorare videbatur. Ex *Ioanne* itaque *Reuchlino* Græcæ & Hebraicæ linguæ cognitionem hauſit. Illuſtre profecto, quicunque ad ſolidam contendunt eruditionem: ſibi in hoc *Apelle* ſtatuant exemplum; quamque hebraicæ linguæ ſeu ſanctæ præcipue in theologo, in aliis non item, in omni vero Græcæ linguæ cognitionem requiri dicimus. Reliqua de *Apelle* vid. ad an. 1545. quo Mosburgi obiit.

Electus in Regentem noui Collegii *Antonius Praun* Philoſophiæ Profeſſor, & præfuit Collegio 9. menſibus. Vacabat Regentia ex obitu *M. Ioannis Zaller*, qui ſepultus eſt ad D. Virginem in Sacello D. Trinitatis.

* Manifeſtus hic *Rotmari* error deprehenditur; cum anno 1520. *Ioannem Schröttingerum* Collegio nouo præfectum, eidemque duos annos & aliquot dies præfuiſſe ipſus ſcripſerit. Potius reſignauit *Schröttingerus* die 13. Febr. huius anni regimen Collegii; & libera Facultatis Artium electione ei ſubſtitutus eſt *Praunius* Haunsfurtenſis, antehac Burſæ Pariſienſium Regens.

Ad eiusdem anni initium *Eckius* noſter Roma rediit: id quod ſua manu ipſe teſtatur in Actis Facultatis Theologicæ ſequentibus verbis: *Acta ſub Decanatu XII. Eckii*, 1522. *reuerſi ex Vrbe poſt finem peſtis*.

A. 1523.

ANNO DOMINI M D XXIII.

Rector XCIII. NICOLAVS APPEL Eguelus Diocœſis Aichſtadianæ & Collegii veteris Collegiatus.

Rector XCIV. GEORGIVS HAVER Artium & Canonum Doctor.

Inſcripti 133. in quibus

Princeps Illuſtriſſ. D. IOANNES Landgrauius in Leuchtenberg.

Nobiles: *Ioan. Conrad. Stadianus*, Can. Auguſt.
Theodericus Spiegel de Orthrand.
Ioan. Georg. Schad de Mittelbibrach.
Andreas Panewitz de Luſatia.

Ioan.

A. 1523.

Ioan. Baro de Tegenberg.
Andreas Ringsmaul de Ankelſtain.
Wilhelm. Möringer de Nouoforo.
Hieronym. Lamparter a Greuſſenſtain, Præpoſit. Moſ-
bach. Can. Conſtant. & Mogunt.
Ioan. Wernerus ex Neubawſen, Cleric. Conſtant.
Maximil. Wolff ex Wolffsthal.
Wolfg. Andr. Reem, Auguſtanus, poſtea Præpoſ. Eccl.
Cathedr. Auguſt.
Iacob. Kieſer de Hala Sueu.
Michael ab Vnderſpach.
Chriſtoph. de Schwapach.

Nou. Doct. *Sebaſtian. Faber*, Leucopolitanus, *Medic.* Noluit is dein-
ceps *Faber* appellari, ſed *Doctor Fetzer.*

Acceſſit ad noſtram Academiam menſe Iunio Illuſtriſſimus Princeps ac Dominus IOANNES Landgrauius in Leuchtenberg &c. quem minorennem fuiſſe teſtatur Vniuerſitatis matricula. Iuxta Latzium frater fuit Domini GEORGII Landgrauii, & fieri ſane id potuit, quantumuis Lazius alium parentem, quam noſtra Genealogia vtriusque ponat. Fuit ex hac familia anno 1328. Epiſcopus Aichſtadianus, quod neutiquam præterire debui, FRIDERICVS eius nominis in Epiſcopatu tertius, cum antea Lanckheimenſis & Eboracenſis in Franconia fuiſſet Abbas. Claruit ea gens tam belli, quam pacis artibus. Fuit enim ADALRAMVS anno 1260. HENRICI Ducis Bauariæ Dux copiarum contra OTTOCARVM regem Bohemiæ, & ducem Auſtriæ. Quin etiam a Latzio CHVNRADVS & IOANNES Epiſcopi commemorantur, quos tamen *Barones a Leuchtenberg* vocat Bruſchius. Sed forte hæc ipſa Landgrauiorum Leuchtenbergenſium Genealogia, Deo propitio aliquando prodibit integra. Et certe optandum foret, vt omnium Principum Genealogias accuratius & perfectius poſſemus habere, vt nepotes ſuorum maiorum intuerentur res geſtas, nec paterentur tantam gloriam, quam a maioribus omni hæreditate maiorem accepere, deſidia luxuque interire, ſed ipſorum exemplo ad virtutem, & res præclare gerendas excitarentur.

Præ-

A. 1523. *Præterea memorandi ſunt ex inſcriptorum numero* I. *Wolfgangus Gotbardt* (Niederſiegenſis) de quo anno 64. II. *Hieronymus Ziegler* (Rotenburgenſis) de quo anno 62. III. Celeberrimus & conſultiſſimus vir *Matthias Held* Arloënſis, Clericus Diocœſis Treuirenſis, & M. Pariſienſis: poſt Vicecancellarius Cæſaris (CAROLI V.).

* Primum hoc anno veſtigium inuenio eximiæ illius curæ ac vigilantiæ, qua noſtra hæc catholica Vniuerſitas noua *Lutheri* dogmata præcauere ſatagebat. Cum *M. Ioannes Agricola* in moderatorem contubernii Draconis fuiſſet electus, hæc ei conditio, antequam conſuetum præſtaret iuramentum, fuit propoſita, vt ſeſe ab *Oſiandro*, concionatore Norico Lutherano abſtineat.

Arſacius quoque *Seehoferus*, patria Monacenſis, Artium & Philoſophiæ Magiſter, cum ex lectione præcipue ſcriptorum *Philippi Melanchtonis* nouitias hauſiſſet doctrinas, ſed alios quoque tum docendo tum ſcribendo in easdem inducere conaretur, decreto Rectoris ac Senatorum Vniuerſitatis carceri mancipatus, ac die 7. Septembris, coram eodem Senatu academico ſeptendecim præcipue articulos, quos Notarius Vniuerſitatis publice recitauit, hæreticos ipſe declarare ac reuocare cum iuramento eſt iuſſus, hac etiam pœna illi conſtituta, vt reliquum vitæ tempus in Ettalenſi Aſceterio conſumeret. Hac, ni fallor, occaſione, certe eadem die, Facultatis Artium Decanus *Antonius Praun* in concilio ſpecialiter ad eum finem congregato orationem habuit ad omnes Artium Magiſtros, qua illos ad euitandas Lutheri nouitates hortabatur.

Sed illud ſingulare, quod paulo poſt dictam *Seehoferi* reuocationem contigit. *Argula de Grunbach*, nata *de Stauff*, mulier naſutula, & ex lectis *Lutheri* ac *Melanchtonis* libris, quos illi *Spalatinus* communicauit, nouorum dogmatum ſtudioſa, ac prope inſana cultrix, die 14. Sept. literas dedit Dietfurto ad Rectorem Senatumque Vniuerſitatis, quibus eisdem exprobrat inprimis violentiam, qua aduerſus *Seehoferum* octodecim annorum Iuuenem vſi eſſent; deinde offert ſe ad ſingularem cum ipſis concertationem, idiomate germanico inſtituendam. Tota paſſim epiſtola ex textibus biblicis eſt conſarcinata, proditque non obſcure ingenium fœminarum, quæ verba verbis adcumulant, quadrent illa, ſiue non quadrent ad rem propoſitam. Riſu a nonnullis, ab aliis commiſeratione excepta epiſtola; *Argula vero* pro fatua muliere ab omnibus paſſim in vrbe traducta eſt. Quod vbi ad *Stauffiam* fama detulit, nouas dedit Grunbachio literas die 27. Octobris ad Conſules, Senatoresque ciuitatis, eosque addito epiſtolæ ad Vniuerſitatem datæ exemplo monet, ne quam fidem habeant Academicis, ſiquid aduerſum ſe aliud, quam quod adiecta contineret epiſtola, loquerentur. Quid *Argulæ* reſponſum fuerit, nihil inuenio,

niſi

A. 1523.

niſi rhytmos vernaculos, ſtylo ſcilicet illius æui compoſitos a *Ioanne* quodam Landishutano, huius Vniuerſitatis alumno.

Ipſo hoc anno inſignibus emolumentis aucta eſt Vniuerſitas noſtra a geminis romanis Pontificibus, remuneraturis videlicet eximium illius in tuenda auita religione feruorem. Ac HADRIANVS quidem VI. Bullam eidem conceſſit, vi cuius Eccleſia B. V. M. Ingolſtadienſis quinquaginta florenos, Wemdingana octoginta, Abenſpergenſis quadraginta, Schongauienſis pariter quadraginta pro annua penſione perſoluere teneantur. CLEMENS autem VII. HADRIANI eodem anno ſucceſſor Sereniſſimis Bauariæ Ducibus facultatem conceſſit præſentandi Doctores Theologos actu legentes ad Canonicatus Eccleſiarum Cathedralium Salisburgenſis, Auguſtanæ, Friſingenſis, Ratisbonenſis & Paſſauienſis, vt fructus dictarum præbendarum libere percipere queant, *quamdiu in Studio Ingolſtadienſi actu lectores permanſerint.* Mirum, quantum ſeſe oppoſuerint dictarum Eccleſiarum Capitula, ne res hæc ad effectum duceretur; potius certam pecuniæ ſummam offerebant, ex qua Profeſſor Theologus ſuſtentari poſſet. Niſi fallor, ipſi Bauariæ Duces ab vrgenda Bullæ huius executione deſtiterunt.

Eadem pontificia auctoritate Collegii Georgiani Regenti annua 40. florenorum penſio ex Parochiæ Parrenſis, quæ prope Reicharts-hofium eſt, prouentibus aſſignata eſt.

Circa hunc & 24. annum Profeſſores Academiæ deſcripſit breui elegiaco *Ioannes Alexander Braſſicanus*, quod hoc loci addendum propter antiquitatem, & Poëtæ autoritatem, omnino exiſtimaui.

INTERLOCVTORES.

MERCVRIVS SVB PERSONA TABELLARII, ET BRASSICANVS.

Mercur. Quas video turres, porro hic quæ mænia cerno!
Braſſican. Mœnia Pellei limine digna Ducis,
Nempe Ingolſtadium, aurati cognominis vrbem, (*a*)
Tam certa oſtendit nomina lege Plato.
Merc. Quæ rogito hic ſyluæ? *Braſſic.* Studio eſt hæc dedita turba,
Tam varia, vt ſyluam hic forte virere putes.
Merc. Vnde iſthuc flumen tam vaſto corruit ore,
Atque vehit dextra commoda multa rate?
Braſſic. Flumina miraris merito iſta binominis Iſtri,
Magna etenim e paruo fonte venire ſolent.

U *Merc.*

A.
1523. *Merc.* Quænam iſthæc moles ſaxorum? *Braſſic.* age chare viator,
Hic matri diſcas phana dicata ſacræ.
Hic miſtæ eximiis percurant legibus aras
Et cultu adſeruant priſtina iura pio.
Merc. Maxima quinam iſti, qui templa ſubinde frequentant?
Braſſic. Lumina ſunt veræ certa Theologiæ.
Merc. Certa ipſis quæſo da nomina. *Braſſic.* Carminis omni
Nemo poteſt tales dicere iure viros.
Merc. Redde aliquos, quantum feret ardua regula verſus.
Braſſic. Eckius excelſo qui viget ingenio. (*b*)
Deinde etiam Paulum graphice qui pingit Apelles, (*c*)
Atque etiam ſimili laudis honore duo.
Eckius intrepido fidei qui pergit in hoſtes,
Pectore & infracto Marte trophæa parat.
Marſtaller doctus ſacrorum, nomina cuius
Inſigni patriæ Berga dat atque Nero. (*d*)
Merc. Pulchre equidem, parui hi quonam ordine? *Braſſic.* in agmine primus
Hauerus in ſacro dogmata iure ſerit.
Verum iſti, aduertis paruo quos corpore, quæque
Magna queunt magni viribus ingenii.
Principio Oſualdum precor aſpice lumine acuto, (*f*)
Et ſtimulum inuidiæ quæſo repone grauem.
Καὶ πυματὸσ και μέσσοσ ὁ γὰρ προφυρέsατοσ ανδρῶν,
Siue aliquid ſacri, ſiue prophana petis.
Verum illum paruo laudum donamus aceruo,
Namque amat ornari cuncta modeſto animo.
Merc. Quisnam alter? *Braſſic.* Meus hic Franciſcus ubique triumphans, (*g*)
Siue foris cupias viuere, ſiue domi.
Denique græcorum dextro qui ſydere tractat
Autores ipſos, nocte dieque legit.
Merc. Adde ecquis rogito tales qui paſſibus æquent.
Braſſic. Hic Paphiæ eſt dignus nomine vbique Roſæ. (*b*)
Matthiam Alberum en, nobis quem Brixia miſit, (*i*)
Conſultum iuris, ſuauiloquumque virum.

Luch-

A. 1523.

Luchſius & ſtudii modo dignus Epiſcopus, iſta (*l*)
Cum nitidam palmam nuper ab arce tulit.
Merc. Ecce alium æquandum his. *Braſſic.* Si paruulus vnio vincit
Sæpe etiam immenſi maxima ſaxa iugi.
Ille, ille eſt Petrus, Franciſci frater, ab ipſo (*m*)
Qui paſſim medicas fonte docebit opes.
Mirifice e græcis namque hoc trahit ille magiſtris,
Queis primum hoc ſemper ceſſit in arte Decus.
Merc. Pallidulum ex vſu aſſiduo credam eſſe cumini,
Braſſic. Pallor ab Herculeo ſæpe labore venit.
Merc. Barbati inde ſenis quæ functio? *Braſſic.* Hic ille caducam
Corporis auxilio pulſat vbique luem. (*n*)
Doctrina atque annis medicorum hunc dicere poſſis
Phænicem, experta cum iuuat ille manu.
Merc. Credo itidem hunc iuuenem Medicæ tandem eſſe farinæ.
Braſſic. Nec te ipſum fallit nominis augurium. (*o*)
Merc. Audio & hic lauro ornatum quendam eſſe Poetam.
Braſſic. Scilicet a μουσῶν nomen amore trahit. (*p*)
Cretzius omnigenas doctus fœliciter artes, (*q*)
Grates vnde refert docta Tubinga tibi.
Arnoſpergerus (*r*), Reckheſchingius (*s*), vtraque Turris, (*t*)
Vuolfgangus longus, tuque Philippe frater.
Stroblius (*u*), Vnchorius (*w*), Francmannus (*x*), Lotter iniquo (*y*)
Fato oculis captus, Prechtlius Aichſtadius. (*z*)
Stengle Auguſtanus (*aa*), & tu Conradule Thuman, (*bb*)
Sacrorum myſtæ nomine præcipui. (*cc*)
Merc. Cerno alios plures, quos nondum dicere tentas.
Braſſic. Pemlerum indigenam reſpicis hic iuuenem. (*dd*)
Hic Sueuermarius Senior (*ee*) doctusque Salachus, (*ff*)
Primates Sophiæ & Collegii veteris.
Quorum indiuulſus ſocius per ſaxa, per ignes,
Schrötingere manes mortuus atque videns. (*gg*)
His videas noſtrum licet adiunctum Geryonem, (*hh*)
Nullo qui minor eſt artibus ingenuis.
Sunt multi, quorum tenera nunc meſſis in herba eſt,
Heros (*ii*), Millenus (*ll*), Fuchſius (*mm*), Agricola. (*nn*)

U 2 En

A. 1523.

En Baro Marcellus de de Stauff (*oo*) comitatus Hiobo
  Gaſto, aliis ſectis quamlibet implicito.
Geslerus, Marii, Veldomillerus acuto
  Iudicio, atque acri præditus ingenio.
Thenninger, Theſſingerus, auditor vterque
  Strenuus, hic iuris, ille Theologiæ.
Et cui pierides Muſæ impoſuiſſe putantur
  Zachariæ Sueuo nomina Pierio.
Miſnenſis prope quem obſeruat Charbicius hoſtes
  Aemulus, intrepidus nomine Chriſtophorus.
Gottius, Hallerus, Prunus, ſic Dittenaerus,
  Quem merito riſus dixeris artificem.
Ecce recens venit Petrus cum fratre Apianus, (*pp*)
  Aſtris addictus, ſtelligeroque polo.
Eckius hac tranſit, duplici qui nomine Simon (*qq*)
  Dicitur ac Iudas, congener & Chnabius. (*rr*)
Merc. Cerno, alacris ſacram quam cætus obambulet ædem.
Braſſic. Virtutum eſt partim ſtemmate nata cohors.
  Partim acri iuuenes formant qui cote Magiſtri,
  Et Sophiæ ingenii iugera fruge colunt.
Merc. Qui capite hi nudo? *Braſſic.* Iuuenes, qui pectore toto
  Obſeruant ſtudiis tempora dicta bonis.
Merc. Quonam iſtuc pergunt? *Braſſic.* Veneranda Academia cunctis
  Explicat hac charitum dona ſuperba domo.
  Illam olim extruxit Princeps ἰϑυσ τε μεγασ τε, (*ss*)
  Dum parat in Pylios nomina pulchra dies.
Merc. Quis fouet innumera hæc, dixti quæ carmine? *Braſſ.* Certe
  Pax ſeruat, Boium ternio & ille Ducum. (*tt*)
  Porro omnes ſuperat meus hic Leonardus amænis, (*uu*)
  Dum cathedras Studii complet vbique viris.
  Alcide eximio dignus cognomine, Muſis
  Seſe etenim ſolido præſtat amore Ducem.
Merc. Cætera & oſtendis tam exacto cardine? *Braſſic.* Gratus
  Sic reor & gnato cætera quæro ſuo.
Merc. Ergo alibi iubeas diuertere. *Braſſic.* Viue ſubinde
  Tecum erit hæc xenii teſſera parta Iouis.

* Cum

A. 1523.

* Cum multa hoc in carmine obſcura videri poſſint legentibus, perbreues adiicere notulas placuit, qualecunque lumen literariæ Vniuerſitatis noſtræ hiſtoriæ allaturas.

(a) *Aurati cognominis Vrbem*, Ingolſtadium intellige, quod olim *Ingold-ſtadium* dicebatur, vt in teſtamento Caroli M. &c. Inde etiam *Ioannes Eckius* in Actis Theologicæ Facultatis, quoties nomen ciuitatis noſtræ exprimendum fuit, *Auripolim* ſcripſit; & in oratione funebri pro GABRIELE Epiſcopo Eichſtettenſi anno 1536. die 14. Ian. habita etiam *Nouum Aureatum* dixit.

(b) *Eckius excelſo* &c. *Ioannes Eckius Theologorum Maximus*, quæ verba illi verſiculo adſcripta ſunt a Rotmaro. Fuit ſcilicet illo iam tempore ob diſputationem Lipſienſem atque editos libros clarus.

(c) *Nicolaus Appel*, de quo ſupra.

(d) *Leonardus Marſtaller*, patria Norimbergenſis &c.

(e) *Georgius Hauer* Turſchenreutenſis, SS. Canonum Doctor & Profeſſor, Parochus primum ad Divæ Virginis, tum vero ad S. Mauritii, quod poſtea dicetur.

(f) *Oſwaldus Haydenreich*, de quo ſupra. Verſus græcus hunc habet ſignificatum: *Et vltimus & medius*; *quippe præſtantiſſimus virorum*.

(g) *Franciſcus Burkhardus*, Ingolſtadienſis, Legum Ordinarius, de cuius obitu ad an. 1539. Fuit & alius *Franciſcus Burkhardus* inter Magiſtros Artium, fortaſſe ſenioris illius Iureconſulti filius.

(h) *Ioannes Roſa* Iurium Doctor & Profeſſor.

(i) *Matthias Alberus* Brixinenſis Iurium Doctor & Profeſſor, de quo ſupra ad hunc ipſum annum.

(l) *Matthæus Luchſius* ſiue *Lutzius*, Arbergenſis vel vt ipſe ſcribit, Ictinobirgotanus, Artium Magiſter, I. V. Licentiatus, & anno 1522. Rector Vniuerſitatis, & Facultatis Artiſticæ Decanus, paulo poſt I. V. Doctor &c. vt ſupra ad an. 1522.

(m) *Petrus Burkhardus*, Franciſci Burkhardi Frater, Ingolſtadienſis, Medicinæ Doctor & Profeſſor, græce inſigniter doctus, haud ſecus ac frater.

(n) Barbatus ſenex *Wolfgangus Peiſſer* Burghuſianus Medicinæ Doctor, & inde ab anno 1482. Profeſſor.

(o) *Ioannes Veltmiller*, Ingolſtadienſis, qui anno 1525. Doctor, & an. 1532. Profeſſor Medicinæ Ordinarius renunciatus eſt.

(p) *Iacobus Locher*, *Philomuſus* dictus, patria Ehinganus Sueuus, Poeta Laureatus, de quo alias.

(q) *Matthias Kretzius* Landſpergenſis, Tubingæ Artium Magiſterio inſignitus.

(r) *Oſwaldus Fiſcher*, Arnſpergenſis, inde communiter *Arnſperger* dictus. De quo infra.

(s) *Ioannes Reckenſchink*, Mülldorfenſis, Artium Magiſter, poſtea Collegii Georgiani Regens.

A. 1523. (t) *Vtraque turris*. Scilicet *Wolfgangus* & *Philippus Thurn*, Türſchenreutenſes, *Georgii Haueri* cognati.

(u) *Stephanus Stroblius* Ingolſtadienſis, Regens Contubernii Angeli, Doctor Medicinæ Ratisbonam profectus vbi mortua Virgine Veſtali in lauacro, quam ipſe in cura habuit, repudiatus a vulgo, rediit ad Gymnaſium, & profeſſus artem ſuam vix per annum, exhalauit animam.

(w) *Ioannes Vnkorus* alias Ramelſpeck ex Haideck, Medicinæ Doctor, Waſſerburgi opera artis exercuit. Deinde Rotenburgi & Wirtzburgi, poſtremum Phriſingam ſe contulit.

* Acta Facultatis Medicæ teſtantur, ad annum 1530. *Ioannem Vngkor ex Plainfeldt* Artium Magiſtrum, doctoratu medico inſignitum eſſe.

(x) *Wilibaldus Frankmannus* Eiſtettenſis Moderator Contubernii Aquilæ, primum Theologiam, deinde Ius Canonicum audiuit, cuius gratia etiam Italiam adiit, atque inde reuerſus Decretorum Doctor fit Ingolſtadii, & tandem fit Vicarius in ſpiritualibus Reuerendiſſimi Eiſtettenſis Epiſcopi.

(y) *Wolfgangus Lotter* Norimbergenſis Artium Magiſter, Collegiatus veteris Collegii, nimio ſtudio fere excæcatus. Obiit anno 1533.

(z) *Leonardus Prechtlin* (Prechtl Eichſtettenſis) Contubernii Aquilæ Regentem egit, Doctor Medicinæ creatus Ratisbonam abiit, vbi breui ditatus & mortuus eſt.

(aa) *Georgius Stenglin* (Stengl) Auguſtanus, vir doctus, inſignia Theologiæ conſecutus, Phriſingæ Concionator factus, vocatur ab illuſtriſſimo Principe WILHELMO Monachium ad Parochiam regendam, & concionandi munus adminiſtrandum, cuius frater *Ioannes* hic quoque ſtuduit & doctorea inſignia impetrauit in iure; tertius Magiſter artium euaſit.

(bb) *Conradus Thumann*, Buechenſis, Magiſter Artium, ac poſt Theologiæ Doctor, de cuius obitu ad an. 1530.

(cc) Neſcio, an hoc verſiculo *Stengelium* & *Thumannum* Presbyteros indigitet, an vero *Ioannem Götzium* Artium Magiſtrum, id quod veriſimilius videtur.

(dd) *Sebaſtianus Pemlerus*, ſiue *Pemerl* Ingolſtadienſis, Magiſter Artium, & Contubernii Aquilini aliquamdiu Rector.

(ee) *Georgius Schwebermair*, Althaimenſis, inter Artiſtas Senior. Vid. an. 1530.

(ff) Ioan-

A. 1523.

(*ff*) *Ioannes Fabri* ex Salach, alter ex Senioribus artiſticæ Facultatis & Collegii veteris Collegiatis; ac Collegii noui Regens.

(*gg*) *Ioannes Schröttinger*, de quo vid. an. 1536.

(*hh*) Doctor *Geryon Seyler*, alias *Wigiles*, alias *Anthopedios* & *Plomentaler* ex Aicha (i. e. Blumenthalenſis prope Aicham) primum valde addictus D. Ioanni Eckio, adeo vt Bibliopolæ Lutherani ab eo vapularent. Deinde inſaniit in amore ſcriptorum hæreticorum. Catholicos miro odio perſecutus eſt. Auguſtanorum factus Mercurius in conducendis Zwinglianis prædicatoribus. Hic egit Moderatorem contubernii Draconis, Auguſtæ Phyſicum Medicum.

* (*ii*) *Heros*: hoc nomine etiam in matricula Vniuerſitatis notatur *Matthias Held* Arloenſis &c. de quo ſupra.

(*ll*) *Marcus Millenus* (*Millner*) Weſtendorphinus, vir eloquens mortuo Philomuſo Poëticæ præfuit, donec poëta ſuccederet, aliquandiu deinde profeſſus minorem poëtices lectionem. Archigrammateus Neoburgi tandem euadit, & poſtea Syndicus Auguſtanus.

(*mm*) *Leonardus Füchslein* (ſic enim ſcribitur in matricula Vniuerſitatis; in Actis autem medicæ Facultatis *Füchſel*; alias *Fuchſius*) Wemdinga oriundus; quod oppidum eſt boicæ ditionis Donauwerdam inter & Oettingam Rhetiæ. Niceronius, ſeu potius Baumgartenius in verſione illius Germanica Wemdingam *Fuchſii* patriam in Griſonia (im *Graubündnerlande*) collocauit. De *Fuchſio* alias plura.

(*nn*) *Ioannes Agricola* (*Peuerlein*) Gunzenhuſanus, Artium Magiſter & græcæ literaturæ Profeſſor, de quo ſupra ad an. 1515. & infra ad an. 1531. & 1570.

(*oo*) Enumerat hic *Braſſicanus* plures ex iunioribus ſcholaſticis, incipiendo a *Marcello Barone de Stauff*; ſed nihil inuenio, quod de ſingulis ſpeciatim commemorem.

(*pp*) *Petrus Apianus*, vero nomine *Bienewitz* Leiſsnickenſis anno 1527. ad diem 28. Martii albo Academiæ inſcriptus legitur; ex quo videri poſſet, Braſſicanum non vno eodemque anno ſuum carmen fabricaſſe, cum paulo ſuperius *Mattheum Euchſium* eius anni, quo hæc ſcribebat, Rectorem, ſeu vt ipſe loquitur, *Epiſcopum Studii* dixerit, de quo tamen certum eſt, anno nonniſi 1522. a die 18. Octobris ad 24. Aprilis ſequentis anni Vniuerſitati præfuiſſe. Sed hæc, niſi fallor, combinari fortaſſe poſſunt. Inſcriptus eſt die 18. Aprilis anni 1523. adeoque *Luchſio* Rectore, matriculæ academicæ *Andreas Penewitz*, ſeu *Benewitz*, vt alibi legitur, ex Luſatia nobilis:

A. 1523. bilis: hunc ego *Petri Apiani* fratrem exiſtimo, de quo *Braſſicanus* in carmine: *Ecce recens venit Petrus cum fratre Apianus*; ſed nempe *Petrus* matriculæ nomen ſuum haud dedit, niſi ad an. 1527. quo *a Principe Illuſtriſſimo ad Lectorem Mathematicæ ordinatus eſt*; quæ verba ſunt matriculæ. Verum de Apianis alibi.

(qq) *Simon Iudas Mair de Eck*, frater Doctoris noſtri Theologi *Ioannis Eckii*. Huius ipſius manu in matricula academica verbum *Mair* non obſcure mutatum videtur in *Maioris*. Inſcriptus eſt *Simon Eckius* Academiæ anno 1525. die 22. Aprilis.

(rr) *Michael Chnabius*, ſeu potius *Knabius* de Eck: qui & *Simonis Eckii* congener a Braſſicano ſcribitur; ipſe autem *Knabius Ioannem Eckium* ſuum auunculum appellat. Fuit Magiſter Artium, & anno 1527. receptus eſt ad Concilium Facultatis Artiſticæ.

(ss) LVDOVICVS, cognomento *Diues*, Academiæ Fundator, Princeps *rectus & magnus*; quod græca verba volunt.

(tt) *Ternio Ducum Boium*; WILHELMVS ſcilicet IV. LVDOVICVS XII. & ERNESTVS II. fratres, ALBERTI IV. *ſapientis* filii.

(uu) *Leonardus ab Eck*, *Wolfseck & Randeck*, Scholæ noſtræ Patronus; de quo, vti & de filio ipſius *Oſwaldo* ſæpius his in Annalibus recurret mentio.

A. 1524.

ANNO DOMINI M D XXIV.

Rector XCV. M. WOLFGANGVS LOTHER, Nornbergenſis, veteris Collegii ſextumuir, & Contubernii Draconis Præſes.

Rector XCVI. LEONARDVS MARSTALLER, S. Theologiæ Doctor & Profeſſor, Rect. II.

Inſcripti 98.

Nobiles: *Ioannes Seybolſtorfer*, in der Schenkenaw.
Philipp. de Sansheim, Cleric. Can. Eccleſ. Colleg. Höchſt.
Wilhelm. Löſch, Monacenſ.
Wenceslaus de Witentzie & Dochorortz.
Frideric. de Wirſperg, Can. Eichſtettenſ.
Ioannes } *Balthaſar* } *Petſchner*, Monacenſes.
Heinricus de Daxſperg, Diœceſis Salisburgenſ.
Ioan. Chriſtoph. de Scala, Veronæ & Vincentiæ Dominus.

Ioan.

Ioan. Wolfgang. de Paulſtorff. A. 1524.

Nou. Doct. *M. Leonardus Fuchſel*, Wemdinganus. *Medic.*

Hoc anno incorporata eſt Parochia D. Virginis Vniuerſitati, ita vt ius nominandi Parochum penes Academiam, præſentandi vero penes eſſet Principem. Factum id ſummi Pontificis CLEMENTIS VII. beneficio.

* Memorabilior & maioris pro Academia momenti eſt alia Bulla eiusdem CLEMENTIS Papæ, eodem anno data, qua ad preces Sereniſſimorum LVDOVICI & WILHELMI fratrum, Ducum Bauariæ, cum conſenſu *Kiliani*, ad inferiorem quercum Abbatis, Parochia etiam Mauritiana cum omnibus fructibus & redditibus Vniuerſitati ea lege in perpetuum vnitur, vt Duces Bauariæ Abbati Altaichenſi idoneam perſonam cum congrua ſuſtentatione pro Vicario perpetuo nominare; Abbas vero eundem Epiſcopo pro confirmatione præſentare teneatur. Verum hæc CLEMENTIS VII. conceſſio nonniſi poſt ducentos quinquaginta annos ſub CLEMENTE XIV. executioni data eſt; id quod ſuo tempore, in quarti ſcilicet Academiæ Seculi hiſtoria enarrabitur.

Hoc anno poſteriores Collegii Georgiani ædes ſunt amplificatæ, iuſſu Illuſtriſſimi Principis GVILIELMI; procurante ac negotium adminiſtrante nobili viro ac Domino *Leonhardo ab Eckh*, ſingulari Muſarum Mecænate, ac Scholæ Patrono: de quo ſcribit Auentinus, cum de Kelhaim oppidulo diceret *Lib.* I. *Annal. fol.* 51. Patria *Leonhardi ab Eckh*, Boiorum doctiſſimi Iuriſconſulti, & inter nobiles eloquentiſſimi, & inter eloquentes nobiliſſimi. Et *lib.* 4. *fol.* 337. Qui licet claris crepundiis ortus ſit, Iureconſultorum facundiſſimus & eloquentiſſimorum iureconſultiſſimus. Et *lib.* 7. *fol.* 789. Boiorum ditiſſimus, nobiliſſimus, eloquentiſſimus, iureconſultiſſimus. Sed:

Heu nihil inuitis fas quenquam fidere diuis.

* Cauſſa *Arſacii Seehoferi* hoc iterum anno reſuſcitata eſt, cum *Martinus Lutherus* ac *Martinus* etiam *Reckenhofenius* ſeptendecim illius Articulos contra Vniuerſitatis noſtræ cenſuram defendendos ſuſciperent. Neſcio, an illiberalius quidpiam in orbe ſcriptum vnquam fuerit, ac ille *Lutheri* libellus, quippe in quo nihil prætermiſit ſordium, quo non perfunderet viros grauiſſimos ac maxime venerandos *Nicolaum Apellem*, *Leonardum Marſtallerum* Theologiæ; *Franciſcum Burkhardum a Burkhardis*, *Georgium Hauerum* Iurium; *Wolfgangum Peyſſerum*, *Petrum Burkhardum*, *Panthaleonem Brunnerum* Medicinæ; *Antonium Braunium* & *Ioannem Schröttingerum* Artium Doctores ac Profeſſores,

X qui

A. 1524. qui ſcilicet omnes *Seehoferi* damnationi ſubſcripſerant. Infamibus hisce ſcriptis Theologi noſtri non contumelias, ſed veritatem oppoſuere. Ac *Marſtallerus* quidem centum concluſiones *de vera libertate Christiana*; *Apelles* vero Septuaginta quinque Aſſertiones *de Fide, Spe, Charitate ac de legis veteris cum Euangelica collatione* die 11. Aprilis publica diſputatione examinandos propoſuit, inuitans vterque atque obteſtans quoscunque, qui contrarium aſſerere non dubitarent, vt diſputaturi adeſſe, ac palam congredi velint. In fine addunt ſolennem proteſtationem vernaculo ſermone conſcriptam, nunquam ab aliquo Vniuerſitatis membro declarationem aut commentarium in damnatos *Seehoferi* articulos fuiſſe editum; neque ipſum *Seehoferum* comminatione combuſtionis ad reuocandos ſuos articulos fuiſſe cumpulſum.

A. 1525.

ANNO DOMINI M D XXV.

Rector XCVII. GEORIVS HAVER; Canonum Doctor & Profeſſor, Rect. II.

Rector XCIIX. M. GEORGIVS SCHWEBERMAIR, Rect. VI.

Inſcripti 73.

Nobiles, *Georg. Ecker*, de Obernpöring, Can. Friſing.
Adam. Meſsdorffer, Can. Salisburg.
Hartneyd. Haunſperger.
Ioachim. Schad de Mittelbibrach.
Vrbanus Cloſner de Haidenburg, Can. Ratisb.
Habundus de Praitnpach, Can. Auguſt. & Ratisb.
Chriſtoph. Carlebitz de Hoffenberg.

Nou. Prof. *Hieronym. Leicht*, Lomersheimenſ. *Medic.*

Nou. Doct. *Ioannes Weng*, Neoſtadian. ad Aiſcham. *Medic.*

Georgio Hauer ſucceſſit in Parochia D. Virginis *Ioannes Eccius* Theologus, tradita eidem Parochia Mauritiana, cuius ædes ruinoſæ erant, Parochus Academicus ſeptimus, alias undecimus.

* Ad initium Februarii relicta Academia Monachium diſceſſit *Pantaleon Brunnerus*, inde ab anno 1520. Medicinæ apud nos Profeſſor. Huic prima die Maii ſucceſſit *Hieronymus Leichtius*, a Sereniſſimo Duce WILHELMO Vlma Sueuorum ad cathedram medicam huc vocatus.

Mo-

Moritur hoc anno *M. Ioannes Salachius*, qui anno tertio Rector fuit Academiæ, Burſæ Aquilinæ Præſes, Sacræ Theologiæ Baccalaureus, & humaniorum literarum peritiſſimus. A. 1525.

Inter inſcriptos fuit Leonhardus Gebhard ex Khelching, oppidulo in conſpectu Ingolſtadii, promotus in Magiſtrum anno 31. factus latinarum litterarum Profeſſor anno 33. Obiit Auguſtæ Rhetiæ anno 1547.

ANNO DOMINI M D XXVI.

A. 1526.

Rector XCIX. IOANNES SCHRÖTINGER S. Theologiæ Licentiatus, Rect. II.

Rector C. GEORGIVS HAVER, Decretorum Doctor & Profeſſor, Parochialis Eccleſiæ apud D. Mauritium Paſtor, Rect. III. dictum eſt ſupra de mutatione Parochiarum inter *Eccium* & *Hauerum*.

Inſcripti 89.

Nobiles, *Chriſtophorus de Bauaria*, Illuſtriſſimi Principis Domini WILHELMI Bau. Ducis filius naturalis.

Sigismund. Marſchalk de Pappenhaim.

Conrad. de Wirſperg.

Ioannes } *Nothaft.*
Albertus }

Ioannes Oebinger, Vlmenſis.

David de Otting.

Andreas Gotzman nobilis de Pyg.

Philipp. Schenk de Winterſtetten, Can. Auguſt.

Wolfgang. Cloſner de Haidenburg.

Henricus a Landaw, Can. Friſing.

Ioan. Wolfgang. de Wolmershauſen, Can. Herbipol.

Nou. Prof. *Wolfgang. Eſſelin*, Wemdingan. *Medic.*

Leonard. Füchſel, Wemdingan. *Medic.*

Nou. Doct. *Conrad. Thuman*, Buechenſis, *Theol.*

Ioannes Veltmiller, Ingolſtad. *Medic.*

A. 1526.

* Mox ad huius anni initium exhibent Acta Facultatis Artiſticæ literas Ducis GVILIELMI Auguſtæ Vindelicorum datas, quibus Rectori ac Senatui Vniuerſitatis mandat, vt Magiſtris Artium eadem ratione. qua ceteris Profeſſoribus, ex Camera Vniuerſitatis penſio annua ſoluatur, vt & ipſi deinceps gratis, & abſque vllo ab Auditoribus collecto ſtipendio ſuas lectiones habere poſſint. Conuocato Patrum concilio conuentum eſt in ſeptuaginta quinque florenos rhenanos ſingulis perſoluendos; quod & Principis approbatione firmatum eſt. Inſtitutum eadem occaſione Pædagogium, in quo ad duas quotidie horas græcæ latinæque linguæ rudimenta tradebantur. Præfectus eidem fuit *M. Zacharias Pierer* Landauienſis; atque eo ex *Leonardii Eckii* voluntate remoto, *M. Laurentius Hochwartus* Türſchenreutenſis, Magiſter Lipſienſis. Græcas literas docuit *M. Ioannes Agricola* Gunzenhuſanus; ad lectionem poeticam ſelectus eſt *M. Alexius Zehentmayr* Memmingenſis.

Natus eſt THEODO Bauariæ Dux, ALBERTI frater: quando obierit non habeo.

* Fuit hic THEODO filius primogenitus WILHELMI IV. natusque eſt die 10. Februarii huius anni, mortuus Wolfratshuſii anno 1534.

Hoc anno exceſſit e viuis clariſſimus vir, *Petrus Burckhardus* Medicinæ Doctor & Profeſſor, cui Epitaphium marmoreum in ingreſſu ſeu veſtibulo ſuperioris portæ, apud D. Virginem in parte ſeptentrionali videre licet.

* Obiit *Burkhardus* ipſo die Paraſceues, qui incidit hoc anno in diem 30. Martii; & ſepulchrum nactus eſt vna cum coniuge ſua *Vrſula Hohennetlin* in dicto portæ veſtibulo ad D. Virginem. Vtriſque monumentum marmoreum fieri fecit *Margaretha* filia, cum hac inſcriptione: *Clariſſimo Viro D. Petro Burckhardo Medicine Doctori eiusque hic publico Profeſſori & Vrſule Hohennetlin caſtiſſime eius coniugi parentibus ſuis piiſſimis Margaretha filia ſuperſtes P. E. F. F. Deceſſit in die Sancte Paraſceues Anno Domini M. D. XXVI. Cuius anima Deo viuat.*

Hunc ipſum *Petrum Burckhardum* ſaltem ad annum vſque 1518. publicum Medicinæ Profeſſorem Wittenbergæ exſtitiſſe, vtut alia deſint documenta, libellus demonſtrat typis Wittebergenſibus impreſſus, hoc titulo: *Parua Hippocratis tabula per egregium Virum Dominum Petrum Burckhard Ingelſtatenſ. Artium & Medic. Doctorem in Alma Wittenbergenſi Academia medicinam ordinarie profitentem quibusdam familiaribus ſcholiis & aucta & illuſtrata.* 1518.

Ex eadem Facultate e viuis exceſſit hoc anno, 19. Decembris clariſſimus & excellentiſſimus Medicus *Wolfgangus Peiſſer*, Medicinæ Profeſſor Ingolſtadii, vir magnæ lectionis, id quod libri

eius

eius apud nepotes etiamnum teſtantur; bene cum de Academia, tum etiam ciuili republica meritus. Sepultus eſt apud Franciſcanos in Sacello D. Viti cum tali Epitaphio: A. 1526.

Wolfgangus Peiſſer Medica notiſſimus arte,
Cui dedit & prudens docta Minerua caput.
Hoc tegitur ſaxo, dignus qui viueret annos
Neſtoris, & priſcos inter habendus auos.
Gymnaſii Patriæque fuit ſpes vnica noſtræ,
Sydereos meruit ſicque videre locos.

Fuit præter eruditionem & fœlicitatem in arte Medica, vir ſummæ pietatis; id quod monumenta eius poſteritati relicta teſtantur: Egregie ornauit Sacellum D. Viti apud Franciſcanos, ſuæ ſepulturæ locum, diuerſis ornamentis, tribus ſcilicet tabulis, quarum vna picta variorum martyrum hiſtorias continet: duæ vero ſunt ſculptæ inſtar altarium, & earum vna paſſionem CHRISTI, altera hiſtoriam Diui Wendelini habet. Idem etiam vna cum honeſto ciue *Alberto Städler*, qui anno 1517. vita defunctus, in eodem apud Franciſcanos Sacello eſt ſepultus, feneſtram in Sacello D. Annæ apud Beatam MARIAM Virginem, propriis expenſis fieri curauit.

* *Leonardus Füchſelius*, ſiue *Fuchſius* vt ſupra notaui, poſtquam inde ab anno 1524. quo Doctor apud nos creatus fuerat, Monachii praxin medicam magna cum dexteritate exercuiſſet, hoc anno *Leonardi Eckii* commendatione ad cathedram medicam huc translatus eſt; cum iam aliquot abhinc menſibus *Effelinus*, itidem Wemdinganus, ordinarius Medicinæ Profeſſor fuiſſet conſtitutus.

ANNO DOMINI M D XXVII. A. 1527.

Rector CI. M. GEORGIVS SCHWEBERMAIR, VII.

Rector CII. IOANNES ECCIVS, S. Theologiæ Doctor, II.

Inſcripti 78.

Nobiles, *Guilielmus Baro a Schwarzenberg.*
Chriſtoph. a Stain, Can. Auguſt.
Conrad. Knöringer de Knöring.

A. 1527.

David / *Gregor.* } *Minich de Minichhauſen*, fratres.
Otto de Liechtenſtain, Dominus in Surau, Supremus Camerarius hereditarius in Stiria & Mareſchallus Carinthiæ.
Ioannes Fuchs a Meren.
Philipp. de Remming, Can. Spirenſ.
Leonhard. Graff de Schernberg, Can. Salisburg.
Balthaſar Konberger de Vilspiberg.
Iodocus de Fiſenbach, Can. Salisburg.
Matthaeus Pretzl, Salzburgenſis.
Ioannes / *Arnoldus* } *de Geyr.*

Nou. Prof. *Petrus Apianus*, Leiſnikenſ. *Matheſ.*
Nou. Doct. *M. Geryon Sayler*, Blumenthalenſ.
M. Ioan Hener, Waſſerburg. ad lac. brigant.
Paulus Schletacher, Friburg. Miſnius.
M. Stephanus Strobl, Ingolſtadienſ. } *Medic.*

Inter inſcriptos fuit I. *Petrus Apianus* ex Leiſnitz (*Leiſnick*) Mathematicus, ab Illuſtriſſimo Principe GVILIELMO ad lectionem Matheſeos vocatus.

* Fuit *Apianus* inter Mathematicos iam tum maximi nominis, ita, vt a variis Academiis, nominatim a Lipſienſi, Tubingenſi, Viennenſi, Paduana & Ferrarienſi Matheſeos Profeſſor expeteretur, oblato pingui ſtipendio. Sed ille Ingolſtadium præhabuit, vbi ad annum vſque 1552. vitæ ſcilicet vltimum verſatus eſt, ſemper magni æſtimatus ab eruditis omnibus, & a Principibus etiam viris amatus & honoratus. Vid. an. 1552.

II. *Georgius Weinmaiſter*, vir literatus, rerum experientia clarus, qui aliquandiu Turcicam immanitatem eſt expertus in captiuitate: præfuit multis annis Telonio apud Ingolſtadienſes.

* Menſe Maio huius anni ad inclutam Facultatem Artium receptus eſt *Laurentius Hochwartus* Turſchenreuttenſis, Magiſter Lipſienſis, qui die 17. Nouembris ſuperioris anni albo academico fuerat inſertus. Huius viri iam tum non exiguam eruditionis famam, atque apud *Leonardum* præcipue *Eckium* æſtimationem oportet fuiſſe; quippe cum is die 12. Maii ad Facultatem Artiſticam ſcriberet, vt *Zacharias Piererus* ſua lectione pædagogica deſtitueretur, eoquod ſeſe a Collegio nouo contra

tra ſtatuta abdicaſſet, neminem alium huic lectioni præficiendum volebat, quam *Hochwartum*; cumque rem differendam cenſerent quidam de Facultate Patres, dum Scholæ Patronus plenius edoceretur, ſuperuenere die 24. dicti menſis aliæ eiusdem literæ, quibus minabatur, niſi morem mox gererent, ſe effecturum apud Principem, vt ſtipendia nuper ipſis conceſſa iterum eriperentur. Tam ſerio ſe pro *Hochwarto* interpoſuit illuſtris *Eckius*. Nec vero indignus ille videri debet tanti viri fauoribus, qui deinceps non dignitatibus tantum eccleſiaſticis, ſed multo magis optimarum literarum ſcientia inclaruit; vt ſane mirandum ſit, *Hochwarti* nomen etiam inter eruditos fere obliteratum eſſe. Illius tamen memoriam feliciſſime nuper reſuſcitauit vir incomparabilis *Andreas Felix Oefelius* in ſuis Rerum boicarum Scriptoribus, cum non illuſtre tantum eruditionis Hochwartianæ monumentum, *Catalogum* ſcilicet *Epiſcoporum Ratisbonenſium*, ſed duas inſuper eiusdem *Hochwarti* epiſtolas e Tabulario Sanctemeramenſi communicatas edidit, quæ totam eius vitæ hiſtoriam pulcerrime exhibent. Inde diſcimus, *M. Laurentium*, antequam ad nos accederet, Friſingæ ſcholam cathedralis Eccleſiæ vltra triennium rexiſſe ea cum laude, vt in Suffraganeum ibidem videretur promouendus, ſi perſiſtere diutius voluiſſet. Sed animo ſublimioribus vacandi ſtudiis Ingolſtadium venit, vbi vt ſupra relatum eſt, publico ſtipendio bonas literas profeſſus eſt; ſimul Theologorum Iurisperitorumque *Lectoria* (ipſius verbo vtor) obambulans ea didicit, quæ in futurum vſui eſſe poſſent. Fuit is omnium primus, qui ex lectione pædagogica ſtipendium percepit octo aureorum, ſeu viginti quatuor florenorum, quibus dein alii decem adiecti ſunt. Menſe Decembri huius anni Pædagogium & Academiam reliquit, a *Valentino* Abbate Waldſaſſenſi ad Thyrſirutinam (ſic ipſe natalem locum apellat) Parochiam inuitatus. Huic cum triennio præfuiſſet, ab Epiſcopo ſuo Ratisbonam vocatus primum in S. Vdalrici, dein in S. Ruperti Eccleſia conciones habuit, magno populi concurſu. Anno 1531. a *Ioanne Cochlæo* iam pene perſuaſus, vt Dresdam iret GEORGIO Duci a ſacris concionibus futurus, *Matthæo* potius *Luchſio* Cancellario Eichſtettenſi obſecutus eſt, ad cathedram ſummæ ibidem Eccleſiæ inuitanti; quamuis aliam deinde conditionem illius loci Epiſcopus obtulit. Biennio integro ibidem perſtitit, cum canonicatus in cathedrali Eccleſia obtinendi ſpe ad ſacri oratoris munus Ratisbonam redit; ac Ingolſtadio tranſiens SS. Canonum Doctor, creatur; vt ſcilicet Canonicus eſſe poſſet: qua etiam dignitate paulo poſt condecoratus fuit. Anno 1549. Canonicatu etiam Paſſauienſi fuit donatus, poſtquam per annum ibi conciones habuerat. Interfuit eodem anno Concilio prouinciali Salisburgenſi, & anno 1551. generali Tridentino per quinque fere menſes. Obiit Ratisbonæ vel anno 1569. exeunte, vel ineunte 1570. *Hochwarti* ſcripta laudatus vir, Clariſſimus *Oefelius* hoc ordine recenſet: I. *Sermones varii*, *una*

cum

A. 1527. *cum vita eius ad initium libri ſcripta.* II. *Monotheſſaron in quatuor Euangelia.* III. *De Epiſcopatibus quibusdam Collectanea.* IV. *Chronicon ingens mundi.* V. *Bellum ſociale Smalcaldicum.* VI. *Hiſtoria Turcarum ad DCCC. annos repetita.* VII. *Ratiſponenſium Epiſcoporum Catalogus. Libris III.* qui ſolus hactenus in lucem publicam eſt editus.

A. 1528.

ANNO DOMINI M D XXIIX.

Rector CIII. GEORGIVS HAVER, &c. IV.

Rector CIV. M. IOANNES RECKHENSCHINCKH, Müldorfenſis, Diocæſis Salisburgenſis.

Inſcripti 64.

Nobiles, *Valentin. Groſs* de Trockaw, Can. Eichſtett.
Chriſtophorus Tanner.
Chriſtoph. a Lamberg, Can. Salisburg.
Georg. Sanshaimer ex Pinepiburg.
Ioan. Awer ab Odelzhauſen.
Sebaſtianus / *Ioan. Georg.* } *Leonroder* ex Arberg, fratres.
Arnolphus Cinzendorffer ex Fridaw, Can. Salisburg.

Nou. Prof. *Stephanus Strobl*, Ingolſtadienſ. *Medic.*

Nou. Doct. *F. Petrus Hutz*, alias *Neſtler* dictus, Conuentualis Prædicatorum Vlmæ. *Theol.*
M. Wolfgang. Moll, Pappenhaimenſ.
M. Ioannes Gesler, Ingolſtadienſ.
M. Vdalricus Kreyer, Feldkirchenſ.
M. Ioannes Agricola, Gunzenhuſan. } *Medic.*

Naſcitur Dominica *Inuocauit* hora decima antemeridiana, Sereniſſimus Dux ALBERTVS, Patriæ Pater.

* Incidebat tunc Dominica illa in diem 29. Februarii.

Ex inſcriptis hoc anno præcipue memorandus eſt Chriſtophorus a Lamberg, quæ celebris eſt apud Carnos, tam belli quam pacis ſtudiis aſperrimam gentem, familia. Fuit is Canonicus Salisburgenſis, & noſtra memoria primo Decanus, deinde eiusdem Eccleſiæ Salisburgenſis Præpoſitus & Archidiaconus. Vir pietate

tate grauis, literatus, literatorum & præſertim Muſices perquam ſtudioſus amansque. Epiſcopatum Secouienſem oblatum aliquando acceptarat, ſed neſcio qua de cauſa mutauit conſilium, iisque reddidit, vnde acceperat, forte quia ſe tantæ negotiorum moli imparem eſſe arbitrabatur, aut quia priuatus malebat viuere: ſed hæc tantum coniicimus. Archiepiſcopatum Salisburgenſem nunquam affectauit, oblatum aliquando modeſte renuiſſe dicitur. Succeſſit in Præpoſitura Reuerendiſſimo Principi & Domino *Eberhardo ab Hiernhaim*, Epiſcopo Aichſtadiano & Præpoſito Salisburgenſi. Obiit plenus dierum, laboribus exhauſtus, ſenio, canisque venerandus menſe Martio, anno 1579. Ei in Præpoſitura ſubrogatus eſt vir nobilis & antiqui apud Carnos generis, eruditionis ſingularis, raræ prudentiæ, conſilii maximi, pietatis ſummæ & vitæ integerrimæ, *Georgius a Khuenburg*, Canonicus Salisburgenſis & Præpoſitus veteris Oetingæ. A. 1528.

* *Leonardus Fuchſius*, poſtquam biennium apud nos docendo conſumſerat, hoc anno Onolzbachium abiit, Illuſtriſſimi ibidem Marchionis Brandenburgici Archiater futurus. In eius cathedram ſucceſſit *Stephanus Strobelius*.

ANNO DOMINI MDXXIX.

A. 1529.

Rector CV. NICOLAVS APPEL, Eguelus, II.

Rector. CVI. GEORGIVS HAVER, V.

Inſcripti 80.

Nobiles, *Wilhelm. de Trautmansdorf*, Can. Salisburg.
Georg. Erſinger de Dergenfeld.
Georg. Marſchalk de Pappenhaim.
Mauritius, de Sandizell.
Wolfgang. a Peylwitz.
Chriſtoph. Reſch, Burghuſian.
Chriſtoph. a Webingen, Can. Trident. & Brixin.
Balthaſar a Monthenio, nobilis Atheſinus.
Nicolaus a Karlwitz, Cleric. Miſnenſ.

A.
1529.

Ioannes Oſthner, ex Inſpruck.
Wolfg. Theodoric. a Schaumberg, Can. Herbipol.
Ioannes / *Chriſtoph.* } *Zenger* ex Danſtein.
Euſtachius Schmieber, ex Oettling.
Henric. Salzinger, ex Eckelkofen.
Ioan. Georg. de Zedwitz, Can. Elwang.
Chriſtophor. Leonwerger.
Chriſtoph. de Weſterſtetten in Altenberg, Can. Elwang.
Ioachim. Pleyer, Salzburgenſ.
Oſwaldus ab Eck in Wolffs - & Randeck.
Nou. Prof. *Nicolaus Euerhardus* Ambſterodamus LL. Profeſſor.
Fabius Arcas de Narnia, Romanus, LL. Doct. & Prof.
Nou. Doct. *Antonius Praun*, Haunsfurtenſ. *Theol.*
Iacobus Faber, ex Gengen, *Medic.*

Notandi ex Inſcriptorum numero I. *Wilhelmus a Trautmanſtorf*, Canonicus, & quo hæc ſcribimus tempore (an. 1579.) Decanus Salisburgenſis, vir grandæuæ ætatis, bonis literis excultus, multa experientia clarus, & in rebus agendis induſtrius. II. *Mauritius de Sandizell*, qui noſtra ætate Epiſcopum Friſingenſem egit, & reſignauit libere, ſuccedente eidem Illuſtriſſimo Boiorum Duce ERNESTO ALBERTI filio. III. *Chriſtophorus a Webingen*, nobilis, autoritate Apoſtolica Magiſter & Protonotarius, Comes Palatinus, & Tridentinus Brixinenſisque Canonicus. IV. *Oſwaldus ab Eck*, Wolfs & Randeck, magni illius *Leonardi ab Eckh* & patroni ſcholæ filius. V. *Ioachimus Schiller* ab Herdern Brisgouienſis qui eodem tempore (*ſequenti anno*) in Doctorem Medicinæ promotus eſt. Valde is fuit celebris apud Friburgenſes Brisgaudiæ: tres poſt ſe reliquit filios, ex quibus natu maximus aliquando Officialem Argentoratenſem egit: tres itidem filias, quas ego tribus vidi nuptas Medicis; *Melchiori Müllhauſero*, *Caſparo Greiſelio* Sueuo, Medicis Salisburgenſibus, & *Alberto Holtzapfelo*, Phyſices Profeſſori Friburgenſi. Ex his etiamnum viuit *Melchior Müllhauſer* Alſata, Profeſſor quondam Medicinæ Friburgi, nunc vero, & quidem per multos annos Reuerendiſſ. Archiepiſcoporum Salisburgenſium, *Michaëlis a Khienburg* piæ memo-

A: 1529.

memoriæ, & *Ioannis Iacobi Khuen*, Medicus aulicus, vir præter Medicinæ & Matheſeos abſolutiſſimam cognitionem græcarum quoque literarum & omnis humanioris & politioris literaturæ peritiſſimus; id quod verſio Muſices Ptolomæi ex Græco in Latinum idioma aliquo modo teſtari poteſt: de quo pro eius in me beneficiis, plura debebam dicere, niſi viuos inuidia premeret, & adulationis crimen mihi pro foribus obiiceretur. Tacere tamen omnino & eiusmodi viros ſilentio præterire, ego turpiſſimum nefas eſſe duco.

Regens noui Collegii factus *M. Thomas* (Ioannes) *Rheckenſchinckh* Müldorfenſis & præfuit vno anno; Anteceſſor eius *M. Antonius Praun* Suffraganeus factus Aichſtadianus, & eodem anno doctoralia in S. Theologia recepit inſignia.

Naſcitur Pragæ Sereniſſima Regina ANNA, Archiduciſſa Auſtriæ, & Duciſſa Bauariæ, Sereniſſimi Boiorum Ducis ALBERTI coniunx, 7. liberorum mater, anno 1529. die 10. Iunii, hora quarta antemeridiana.

* Sed nihil ad hunc annum memoria noſtra, ac plane admiratione dignius, quam illud Sereniſſimi Principis noſtri in ſuam Academiam & optimas literas ſtudium, quo incitatus ex remotiſſimis etiam prouinciis præſtantiſſimos euocauit Præceptores. Sic menſe Iulio ex Hollandia huc acceſſit *Nicolaus Euerhardi* Amſterodamius, *Friſius* alias dictus, ad ordinariam Iurium lectionem a Principe conductus. Ex Italia eodem anno, menſe Septembri accepimus nouum itidem legum Profeſſorem *Fabium Arcadem de Narnia*, Romanum, virum nobilem, & Iuris vtriusque Doctorem. De vtroque erit ſæpius deinceps diſſerendi locus.

ANNO DOMINI M D XXX.

A. 1530.

Rector CVII. FABIVS ARCAS *de Narnia* LL. Doct. & Ordinarius.

Rector CIIX. M. OSVALDVS ARNSPERGER, S. Theologiæ Baccalaureus Formatus.

Inſcripti 112.

Nobiles, *Carolus a Schamberg.*

Ioannes a Noſebitz.

A. 1530.

Georg. Nothaſt a Runting.
Chriſtoph. de Ebenham.
Ludouicus de Eyb, Can. Eichſtett.
Leopold. Dietherr de Schedling.
Wiguleus Hunt a Lauterbach.
Carolus a Montenio Atheſin., Can. Ratisbon.
Ioan. Philipp. a Seckendorf, Can. Bamberg.
Chriſtoph. Groſs de Trockaw, Can. Eichſtett.
Ioannes de Sandizell.
Ioan. Richard. Kirgl de Siespach, Can. Ratisbon.
Ioan. Oſimus Pöll de Conſtein.
Sebaſtian. Zot, Oenipontanus.
Philipp. Schenk Baro a Lympurg.
Balthaſar a Seyboltſtorf } fratres.
Wernerus a Seyboltſtorf }
Chriſtophorus a Kamer.
Quirinus a Leutersham.
Ludouicus Fuchs ex Ebenhofen.

Nou. Doct. *M. Martin. Kloſtermair*, Ingolſtadienſ. }
M. Adam. Zwicker, Memmingenſ. }
Ioachim. Schiller ex Herdern, prope Friburg. } *Medic.*
M. Ioannes Vngkor ex Pleinfeld. }
Michael Krautwadel, Fridbergenſ. }

* Die 23. Aprilis cum ad electionem noui Rectoris procederetur, ordo quidem Facultatem artiſticam tangebat; quod Medici tunc neminem haberent eius dignitatis capacem; ſed dedere hoc honoribus *Fabii Arcadis* Artium Magiſtri, loco ſuo in Rectorem Vniuerſitatis ut eligeretur.

Ex inſcriptis hoc anno praecipue memorandi veniunt I. *Philippus Baro a Lympurg.* II. *Wiguleus Hund a Lauterpach*, vir omni exceptione maior: de quo in Rectoratu eiusdem plura.

* Illud ſolum hic addere viſum, quod ipſe *Hundius* in familiæ ſuæ deſcriptione, teſte Finauero, adnotauit; ſcilicet ſe Iurisprudentiæ rudimenta cepiſſe ſub *Fabio de Narnia* Romano, *Francisco Burkhardo* & *Chriſtophoro Barbaſchio* Doctoribus; cuius quidem poſtremi ego nullum alibi veſtigium inuenire potui; vt adeo plane ignorem, quis *Barbaſchius* ille fuerit.

Ad-

A. 1530.

Adhuc in viuis eſt, Patronus & Scholæ noſtræ Mecænas benigniſſimus. III. *Wolfgangus Hunger* Waſſerburgenſis, qui nono poſt anno Doctor factus in Galliis; de quo itidem in eiusdem Rectoratu, anno 41. IV. *Thomas Schober*, frater germanus *Gaſpari Schoberi*, de quo anno 15. Hic fratre ſuo haudquaquam inferior, eiusdem veſtigiis inſiſtens LL. Doctor euaſit clariſſimus; fuit primum a conſiliis vrbi Imperiali Vlmæ; deinde aſſeſſor Spiræ, ac poſtremum Impp. FERDINANDI I. & MAXIMILIANI II. Conſiliarius aulicus. Obiit Viennæ 1572.

E viuis exceſſit eodem anno Reuerendus & vere pius vir ac Dominus *Georgius Schwebermair*, poſteaquam iam ſeptimo Rectoratum Academiæ, multoties Decanatum Philoſophicæ Facultatis adminiſtraſſet. Præfuit Collegio Georgiano, Regens primus, ab anno 1496. vsque ad annum 1507. tria in eodem Collegio fundauit ſtipendia *

* Ad formam Fundationis Georgianæ; ac duo quidem pro ſuis cognatis, ad quæ præſentandi ius habere voluit Parochum Althaimenſem, geminos eiusdem Eccleſiæ curatores, & duos Althaimenſes ruſticos. Tertium pro paupere Sacerdote cuiuscunque nationis; cuius præſentatio ad ordinarios Theologiæ Profeſſores, ad Decanum Artium & Collegii Regentem pertineat.

Sepultus eſt apud D. Virginem, cum eiusmodi Epitaphio: *D. Georgio Schwebermair ex Althaim primo Regenti noui Collegii, ſeptimò Rectori, trium Stipendiorum Fundatori fœliciter poſitum, anno Domini* 1530. *die 6. Iunii.* Parieti affixum eſt hoc monumentum, ſed & alterum, itidem lapideum humi iacet in Sacello D. Ioannis.

Moritur hoc itidem anno Doctor *Conradus Thuman*, cuius ſupra in carmine Braſſicani facta eſt mentio, Ratisbonæ, ſummi ibidem templi concionator, cum ex comitiis Auguſtanis, multis donatus gratiis domum rediiſſet.

Præterea obiit hoc anno Calendis Iunii *Thomas Ramelſpach* SS. Theologiæ Doctor, & Rector ſecundò: Præfuit docendi muneri apud Ingolſtadienſes tribus annis, & vndecim menſibus, hoc eſt, ab anno 15. ad annum vſque decimum octauum. Vocatus Patauium ab Illuſtriſſimo Principe ERNESTO, Duce Bauariæ, & Epiſcopatus Patauienſis Adminiſtratore, ibidem e viuis exceſſit. Habet monumentum in Schola Theologorum, impenſis & opera eorundem confectum.

A. 1531.

ANNO DOMINI M D XXXI.

Rector CIX. LEONARDVS MARSTALLER, D. Theologus & Profeſſor, III.

Rector CX. GEORGIVS HAVER Doctor, &c. VI.

Inſcripti 105.

Nobiles, *Ioannes Ecker* ex Frontenhauſen.
Ioannes Lung ex Planeck.
Ioannes Münch a Münchhauſen.
Nicolaus Langenmantl.
Sigismund. a Fraunberg.
Ioannes Reiſacher ex Benſol.
Franciſcus a Dannberg.
Chriſtoph. Ecker de Obernpering.
Hochprand a Sandizell de Edelzhauſen.
Chriſtophor. a Thann, Can. Herbipol.
Georg. a Gumpenberg in Petmes.
Michael a Kienburg.
Chriſtoph. a Parſperg de Flüglſperg.
Ioan. Hartlieb Wallſparn.
Ioan. Georg. a Weſterſtetten.
Pangratius Hirſchawer ex Müldorf.
Georgius Iud a Penkberg.
Georg. Illſung, Patrit. Auguſt. & Can. ad S. Maurit.

Nou. Prof. *Ioannes Agricola*, Gunzenhuſan. *Medic.*

Inter inſcriptos erant I. Dominus *Ioannes Torpinus* Dioceſios Archadienſis in inſulis Orcadibus. II. *Georgius Täſſinger*, Lauginganus, Archidiaconus in Gmünd

III. *Michael a Khienburg*, ex nobili & equeſtri Tauriſcorum familia natus, inter medios quidem aut pene etiam poſteriores, qui noſtram Academiam inuiſerunt; ſed religionis, pietatis, eruditionis, omnisque virtutis ratione merito primo ponendus loco, ſcholam Ingolſtadianam, ſtudiorum gratia, anno hoc, menſe Septembri, paulo poſt, vt opinor, & Patauienſis & Salisburgenſis Canonicus factus. Euocatus Patauio, anno Domini 1554. vbi & præbendam habebat, & ponti ſupra Oenum præ-

præfectus erat, reſignante Archiepiſcopatum Illuſtriſſimo Boiorum Duce ERNESTO, eligitur in eius ſucceſſorem & Archiepiſcopum Salisburgenſem, confirmatus a ſummo Pontifice, ſequenti anno 1555. vrbem ingreſſus eſt (quod vocant *den Einridt*) ſeptimo die Ianuarii Diuo Valentino in quibusdam epiſcopatibus ſacro, cum præcedenti die vel trium Regum, vel Dominica (niſi fallor) in Archiepiſcopum eſſet conſecratus, magno cum comitatu equeſtri, rubra indutus tunica, qualis eſt Legatorum Sedis Apoſtolicæ, effuſis partim in occurſum ciuibus armatis, partim ad portas pro cuſtodia poſitis, multis etiam Archiepiſcopum equo inſidentem ſtipantibus, qui holoſericis induti erant veſtibus. A. 1531.

Excipiebat eum ad portam, Nonnarum vallis, ex libera aduenientem aula (Incolæ vrbis appellant *Freyenſaal* & non ita procul ab vrbe diſtat, ibique ingreſſuri Epiſcopi & ornatum & comitatum colligunt, & diſponunt) Clerus Salisburgenſis, Epiſcopus & Suffraganeus Chiemenſis, Præpoſitus & Decanus templi Cathedralis cum ſuis Canonicis, Abbas D. Petri, eiusque totus conuentus, cæterique diuerſorum templorum Sacerdotes. Præibat in reditu Clerus & cum hymnis ac cantu deuoto per longas viarum ambages ad ſummum templum deducebat. Congratulationis, applauſusque ergo, & vt maior auguſtiorque ingreſſus noui Domini eſſet ſolennitas, reſonabant per omnia templa Campanæ, fulgurabantque in arce Epiſcopali bombardæ vſque adeo nec Clerus, & præſertim Collegium Canonicorum, neque equeſtris ordo, nec ciuitas ſuo voluit deeſſe officio, qui pariter omnes, quaſi animi ipſorum fœliciſſima quæque & auſpicata ſingulis præſagirent, lætitiæ publicæ, ac priuati gaudii edebant indicia.

Equidem hoc de illo Principe, ſine omni adulationis aut ininuidiæ ſuſpicione, vereque me apud æquos iudices, rerumque & vitæ ipſius peritos, affirmare poſſe confido, quod heros fuerit omni virtutum genere præſtantiſſimus, ſuisque pene diuinis dotibus multos Germaniæ Principes, ceu Sol clariſſimus reliquas ſtellas, longis interuallis poſt ſe reliquerit, ac proinde tum ſuis ſubditis, tum exteris etiam omnibus, præcipue vero Principibus viris extiterit gratiſſimus.

Cæ-

A. 1531. Ceterum vt paucas tantum illius attingam virtutes, incredibilis in eo elucebat pietas erga Deum, religionem ac cultum diuinum, liberalitas tum in egenos, tum etiam doctos viros, amor & clementia in ſubditos maxima, humanitas & affabilitas ſingularis. Quod præcipuum ille in humana cenſebat vita, omnes dies a precibus inchoabat, primumque omnium, quas debebat ex præcepto Eccleſiæ, reddebat, ſoluebatque Deo precationes, horasque perorabat vt vocant Canonicas. Qua in re pro maiori deuotione ac ſolennitate ſemper alterius Sacellani vtebatur opera: alternisque verſibus, ac reſponſionibus orare illi placebat. Deinde Sacrificio intererat, poſt demum negotiis vacabat prophanis, aulicisque, non immemor illius præcepti, primo quærendum regnum Dei & poſt omnia nobis adiecta iri.

Etſi vero iam tum, cum omnes pene Germaniæ Prouincias, ciuitatesque, tum etiam in eius Archiepiſcopatum, & præſertim vrbem Metropolim Lutheraniſmus, ſenſim taciteque irrepſerat, quæ omnium venenorum eſt natura, ita tamen quicunque alterius doctrinæ ciues in religione ſeſe gerebant, vt neque manifeſtam grauius quicquam contra quemcunque eorum ſtatuendi occaſionem præberent, & omnes primo aſpectu pro Catholicis facile haberi poſſent, cum ea, quæ Catholicorum eſſent, ſi non intrinſecus ſimul, certe forinſecus præſtarent, adeo vt is morbus non tam ferro aut igne, quæ ſunt extrema, quam mitioribus & benignis vt vocant medicamentis egere videretur.

Nec ſane dubitandum, quin cum omne initium ſit graue, & in periculoſis ac dubiis morbis caute in principiis agendum, lenteque iuxta prouerbium, feſtinandum, nullam non, ſiue aſperam ſiue mitem quamcunque omnis hæreſis extirpandæ viam ac rationem tentaſſet, ſi vlteriorem ei Deus præpotens vitam conceſſiſſet. Inſtituerat enim Princeps ille & piiſſimus & prudentiſſimus multa reipublicæ tam Eccleſiaſticæ quam Politicæ, præſertim vero religioni & rei literariæ, præſtare ſalutaria, quæ in charta quadam conſignata poſt ipſius mortem reperta dicuntur; quibus procul dubio Religio Catholica priſtinas recuperaſſet vires: ſed mors improba, quæ æquo pede pulſat pauperum tabernas, regumque turres, vt inquit Lyricus; quibus plerumque ini-

inimica magnis, præclariſque, eiusmodi pulcherrimas heroum cogitationes & inſtituta ſaluberrima interuertit, aboletque, & optima quæque ante diem rapiens deteriora relinquit. A. 1531.

Alebat iam tum Princeps in religionis Catholicæ & prouinciæ ſuæ incolumitatem, quaſi ſeminarium quoddam, egregia aliquot in diuerſis ſcholis ingenia, quæ Eccleſiæ Dei conſecrare ſtatuerat. Videbat enim & reipſa experiebatur, quanta eiusmodi virorum eſſet penuria, qui pie ac commode Eccleſiæ præeſſent, religionem docerent, tutarentur & propagarent.

De vitæ ipſius innocentia haberem, quæ dicenda forent, plurima, niſi vel aſſentandi quibusdam ſuſpicionem metuendam mihi intelligerem, vel aliquos forte offenderem, quod tamen neſcio, qui eiusmodi vitæ integritatem in ſe minime agnoſcunt. Illud tamen præterire non poſſum, licet nec ille Princeps ſuis caruerit obtrectatoribus, calumniatoribusque; illi tamen nec luxuriem, ingluuiemque aut crapulam, nec incontinentiam, aut prodigalitatem, aut tenacitatem, aut quodcunque grauius vitium potuiſſe obiici, cum ad Epiſcopi ſtatum iuxta D. Pauli deſcriptionem, ſi non totus, certe quam maxime accederet.

Quod ad eius liberalitatem in egenos attinet, etſi ea publica omnium, nec tam prouincialium, quam exteriorum voce etiamnum deprædicatur, non tamen conſtat omnis omnibus. Tantum quidem eleemoſinarum in pauperes quotidie erogabat publice, quantum Principum (abſit dicto inuidia) Germaniæ nemo, quemadmodum ex Auguſtanis ciuibus, qui Comitiorum recordabantur, ipſemet audiui: Quas vero per alienas manus, alieno ſub titulo diſtribuebat, illæ vt vix vni & alteri notæ, ita publicis ſi non ſuperiores, maioresque, certe æquales maxime. Neque vero alios vel promptius vel liberalius faciebat ſumptus, vel melius arbitrabatur locatos, quam quod in egenos miſerosque conferebat, vt ex alieno Mammone, iuxta Chriſti præceptum, pulcherrimum in cælis theſaurum ſibi faceret.

De liberalitate vero illius in liberalia ſtudia, in ſtudioſos adoleſcentes & viros literatos quid dicam? Ego ſane, cum ingenui ſit hominis, fateri, per quos profeceris, nunquam diſſitebor, quicquid in honeſtarum literarum cognitione ſum aſſecutus, quod ſane exiguum eſt, illud me illius ſummæ debere

A.
1531. liberalitati, qui mihi per quadriennium pene liberaliſſimos in Academia Friburgenſi ſumptus benigne ſubminiſtrauit, facturus id diutius, niſi eum mors ineuitabilis, non cum mea tantum, ſed & multorum aliorum, & quidem ingeniorum præclariſſimorum iactura nobis eripuiſſet. Tanti perinde herois, eiusque in me beneficiorum memoriam, debitamque gratitudinem non niſi mors vltima rerum linea in animo meo obliterabit.

Cum ipſemet Princeps eſſet doctiſſimus (nam præclara fert ea familia hominum ingenia) viris quoque doctiſſimis fauebat, ipſorum acceſſu, aſſeſſu, colloquiis & concertationibus Theologicis vehementer lætabatur, nec quenquam a ſe indonatum paſſus eſt diſcedere. Et vt inter plurimos tantum aliquot, ſed eos perquam illuſtres obiter attingam, præ cæteris charum habebat reuerendum Patrem *Ioannem Greſſenicum* Ordinis Dominicani profeſſum, virum pietate, vitæ ſanctimonia, eruditioneque vix cuiquam ſecundum. Notus eſt ille *Greſſenicus* Colloquio Wormatienſi, in quo adiunctus erat diſputator. Salisburgi aliquot annos, nec pauciores in aula Bauarica, magna cum auditorum frequentia, applauſu, ædificationeque concionatus eſt, adeo vt vtrique Principi, tam Salisburgenſi, quam Duci Bauariæ ALBERTO *quinto* ſemper eſſet chariſſimus. Audire me ex illo memini, cum ſemel atque iterum Monaci apud eum poſt diuertiſſem, quod eo reuerendiſſimus Princeps in comitiis Auguſtanis, a Diuo FERDINANDO celebratis, quotiescunque Theologicum inſtituiſſet conuiuium, quod frequenter fiebat, tanquam Protagoniſta, quique alios in paleſtram & arenam Theologicam pertraheret, ſit vſus. Ibi tum mira cum alacritate animi, attentioneque & patientia ſingulos differentes & inter ſe conferentes, audiebat Theologos, ac tandem ipſemet, vtpote rerum Theologicarum non ignarus, ſententia lata, colloquium diſſoluit.

Nec minori proſequebatur beneuolentia *Fridericum Staphylum*, cui in iisdem comitiis doctoralia inſignia tum in Theologia, tum etiam iure Pontificio, nomine & loco ſummi Pontificiis, viua voce & præconio contulit. Reuerendum Dominum & ampliſſimum virum *Martinum Eiſengreinium*, Doctorem Theologum, primo congreſſu, antea nunquam a ſe viſum ſumma huma-

A. 1531.

manitate Salisburgi excepit, & quinquaginta donatum ducatis a ſe benigne dimiſit. Alios ſciens nunc prætereo, illud certe omnibus conſtat, ſummam illius Principis liberalitatem in doctos viros extitiſſe, quos Eccleſiæ Dei & religioni ſuis laboribus & lucubrationibus inſeruire intelligebat. Qua vero clementia, animoque paterno ſuos protexerit ſubditos, quamque bene toti præfuerit Archiepiſcopatui norunt etiamnum eius Prouinciæ incolæ, & deprædicant.

Sunt qui Principum & ſummorum Monarcharum fauorem & gratiam magnifaciunt. Neque vero ex omnibus pene totius Germaniæ Principibus quisquam D. FERDINANDO *primo* Imperatori erat charior, acceptiorque, quam ille fuit. Summa etiam erat inter eum & Ducem Bauariæ ALBERTVM *quintum* animorum coniunctio. Habebat enim Princeps & animi & corporis dona pulcherrima, bonaque fortunæ perquam opulenta, quibus ille quorumcunque Principum amicitiam facile demereri poterat.

Delectabatur quandoque, præſertim in ſolennioribus conuiuiis Muſica, viuebatque tum foris, tum domi, ſiue cum ſuis ageret aulicis, ſiue illuſtres ac Principes viri eum inuiſiſſent, ita liberaliter, itaque omnia ſuppetebant illi affatim, vt cornu quoddam copiæ adeſſe iuraſſes, & quo plus erogabat, quo plus inſumebat, eo plus affluebat.

Auri & argentifodinæ illi tantum metalli ſubminiſtrabant, vt complures non metallarios tantum, ſed monetarios alere cogeretur, vereque rete dormientis videretur trahere. Præfuit Epiſcopatui annis circiter ſex. Obiit anno Domini 1560. ſepultus Salisburgi in ſummo templo in area coram altari D. Rudberti dextram verſus, ſeu meridiem, iuxta Sacellum, quod ipſemet ſibi viuus pro monumento fieri curauit: adeo vt animus eius ſuam migrationem longe ante proſpexiſſe poſſet videri.

Mors eius omnibus bonis ſumme fuit lamentabilis, tum propter ipſius perſonam, quam propter diuinas dotes & virtutes incomparabiles nemo non ſuſpiciebat & amabat, tum vero Rempubl. Chriſtianam, religionem Catholicam, & in omnes benignitatem. Collegium Canonicorum, ſui officii haud immemor, vt cum animi ſui propter ereptum Principem dolorem, tum viciſſim illius in Capitulum, totumque Archiepiſcopatum benefi-

A. 1531. cia, publice teſtaretur, honorificentiſſimas exequias animæ defuncti fieri curauit, & aliquod centum floreni ſunt in pauperes erogati.

Huius tam pii, tam prudentis, tam liberalis, docti & integerrimi Principis, vitæ innocentia, eruditio, liberalitas, prudentia, pietas, omneque virtutum genus: imò, vt ſummatim dicam omnia, corporis & animi viuum, verumque exemplar, tanquam in polito aliquo ſpeculo, relucet in Reuerendo & vere nobili, ampliſſimoque viro ac Domino *Georgio a Khienburg*, nepote Principis eiusdem ex fratre, quicum ego (quod cum pace tanti viri dixero) ſum in ſtudiis altus, quemque Sereniſſimus Dux Bauariæ ALBERTVS, piæ memoriæ, nihil pene tale cogitantem, nedum petentem ampliſſima Collegiatæ Eccleſiæ apud veterem Oetingam Præpoſitura anno 78. donauerat.

Non poſſum hoc præterire, quod mihi ſuperiori anno quaſi ominis aut præſagii cuiusdam inſtar inſcio videtur excidiſſe. Nam cum hæc ipſa tum de Archiepiſcopo MICHAELE, tum etiam de Reuerendo Domino *Georgio* commentarer, verſus ille mihi de Præpoſituræ Oetingenſis acceſſione forte excidit:

Dii maiora dabunt animo digniſſima tanto.

Et ecce nondum ad vmbilicum perducti annales, & adhuc addendi adimendiue erat locus, cum idem *Georgius a Khienburg* Domino *Chriſtophoro a Lamberg* Baroni, Præpoſito & Archidiacono Salisburgenſi &c. defuncto, anno 79. ſubrogatur. Sed necdum præſagii noſtri finis. Nam cum Annales noſtri iam in lucem ſeſe aſſeruiſſent, non ita menſibus multis poſt, cum Reuerendiſſimus Princeps & Archiepiſcopus Salisburgenſis perpetuo cum aduerſa valetudine conflictaretur, quemadmodum etiamnum conflictatur, vnanimi Canonicorum conſenſu, & totius Archiepiſcopatus congratulatione in Coadiutorem & ſucceſſorem Reuerendiſſimi Archiepiſcopi Salisburgenſis hoc ipſo anno 1580. eligitur.

Nobilitarunt noſtram Academiam aliquot de *Khienburg*, anno 1510. *Andreas de Khienburg*, & *Ioannes de Khienburg*, quem etiamnum Reuerendi Capituli Salisburgenſis ſeniorem in viuis eſſe arbitror.

* IV.

A. 1531.

* IV. *Georgius Seldius*, clariſſimus poſtea Iuriſconſultus, ac demum „ Imperatoris FERDINANDI Vicecancellarius.

M. Ioannes Reckhenſchinckh Müldorfenſis obiit ex Cephalalgia Epidemia die 5. Ianuarii h. a. ſepultus ad D. MARIAM cum inſcriptione in Lapide pauimenti.

* Hic cum Regens eſſet noui Collegii, in eius interea locum Facultas Artiſtica tanquam Vicarium inſtituit *M. Alexium Zehentmair*; neque enim ad electionem Regentis procedere volebat, niſi prius excellentiſſimum *D. Leonardum Eckium* eo ſuper negotio edocuiſſet. Illud quoque memorabile, quod, cum eadem Facultas proclamari iuſſiſſet, vacare iam noui Collegii regimen; atque etiam diem edixiſſet Ianuarii ſeptimam, qua illius Candidati coram Facultate comparerent, nemo vnus inuentus ſit, qui eam prouinciam ambiret. Demum die 28. Ianuarii miſſis a GVILIELMO Duce ad Facultatem literis ſignificatur, *M. Oſwaldum Arnſpergerum* in Regentem eligendum eſſe; quod & concordibus omnium votis factum eſt.

ANNO DOMINI M D XXXII.

A. 1532.

Rector CXI. M. ALEXIVS ZEHENTMAIR.

Rector CXII. IOANNES ECCIVS, Doctor Theologus &c. III.

Inſcripti 90.

Nobiles : *Henric. a Peſſenhauſen* in Luckenpaint, Can. Ratisbon.
Chriſtophorus Könritz.
Ioannes a Peſſenhauſen.
Ioannes Eyſenreich.
Ioan. Vdalric. } *a Schellenberg* in Kisleck.
Dionyſius }
Ioannes Eytel de Sponeck, Can. Ratisbon.
Nicol. Frideric. de Wierzberg, Can. nou. Monaſt. Wierzberg.
Ioan. Guilielm. de Newenecka
Philippus de Düngen.
Vdalricus de Küldorf.
Chriſtoph Belkhofer de Hohenbuchbach.
Otto de Pienzenaw, de Kemnat.
Ioan. Leonard. Sünzenbouer de Hechtenwald.

Nou.

A. 1532. Nou. Prof. *Ioannes Veltmiller*, Ingolſtadienſ. *Medic.*
Nou. Doct. *M. Ioannes Milchthaler*, *Medic.*

Inter inſcriptos huius anni fuit *Chriſtianus Hungerus* Aquaburgenſis, frater *Wolfgangi Hungeri*, quem ego honoris ergo recenſeo: Obiit Ingolſtadii biennio poſt, valde adoleſcens.

* *Ioannes Veltmillerus*, cum a Sereniſſimo Duce WILHELMO ad ordinariam Medicinæ cathedram hoc anno admiſſus eſſet, die 6. Martii ſolenne ſuum principium habuit in auditorio Canoniſtarum. Suſpicor *Veltmillerum*, aut fortaſſe ſuperiori iam anno *Agricolam*, in *Wolfgangi Eſſelini* locum ſucceſſiſſe, qui circa hoc tempus ad LVDOVICI Ducis Landishutani aulam euocatus eſt.

Ad hunc annum ſcribit ſe *Ioannes Eckius* noſter in actis Decanicis Theologicæ Facultatis Canonicum *Leodienſem* & Eichſtettenſem.

A. 1533.

ANNO DOMINI M D XXXIII.

Rector CXIII. FABIVS ARCAS *de Narnia* Romanus, Iuris vtriusque Doctor & Profeſſor, II.

Rector CXIV. CONRADVS COMES IN CASTEL.

Prorector *Ioannes Agricola* Medicinæ Doctor & Profeſſor.

Inſcripti 94.

Nobiles, *Ioannes de Haslang.*
Ludouicus Kirchberger ex Vichhonen.
Chriſtophor Gleyſſental, de Amberg.
Conrad. Comes de Caſtel, Can. Herbipol. } Fratres.
Henricus Comes de Caſtel, Can. Bamberg. } Fratres.
Martinus a Schaumberg, Can. Eichſtett.
Sigismund. } *Fuchs.*
Andreas } *Fuchs.*
Wilhelmus Ebringer, Vlmenſ.
Vitus Marſchalk ex Hehenkirchen.
Wolfgangus a Sparneck.
Chriſtoph. a Wirſperg, Can. Bamberg. & Herbipol.
Ioan. Georgius } *a Dachsberg.*
Ioan. Wolfgang. } *a Dachsberg.*

Fran-

A. 1533.

Franciſcus Groſs a Trockaw.
Nou. Prof. *Ioannes Schröttinger*, *Theol.*
Nou. Doct. Idem *Ioannes Schröttinger*, Merklenſ. } *Theol.*
Georgius Stengl, Auguſtan. }
M. Wolfgang. Meichſner, Scherdingan. *Medic.*

Ex inſcriptis præcipue memorandi I. *Martinus a Schaumberg*, nobilis, Canonicus Aichſtadianus. Is dum hæc ſcribimus, Eccleſiæ Aichſtadianæ præeſt*: Princeps pius, prudens, humanus, doctus & literatorum Studioſus, omnique virtutum genere clarus, Scholæ noſtræ verus Cancellarius: ampliauit aream ſuæ arcis, & multa adiecit ingentibus & ſumptuoſis ſtructuris ædificia. *Plura ad annum* 1590. II. *Vitus Tuchſenhauſer*, Doctor Canonum, Parochus apud D. Virginem Academiæ octauus, Fundationis autem Parochiæ duodecimus. Reſignauit anno 38. vocatus Landiſpergam Bauariæ ad concionandi munus.

* Videtur *Ioannes Eckius* ob crebra itinera, diſputationes, priuatosque in elucubrandis ſcriptis polemicis labores multum impeditus Parochiam academicam *Tuchſenhauſero* reſignaſſe; quam tamen poſt huius diſceſſum, anno 1538. denuo regendam ſuſcepit.

Obiit hoc anno, die 8. Iunii ex colica, ſtudio iuris nimio ferme excæcatus *M. Wolfgangus Lother* Nornbergenſis, & ſepultus eſt apud D. Virginem. Epitaphium habet parieti affixum in Sacello D. Ioannis, quod licet antiquitatem ſapiat, adſcribere tamen placuit.

Vuolfgangus Lother, cui Patria Norica tellus,
Egregius Sophiæ Doctor & vnus erat.
Qui ſemel eſt Rector genitus, qui geſſit honores
Sæpe Facultatis, quem prece quisque iuuet.

* Facultas Theologica geminos hoc anno Doctores creauit, inſignes viros, *Ioannem Schröttingerum*, ordinarium apud nos Theologiæ Profeſſorem, & *Georgium Stengelium* Auguſtanum, cathedralis Eccleſiæ Friſingenſis Concionatorem, poſtea Monachii Parochum.

Ad Facultatem Artium nouus latinarum literarum Profeſſor acceſſit *M. Leonardus Gebhart* Köſchinganus, ſeu vt Acta notant, *Cæſareenſis*. Scilicet inualuerat iam tum opinio, Köſchingam, quod eſt oppidulum in conſpectu Ingolſtadii, vno ab eodem milliari Germanico diſſitum, Romanorum olim coloniam, *Cæſaream* fuiſſe appellatam.

A. 1533. Eodem anno *Leonardus Fuchſius* Onolzbachio reuerſus eſt ad Cathedram medicam, quam tribus abhinc annis reliquerat. Falluntur Adamius & Finauerus, dum *Fuchſium*, hic quidem a *Ioanne*, ille ab *Oſwaldo Eckio* perſuaſum eſſe ſcribunt, Ingolſtadium vt rediret: *Leonardi* potius *Eckii* auctoritate id factum eſt; qui tamen non Rector, vt *Niceronius* adnotat, ſed Director, Conſeruator & Patronus Vniuerſitatis exſtiterat. Verum hæc quoque *Fuchſii* commoratio Ingolſtadiana diuturna non fuit; cum enim *Luthero* intime faueret; atque hæc animi ſui ſenſa non obſcure prodita iam cerneret, eodem adhuc anno ab Academia noſtra profugus Tubingam ſe recepit, vbi itidem Profeſſor Medicinæ inſtitutus, ac per triginta omnino & tres reliquos vitæ ſuæ annos eo in munere ſumma cum laude verſatus eſt, immortalis etiam in patria ſua futurus, niſi religionem deſeruiſſet catholicam, qua Bauari nihil antiquius habent, nihil ſanctius. Scriptorum, quæ *Fuchſius* magno numero edidit, catalogum ex *Niceronio* diligenter & accurate contexuit P. P. Finauerus in ſuo Hiſtoriæ literar. boic. conatu pag. 129. & ſeqq.

A. 1534.

ANNO DOMINI M D XXXIV.

Rector CXV. M. OSWALDVS ARNSPERGER, noui Collegii Regens, II.

Rector CXVI. LEONARDVS MARSTALLER, Doct. Theol. IV.

Inſcripti 66.

Nobiles: *Dauid Truchſeſs* ex Wetzhauſen.
Paulus Brunner, ex Friſinga.
Valentinus } *Oedenberger* ex Tegen.
Martinus }
Georg. Vdalric. de Kindsperg, Can. Bamberg.
Iacob. Sürgenſtain a Reitnaw. Profeſſus Campidunenſ.
Wolfgang. Haslinger ex Hasling.
Michael a Kaden, ex Norimberga.
Onophorus Puſch a Vilzhaim.

Inter inſcriptos fuit I. *Simon Lemnius*, Poëta terſiſſimus, Græce & Latine doctus, & acerrimus Lutheromaſtyx.

* Fuit *Lemnius* patria Atheſinus; qui cum in Wittenbergenſi Academia tam *Lutherum* ipſum, quam eius ſectatores mordaciſſimis epigrammatis

A. 1534.

tis exagitaſſet, relicta Saxonia hoc ipſo anno ad nos videtur divertiſſe. Obiit anno 1550. Curiæ Rhœtorum.

II. *Eraſmus Wolfius* Landſpergenſis, duorum Stipendiorum fundator, de quo ſuo loco.

Anno eodem 5. Iduum Ianuarii ſupremum clauſit diem Ratisbonæ *Ioannes Auentinus* Boiorum annalibus & hiſtoria clariſſimus. Euocatus anno ſuperiori erat Ingolſtadium a nobiliſſimo viro *Leonardo ab Eckh*, vt filium *Oſualdum ab Eckh* inſtitueret; quo ſine coniuge & filia *Giſala*, relictis nempe iis Ratisbonæ venerat. Circa Natalitias igitur ferias anni 33. vehiculo Ratisbonam profectus, vt ſecum coniugem & filiam Ingolſtadium aueheret, cum in itinere morbo eſſet correptus, ingraueſcente eo indies magis magisque tandem, quo dixi tempore, præſente coniuge, filia, *Wolfgango Ryſio* & anu quadam, quæ forte miniſterii cauſſa illi aſtitit, ſupremum reddidit Spiritum. Sepultus apud D. Emeranum Ratisbonæ.

* Atque hunc quidem virum noſtris in Annalibus merito celebramus, qui iam anno 1495. albo academico inſcriptus, prima ſcientiarum rudimenta apud nos hauſit; & eadem, poſtquam Artium Magiſter Pariſienſi in Academia creatus eſt, Viennæ primum, tum Cracouiæ, demum noſtro in Archigymnaſio publice docuit. Quamuis de noſtra Schola, ingenue vt fatear, legitime id probare non poſſim, cum Acta artiſticæ Facultatis ab anno 1494. ad annum 1513. deficiant. Interea facile illis adſentior, qui adfirmant *Auentinum* ab anno 1509. ad annum 1512. noſtra in Vniuerſitate humaniores literas docuiſſe, ac præcipue ſomnium Scipionis, & Rhetoricam Ciceronis ad Herennium ſumma cum laude explicaſſe; tum vero Sereniſſimis Bauariæ Principibus LVDOVICO & ERNESTO Præceptorem eſſe datum. Anno 1515. cum ERNESTVS Academiam noſtram ſtudiorum cauſſa frequentaret, AVENTINVS quoque eandem reuiſendi occaſionem eſt nactus; quo tempore literariam illam, de qua ſupra dictum eſt, Societatem inſtituit. Poſt annum 1516. defunctus ſuo Præceptoris munere, totum ſe conſcribendis Boiorum Annalibus impendit. Sumtu & auctoritate noſtrorum Principum peragrauit omnem late Bauariam, excuſſisque bibliothecis ac tabulariis neceſſaria ſubſidia conquiſiuit. Opere ad calcem perducto, necdum tamen typis edito mortuus eſt *Auentinus*. Poſt annos itaque nonnullos *Hieronymo Zieglero*, Oratoriæ apud nos Profeſſori ab ALBERTO Duce demandata eſt ea cura, vt Annales Auentinianos de nouo exſcriberet, atque prælo appararet; quod ille tam diligenter præſtitit, vt anno 1554. Decembri menſe totum opus in officina *Alexandri* & *Samuelis* fratrum *Weiſſenhorniorum* abſolutum fuerit.

A a

A. 1534.

rit. Fatetur vero *Zieglerus* præter *inuectiuas quaſdam in eccleſiaſticas perſonas & fabuloſas narrationes, quæ omnia nihil quicquam ad hiſtoriam facere viſa*, pauciſſima fuiſſe omiſſa; idque ipſum Doctorum & in hiſtoriis exercitatorum virorum iudicio. Auentini ſcripta typis edita præter mox dictos *Annales Boiorum* ſunt, *Chronicon. Schyrenſe. Hiſtoria Vtinenſis*, h. e. Oettingæ veteris. *Chronicon Germanorum* a Bruſchio editum. *Rudimenta Grammaticæ latinæ*, in noſtro Pædagogio diu explicari ſolita. *Rudimenta Muſicæ*, impreſſa Auguſtæ in officina Milleriana XII. Cal. Iun. 1516. Adiectum eſt ſub finem libri *Leonardi Eckii* carmen hoc titulo: Leonardus de Egkh I. V. D. Illuſtriſſ. Vtr. Bau. Ducis Arioniſti Aulæ Præfectus ac Moderator in Muſicam Domini Ioannis Thurinomari Auentini Amici amiciſſimi. *Numerandi per digitos, numeroſque veterum conſuetudinis Abacus. Henrici IV. Ducis Boiorum VII. Vita; de origine Saracenorum & bellis aduerſus Chriſtianos geſtis; Epiſtolæ* quædam & *Carmina*, anno 1518. Auguſtæ edita a Sodalitate literaria. Alia eiusdem *Auentini* Manuſcripta in ſuis rerum boicarum Scriptoribus nuper edidit Illuſtris *Oefelius*; quæ ſunt: *Narratiuncula de Vrbe Bathauina; Excerpta diplomatica Paſſauienſia; Leges Portoriæ Boiorum; vnacum Placito Henrici Ducis Boiariæ de Iuribus ad Eccleſiam Bathau. pertinentibus.* Item *Antiquitates Diplomaticæ Altahenſes & Oſterhouenſes; Breue Chronicon Auſtriæ; Catalogus Epiſcoporum Chiemenſium; Excerpta ex Anonymi cuiusdam peruetuſti de origine Eccleſiæ Salisburg. Hiſtoria; Excerpta ex Alberti Bohemi Archidiaconi Bathauini contra Fridericum II. Actis & Commentariis; Origines Ratiſponenſes vernacule conſcriptæ.* Cum penus literaria *Auentini* varie poſt ipſius mortem diſtracta fuerit, fortaſſis latent alicubi alia nonnulla, quæ tempus & ſolertia in lucem denique protrudent.

Obiit 9. die Decembris *M. Conradus Schaider*, qui anno Domini 1521. Decanum artiſticæ Facultatis agens, ſolus inter Collegas ſuos, graſſante peſtifera lue, Ingolſtadii remanſerat.

A. 1535.

ANNO DOMINI M D XXXV.

Rector CXVII. Nicolavs Everhardvs Amſterodamus Iuris vtriusque Doctor, & Profeſſor, de quo anno 70.

Rector CXIIX. M. Melchior Ravch Campidonenſis, SS. Theologiæ Baccalaureus Formatus Tübingenſis, inſcriptus anno 32.

Inſcripti 86.

Nobiles, *Degenhardus de Rapperszell.*

Ioan.

A. 1535.

Ioan. Georg. } *a Grunbach*, fratres.
Gotfridus }
Volmarus a Pretenbach, Thuringus.
Onoferus Preyſinger, Can. Ratiſbon.
Franciſcus Lenburger de Dtaſſel.
Sigismund. de Hirnkofen ex Hilppenſtain.
Ioan. Andr. Kreutter ex Hochſtetten.

Nou. Prof. *M. Sebaſtian. Link*, Stutgardienſ. *Oratoriæ.*
Ioannes Pollio, Oenipotan. *Literar. hum.*

Nou. Doct. *Ioannes Pollio*, } *Medic.*
Gabriel Ebinger, }

Præfuit Rectoratui Dominus *Nicolaus Euerbardus*, magno Studioſorum applauſu, vſque ad ſecundum Auguſti diem. Tum enim vacante in Iudicio & Camera Imperiali loco, Illuſtriſſimi Principis GVILIELMI, Boiorum Ducis decreto aſſeſſor Spiræ factus eſt. Reſignato igitur Rectoratu in diſcedentis locum ſubrogatus eſt LEONARDVS MARSTALLER, qui reliquum æſtiualis magiſtratus tempus abſoluit.

* Inter Academiæ noſtræ alumnos tres hoc anno *Welſeros*, ſeu vti in matricula legere eſt, *Belzeros* Auguſtenſes numerauimus, *Antonium* ſcilicet, *Mattheum* & *Marcum*, quos honoris cauſſa nominaſſe ſuffecerit; cum Welſerianum nomen literato nemini ignotum eſſe poſſit.
Fallitur Rottmarus, cum eodem anno *Franciſcum Burkhardum* Iurium Doctorem obiiſſe ſcribit; certum quippe eſt illius mortem in diem 9. Decembris anni 1539. incidere; quod inferius oſtendetur.

Obiit Calendis Decembris Reuerendiſſimus & Illuſtriſſimus Princeps, Dominus GABRIEL *de Eyb* Epiſcopus Aichſtadianus, in cuius exequiis Ingolſtadii Oratio funebris eſt habita per *Ioannem Eccium*, D. Theologum &c. Cancellarius noſtræ Scholæ ſecundus. Inſcriptus in album Vniuerſitatis Ingolſtadienſis anno Domini 1475. die 15. Octobris. Bruſchius in Epiſcopis Ayſtetenſibus, ſummæ illum Principem eruditionis fuiſſe, & Doctoratus titulo in vtroque iure inſignitum ſcribit. Verus fuit Patriæ pater, qui ſubditos ſuos nec vllis grauarit exactionibus, nec bellorum obiecerit tumultibus, cum & æquitatis eſſet amantiſſimus & obſeruantiſſimus.

A. 1535. Electus & confirmatus eſt Epiſcopus Eichſtadianus (anno 1496.) iam tum ad annos 50. natus, ac ſpartam ſibi commiſſam 40. fere annis ita ornauit, vt Eccleſiam regeret fideliter, in Rempub. omni cogitatione curaque incumberet, & Epiſcopatum variis ædificiis, cenſibus, fructibus, clenodiis, aliisque fortunis & ornamentis augeret cumulate, tanquam Pater patriæ ſempiterna memoria digniſſimus.

Hoc inſuper de tanto Epiſcopo maxime eſt memorabile, quod admodum ſenex annum agens nonageſimum, cum feria quinta, nimirum pridie Cal. Dec. Anno 1535. deuota confeſſione, ſalutari Euchariſtia, & extrema ſacri olei vnctione, Sacramentis auguſtiſſimis tanquam firmis viæ ad futurum mortis certamen præſidiis animoſe ſe muniret; cereum illum, qui a nobili quodam puero in honorem venerabilis Sacramenti ex Sacello Arcis in Principis conclaue præferebatur, coram Sacra Euchariſtiæ theca collocari iuſſerit, & extremum vitæ huius diem ſibi adeſſe præſagiens, aſtantibus ſignificarit, tum ſe, tum cereum illum poſtridie feria ſexta, eaque hora, qua pulſus campanarum in ſummo templo ad memoriam ſanctiſſimæ Domini noſtri Ieſu Chriſti mortis auditus fuerit, Dei Opt. Max. voluntate ſimul extinctum iri. Hæc autem præſagitio ſine dubio diuinitus inſpirata certiſſimum ſortita eſt euentum: Quemadmodum enim Pater optimus prædixerat, ita poſtero die Calendis Dec. audito illo campanarum pulſu, interrogans, de extinctione cerei iamiam futura certior factus, animamque ſuam pretioſiſſimæ noſtri Redemptoris morti ardentibus & gemitibus & votis commendans, pie & tranquille ex hac vita ad cæleſtem patriam demigrauit.

Neque vero mihi in dubium venit, quin Præſul ille, dum adhuc vita & communi ſpiritu frueretur, ſæpe ac diligenter perlegerit, eoque penitius conſiderarit doctiſſimum tractatum de Præparatione ad mortem, quem antea in lucem ediderat cognatus eius, *D. Albertus ab Eyb*, V. I. Doctor, ſummi Pontificis Romani Camerarius, Bambergenſis & Eyſtettenſis Eccleſ. Canonicus & Archidiaconus Herbipolenſis, Vir omni doctrina & virtute ornatiſſimus, multisque præclaris librorum latinorum monumentis a ſe poſteritati conſecratis paſſim apud doctos celebris;

lebris; ſingulare profecto familiæ Eybenſis decus & ornamentum Patriæ. A. 1535.

* Hæc ex vita MARTINI *ab Eyb* Epiſcopi Babenpergenſis, quam poſt obitum Valentini Rotmari Ioannes Engerdus in Tom. I. Acad. Ingolſtad. pag. 90. pluribus deſcripſit, huc tanquam ad locum proprium transferenda exiſtimaui.

Electus eſt hoc anno in Epiſcopum Aichſtadianum Illuſtris & nobilis vir CHRISTOPHORVS *a Pappenhaim*, GABRIELI *ab Eib* defuncto ſuccedens, Cancellarius Academiæ tertius.

ANNO DOMINI M D XXXVI.

A. 1536.

Rect. CXIX. IOANNES ECCIVS Doctor Theologus, Profeſſor, Protonotarius Apoſtolicus & Inquiſitor, IV.

Rect. CXX. FABIVS ARCAS *de Narnia* Romanus, Iuris vtriusque Doctor & Profeſſor, III.

Inſcripti 148.

Nobiles, *Conrad. Schellenberger* ab Hiffingen.
Iacob. Rychlin a Meldeck.
Georg. Pangrat. Ochs de Gunzendorf.
Reinbertus de Parſperg, Can. Brixinenſ.
Virgilius Honer.
Simon Iudas Baro de Wolkenſtein.
Vitus a Schepach, Amerdingenſ.
Sebaſtian. } *Lucas* } *Boimunt de Parſperg*, fratres.
Cyprian. de Serratin a Raineck.
Georg. Baro de Schwarzenberg, Can. Herbipol.
Georg. Henric. Comes de Caſtel.
Wolfgang. Fucker, Auguſtenſ.
Georg. de Wolmarzhauſen de Amelshag, Can. Herbipol.
Ioan. de Ehenhaim a Vorendorf.
Vitus de Fraunberg, Can. Friſingenſ.
Georg. Dapifer de Walpurg Baro.
Iacob. de Landaw zu Wall.

A.
1536.
Burkhard. a Schellenberg in Hüſſingen.
Vlricus] *Theophilus*] *Rhem* ex groſſen Ketz.
Arbogaſtus a Schellenberg in Hüffingen.
Franciſcus Buſch in Oberlauterbach.
Sigismund. a Ruſenbach, Can. Bamberg.
Ioan. Ioachim Marſchalk ex Pappenhaim.
Ioan. Chriſtoph. Vebli de Frickenhauſen & Vlterthieſſen (*Illerdieſſen*).
Albertus a Weyler, Can. Auguſt.
Ioan. de Gräuenegk, Can. Friſing.
Dauid a Stain, Can. Elwang.
Florian. Marſchalk ex Pappenhaim.

Nou. Prof. *Onophrius Berbinger* ex Kronſperg, Iuris vtriusque Doctor & Inſtitutionum Profeſſor.

Nou. Doct. *Ioannes Menzinger*, Friſingenſ. *Theol.*

* Ex magno inſcriptorum numero præter dictos Illuſtres & nobiles Academicos præcipue memorandi ſunt I. *Ludouicus Gremp* Stutgardianus LL. Licentiatus. II. *Vitus de Frauberg* Epiſcopus poſtea Ratisbonenſis, anno 1563. IIII. Calend. Ianuarii electus. Fuerat antea Canonicus Salzburgenſis, Friſingenſis, Ratisponenſis, Paſſauienſis & Auguſtenſis; ac Eccleſiarum quidem Friſingenſis & Paſſauienſis Præpoſitus. Obiit die 31. Ianuarii anno 1567. Natus erat patre *Wilhelmo*, ex Vxore ſecunda, *Genofeua Chriſtophori de Preyſing* in Aernpach filia. Id quod Illuſt. Oefelius in Hochwarti Catalogo Epiſcop. Ratisbon. ex Hundio annotauit.

Obiit 23. Auguſti Reuerendus & doctiſſimus vir ac Dominus *Georgius Hauer*, Doctor & Profeſſor Canonum, poſteaquam Parochiæ D. Virginis 7. annis, D. Mauritii vero vndecim præfuiſſet, Rector ſexto, & aliquoties Prorector. Præceſſerat hunc in Parochiæ Mauritianæ adminiſtratione *Ioannes Eccius*, ſed quia ædes ruinoſæ erant, ceſſit *Eccius*, & ad Parochiam D. Virginis rediit. Parochiales igitur ædes a fundamento extruxit, Sacellum D. Nicolai inſtituit, aut certe dotauit. Et ſub eius adminiſtratione, & *Sebaſtiano Schölnhamero* Aedili, & templi procuratore, renouatus eſt Chorus, & ſedilia ædis Mauritianæ. Sepultus eſt ibidem cum magnificis monumentis, quorum alteri, quod humi iacet, eiusmodi eſt inſcriptum Epitaphium:

Is

A. 1536.

Is in ſuos & pauperes erat pius,
In extruendis illius
Parochiæ ædificiis largiſſimus,
Hoſtis Lutheri acerrimus,
In tam prophanis, quam ſacris rebus vigil,
Rectorque prudentiſſimus.

Hæc in conſtruenda Parochia magnificentia & liberalitas fuiſſet laudabilior, ſi ſuis hanc ipſam feciſſet ſumptibus. Nam multos & quidem annuos redditus in id opus collocatos eſſe cenſus, res ipſa & regiſtra Parochiæ loquuntur. Res tamen ſua laude & conatus honore non caret.

* Monumentum defuncti *Haueri* primarium, & cuius ſupra ſcriptum Rotmarianum quaſi continuatio eſt, poſt altare ſummum parieti ad fixum hæret, atque hanc præfert inſcriptionem:

Georg. Hauer ex Türſchenreit, Artium & Decretorum Doctor, huius Gymnaſii Lector Ordinarius, atque preſentis Eccleſie Paſtor vita defunctus, atque hic ſepultus eſt anno Domini 1536. *die vero* 23. *Menſ. Auguſti, anno etat. ſue* 52. *cuius anima in pace quieſcat.*

Eodem anno diſceſſit ex Academia Ingolſtadiana *Ioannes Schröttinger* Bauarus ex oppidulo Mercklen, non procul ab vrbe Purckhuſiana oriundus, ingenio, eruditione, eloquentia & rerum experientia præſtans. Conuentorem primo egit in Burſa Liliorum annum circa 1518. Decanatus officio functus eſt Philoſophico, vnus ex collegiatis ſeu ſextumuiris, id eſt, Profeſſor Ordinarius & Publicus in Philoſophia. Collegio Georgiano præfuit Regens per biennium.

Mitis & placidi & ab omni contentione alieni eum fuiſſe animi, vel illud teſtatur, quod cum *M. Matthias Khretz* de collegiatura, ſeu profeſſione proxime vacante cum eo, anno 18. vter vtri præponendus eſſet, contenderet, & Facultas Philoſophica illi minime cedendum arbitraretur, tamen quia contentiones oderat, contentioſo *Khretzio* præcedentiam reliquit.

Magnæ illum apud Facultatem philoſophicam autoritatis, ac proinde in rebus agendis fuiſſe induſtrium, inde colligo, quod eius opera in grauiſſimis negotiis, & tum quidem cum de priuilegiis ſuis, Statutis antiquis & conſuetudinibus periclitaretur, Facultas eſt vſa. Eximie tum in Philoſophicis, tum in

Theo-

A. 1536. Theologicis ſtudiis profecit, adeo vt Theologus perhibeatur fuiſſe acerrimus.

Anno ſalutis humanæ 1525. poſteaquam Licentiæ gradum eſſet anno 22. adeptus (nam doctoralia inſignia recepit ſerius) illico Theologiam docere incepit, Theologicoque aliquoties Decanatu eſt perſunctus, & docendi prouinciam ad annum vſque 1536. adminiſtrauit. Interea, benignitate & clementia ſui Patroni, Reuerendiſſimi & Illuſtriſſimi Principis ERNESTI, Boiorum Ducis, & Epiſcopi Patauienſis, Canonicatum in Cathedrali Eccleſia obtinuerat.

Itaque anno 1536. auocatus a Principe ERNESTO, cum vlteriorem dilationem non poſſet impetrare, inuitus, & Profeſſionem & vrbem relinquit, & Pataujum abit, tum quidem ad Canonicatui ſatisfaciendum, & Parochiam Pfarkirchenſem, quæ eſt eius Diocæſeos, adminiſtrandam, regendamque; tum vero vt Epiſcopi in ſpiritualibus Vicarium ageret.

Hæc partim ex actis, partim ex Epitaphio, quod illi Facultas Theologica in ſua Schola pietatis & memoriæ ergo poſuit, ſunt deſumpta.

* *Ioannes Menzinger* Friſingenſis, cum aliquot annis Artium Magiſter & Collegii veteris Sextumuir exſtitiſſet, hoc anno ſummos in Theologia honores conſecutus, Moguntiam abiit, concionator in ſumma ibidem æde futurus.

A. 1537.

ANNO DOMINI M D XXXVII.

Rector CXXI. FRIDERICVS COMES IN CASTEL.

Prorector *Ioannes Eccius* Theologus.

Rector CXXII. GEORGIVS DAPIFER A WALPVRG BARO.

Prorector *M Oſualdus Arnſperger*, Regens Collegii Georgiani.

Inſcripti 114.

Princ. Illuſtriſſimus Princeps ac Dominus, Dominus ALBERTVS Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ.

Nobiles, *Fridericus Comes & Dominus in Caſtell.*
Ioan. Rudolph. ab Hohenechh, Can. Friſing.
Martinus ab Hutten.

Ioan.

A. 1537.

Ioan. de Adelzhauſen de Wurkershouen, Can. Friſing.
Iodoc. Chriſtoph. de Lichaw.
Michael Haberkorn, Herbipolenſ.
Ioan. Caſp. de Stadion.
Wolfgang. Redlkouer de Moſſeck.
Georg. Wolfg. a Leonrod in Leonrod.
Hieronymus Lagelberger ab Hermſtorff.
Ioan. Henric. a Preyſen.
Wilhelmus de Göckeritz, Nobiles in Comitatu ALBERTI Principis.
Ioan. Henric. de Neuneck,
Chriſtophor. de Kutſchern,
Wilhelm. de Schellenberg,
Wolfg. Theodoric. de Muckenthal,
Wilhelm. Comes de Oeting, Familiaris Princ. ALBERTI.
Ioan. Eraſmus Trenbeck ab Hellſperg.
Sigismund. Kreuter a Stras.
Paulus Baro a Schwarzenberg, Familiar. Princ. ALBERTI.
Nou. Prof. *Wiguleus Hund* a Lauterbach, *Inſtitut. Iur.*
Viglius ab Ayta Zwichem, I. V. Doct. & Prof.

ALBERTVS *quintus*, Comes Palatinus Rheni, & vtriusque Bauariæ Dux, patriæ pater, naſcitur anno Domini 1528. circa Calendas Martias, Dominica *Inuocauit*, patre GVLIELMO Boiorum Monarcha, ex IACOBA Marchioniſſa Badenſi, quæ etiamnum Heroina in grandæua, ſed ea adhuc vegeta ſenectate viuit, & vel eo nomine fœliciſſima, & poſteritati commendanda, quod ſimul & ſemel & mater eſſet, & auia & proauia. Mater ALBERTI Ducis Bauariæ, & SIDONIÆ Marchioniſſæ, GVLIELMI, qui nunc rerum potitur in Boiaria: FERDINANDI & ERNESTI fratrum germanorum, & PHILIPPI Marchionis Badenſis, eiusque Illuſtriſſimæ Celſitudinis duarum Sororum auia: GVLIELMI vero Ducis liberorum proauia: quæ res ſane (vt hoc quaſi per tranſcurſum addam) eſt admirabilis, paucisque eam fœlicitatem his exulceratis, extremisque temporibus, quibus & naturæ vires, & animi, corpora & ætates vitaque hominum incipiunt deficere, ac diminui, videmus contingere, vt filios filiasque, nepotes & pronepotes, neptesque & proneptes ſimul intueantur.

A. 1537. Verum hoc ipſum Sereniſſimæ Duciſſæ pietati & bene meritis a Deo Opt. Max. clemènter tributum plane arbitror.

ALBERTVS fratrem habuit THEODONEM, qui natus eſt Anno Domini 1526. Sabbatho Quinquageſimæ, hora quarta pomeridiana. Præceptor eius fuit *Matthias Rötter*, qui vna cum ſuo Duce in Wolfratzhauſen obiiſſe ſcribitur.

Acceſſit Sereniſſimus Dux Academiam ſuam h. a. menſe Septembri. Habuit in ſuo comitatu nobiles viros, iuuenesque *ſupra deſcriptos*. Vid. an. 1544.

* Mirum ſane eſt, quantum & ſplendore, & celebritate atque frequentia etiam, Vniuerſitas noſtra hoc & ſequentibus annis increuerit; præcipue cum GVILIELMVS Dux doctiſſimos quosque ex omni Italia ac Germania viros, propoſitis etiam ampliſſimis, pro illo tempore, ſtipendiis ad ſuam Scholam euocaret. Atque ad hunc quidem annum gemini maxime Profeſſores Iurium pertinent, nobilitate generis neſcio, an commendatione doctrinæ & geſtorum munerum grauitate magis illuſtres:

I. *Wiguleus Hund* a Lauterbach, nobilis Bauarus ipſo hoc anno, cum legum ſcientiam in Academia patria, ac per ſeſqui annum Bononiæ didiciſſet, Iurium Doctor ſimul ac Profeſſor eſt renunciatus, annos nonniſi tres & viginti natus. Plura ad annum 1540. quo cathedram academicam reliquit.

II. *Viglius ab Ayta Zwichem* Eques Friſius menſe Decembri ad nos delatus eſt, vt pro *Matthia Albero* ad Cancellarii munus Salisburgum vocato, Iurisprudentiam doceret. Hic cum iam Dolæ & Biturigis in Gallia, ac dein Paduæ in Italia Iuris Inſtitutiones priuatim ac publice tradidiſſet; ac ſupremum etiam Iudicem eccleſiaſticum apud Spirenſem Epiſcopum egiſſet, demum Cameræ Imperialis Aſſeſſor factus eſt. Sereniſſimus Dux noſter GVILIELMVS eius celebritate excitatus, multis præmiis per magnos aliquot viros eum ſolicitauit, vt Ingolſtadienſi in Academia Profeſſoris officium ſuſciperet. Contraria ſuadentibus amicis, ipſe tamen inuitationem acceptauit, quod ſtudiis delectaretur, & ad Vniuerſitatem accederet inprimis catholicam. Stipendii loco eidem ſoluebantur trecenti floreni Rhenenſes; quod ipſe in ſua quadam epiſtola ſcribit maius eſſe, quam quis unquam Germanus in Academia germanica accepiſſet. Addidit Dux honorarium, cum titulo Conſiliarii. *His*, ſcribit *Viglius* ad Amicum, *aliquid accedet ex communibus Academiæ emolumentis*; *tum ſi aduocationi*, *conſultationique vacare velim*, *non parum oportuna ad id hæc Academia videtur*. Cœpit autem *Viglius* profiteri ſecundam partem Dig. vet.; item primam & ſecundam partem Cod. Quæ de huius viri ingreſſu in noſtram Academiam hic perſcripſi, & quæ ſubſequentibus annis, quibus apud nos

nos vixit, additurus ſum, ex vitæ hiſtoria ab ipſo ſcripta, pluribusque epiſtolarum voluminibus deſumſi, quæ in Analectis Belg. edidit *Cornelius Paulus Hoynck van Papendrecht*. A. 1537.

Inter iuuenes Academiæ noſtræ alumnos hoc anno inſcriptos præcipuam meretur memoriam *Martinus Hercules Rötinger*, *Pauli Rötingeri* Medici Salisburgenſis clariſſimi filius. Artium Baccalaureus anno 1538. ſub decanatu *M. Leonhardi Gebhart* 17. Decembris factus eſt. Magiſterii vero inſignia in eadem noſtra Schola eſt conſecutus anno 1542. Calend. Februarii ſub Decanatu *M. Eraſmi Wolfii*, promotus vna cum viro doctiſſimo & ſingulari noſtro amico & patrono *D. Magiſtro Wolfgango Zettelio*, piæ memoriæ, nuper Academiæ noſtræ Camerario laudatiſſimo. *Rötingerus* vir apprime doctus euaſit, & in rebus agendis induſtrius. Epiſcopus Lauantinus creatus, multis Imperii comitiis, nomine & loco reuerendiſſimorum Archiepiſcoporum Salisburgenſium interfuit & præfuit. Ei vita defuncto ſucceſſit in Epiſcopatu *Georgius Agricola* Franco, Legum Doctor, qui nunc temporis, relicto eo Epiſcopatu, Secouienſi præeſt Eccleſiæ.

* *Hercules Rettingerus* a Wiſpach Salisburgenſis, cum anno 1542. die 1. Febr. Artium Magiſter eſſet creatus, die 11. Maii eiusdem anni receptus eſt ad gremium Facultatis Artiſticæ; ac anno quidem 1544. iuſſus eſt profiteri Grammaticam Auentini. Fratrem habuit *Mercurium*.

Floruit hoc anno *Ioannes Iuſtus* Landſpergenſis Bauarus, Ordinis Carthuſiani profeſſus Coloniæ.

ANNO DOMINI M D XXXIIX. A. 1538.

Rect. CXXIII. LEONARDVS MARSTALLER, Doctor Theologus & Profeſſor, V.

Rect. CXXIV. VIGLIVS ZWICHEMVS Phryſius, Iurium Doctor & Profeſſor.

Inſcripti 150.

Nobiles, *Sebaſtian. Weſternacher* de Roching, Can. Ratisbon.
Andreas Stieber, Can. Herbipol. & Bamberg.
Chriſtoph. Eldron a Wellenburg & Scherneck.

A. 1538.

Chriſtoph. Reydorfer a Winkelhaim.
Ioan. Guilielm. a Weyler.
Eraſmus Steringer a Kalling.
Vitus Riederer a Par.
Benedict. Erſſinger a Thürgenfeld:
Ioan. Schaffhauſer a Pernbach.
Memio ab Holdinga ſiue Caminga, Phryſius.
Ioan. Vdalric. a Stadion, Can. Auguſt.
Iodocus a Preyſing.
Gangolfus Baro a Gerlseck, Aulic. Princ. ALBERTI.
Burckhard. Roerweck a Rottpach. fort. *Rorbeck a Rorbach.*
Philippus a Freiberg.
Iodocus de Amelunz, Cleric. Paderborn.
Iacobus a Wingartten, Can. Spirenſ.
Richard. de Kher, Can. Herbipol.
Henric. Erbtruchſeſs Baro a Waldpurg.
Chriſtoph. a Samplewen, Brunſuicenſ.
Caſpar. a Berg, Can. Friſing.
Ioan. Valentin. a Schomberg.
Theodoric. a Pettendorf.
Georg. a Schaumburg.
Caſpar. a Wirzburg, Can. Herbipol. & Bamberg.
Vlricus Ferenberger ab Egenperg.
Adamus Lochinger, Can. Herbipol.
Ioannes a Bibra, Can. Bamberg.
Wernherus a Münchingen.

Nou. Prof. *Marcus Antonius Caymus*, Mediolan. *Iur. ciuil.*
Guilielmus Vlinus, Ord. Præmonſtrat. ex Adelberg, *Hebraicæ Linguæ* Prof.

Nou. Doct. *M. Georg. Haindlacher*, Ingolſtadienſ. } *Medic.*
Chriſtoph. Stathmion, Kremauienſ. } *Medic.*
Wolfgangus Latzius, Viennenſ. } *Medic.*

Inter inſcriptos fuere I. *Cyriacus Weber* Memmingenſis, inſignis ille noſtra memoria, & fama celeberrimus Medicus & Landſpergæ Boiorum Phyſicus: frater *Ioannis Baptiſtæ Weberi* Vicecancellarii Cæſaris; quorum ex ſorore nepos, *Cyriacus Lutzius*, hoc

A. 1538.

hoc ipſo tempore, quo hæc ſcribimus, Medicinæ Profeſſorem in Schola noſtra agit.

II. *Andreas Welſer*, Præpoſitus apud S. Stephanum Bambergæ.

III. Inſcriptus eſt eodem quoque anno, 19. Iunii *Wolfgangus Latzius* artium Magiſter Viennenſis: qui circa annum 50. & poſt ea tempora Viennæ claruit, Medicus & Imperatoris FERDINANDI I. hiſtoricus: de quo plura dicere ſuperſedeo, cum ipſemet nomen ſuum doctiſſimis a ſe ſcriptis libris immortalitati conſecrarit, & ingenii ſui excellentiam, eruditionemque ſingularem toti orbi fecerit teſtatam.

* Scribitur *Wolfgangus Latzius* filius fuiſſe Doctoris *Sigismundi Latzii* Stocgardienſis.

IV. *Marcus Antonius Caimus* Mediolanenſis, Iuris ciuilis Profeſſor.

* Fuit *Caymus* vir eruditiſſimus; legiturque *Alciati* fuiſſe auditor, ac Iurisprudentiam, antequam ad nos accederet, in Galliis docuiſſe. Vid. an. 1540.

V. *Guilielmus Vlinus* Monachus Ordinis Præmonſtratenſis, ex Adelberg, Hebraicæ linguæ Profeſſor.

* Succeſſit ſcilicet *Vlinus Nicolao Winmanno*, quem inuenio annis præcedentibus ſacræ linguæ apud nos Profeſſorem extitiſſe; quod quidem manifeſte probant duo ipſius opuſcula typis impreſſa, hoc titulo: *Herculis cum Antæo Pugnæ allegorica ac pia interpretatio, auctore Nicolao Winmanno linguarum Ingolſtadii publico lectore. Norimbergæ* 1537. *Oracio Nicolai Winman in ſanctam, hoc eſt, hebraicam linguam, Ingolſtadii habita publice* 1538. Quo anno *Winmannus* ad Academiam noſtram acceſſerit, aut quorſum hoc anno abierit, inueſtigare non potui.

Humanis valedixit ad æternam transgreſſus Patriam fœliciſſimus Medicus, *Michael Fenckh*, Profeſſor Ingolſtadianus: Sepultus eſt apud Franciſcanos iuxta Puerperium D. Mariæ Virginis.

* Atque hunc quidem *Fenkium* Clariſſ. *Steblerus* noſter in ſua Hiſtoria trium ſeculorum Medicæ Facultatis Ingolſtadienſis anno 1772. in lucem edita, penitus omiſit.

Eodem anno exceſſit e viuis nobilis vir *Chriſtophorus Langenmantel*, cuius Epitaphium apud Franciſcanos lapideum prope ſuggeſtum eiusmodi eſt:

A. 1538. *Clariſſimo Viro ac Domino Chriſtophoro Langenmantel, Iuris vtriusque Doctori, Cathedralis Friſingenſis Eccleſiæ Canonico, Illuſtriſſimique Guilielmi Bauariæ Ducis &c. a Conſiliis, & Alberti impuberis in Academia Ingolſtadiana præfecto; fratri germano ſuo piiſſimi fratres ſuperſtites hoc monumentum pietatis ergo poſuerunt. Moritur anno* 1538. *die* 17. *Martii, ætatis ſuæ anno* 49. *menſe* 10.

Ioannes Eckius ſecundo Parochus Academicus nonus, alias decimus tertius;

* Scilicet cum Landsbergam abiiſſet *Tuchſenhauſerus*, cui *Eckius* anno 1533. parochiam illam ceſſerat.

A. 1539.

ANNO DOMINI M D XXXIX.

Rect. CXXV. OSVALDVS AB ECKH, Wolfs & Randeckh, *Leonardi ab Eckh*, viri ſummi & incomporabilis, Sereniſſimi Boiorum Ducis GVILIELMI Cancellarii ſupremi, & Scholæ noſtræ Patroni meritiſſimi filius.

Prorector *M. Sebaſtianus Linckhius*, Stutgardianus, Oratoriæ Profeſſor, & *Oſwaldi ab Eck Preceptor domeſticus.*

Rect. CXXVI. WIGILEVS HVND a Lauterbach, nobilis, LL. Doctor & Profeſſor.

Inſcripti 127.

Princ. Sereniſſimus Princeps ac Dominus VDALRICVS Dux Mechelburgenſis, Princeps Wendorum, Comes in Schwerin, Roſtockh, & Stargardia &c.

Nobiles, *Petrus a Penzenaw.*
Chriſtoph. Rabenhaupt.
Franciſcus a Neumann.
Georg. Fuchs de Rug, Can. Herbipol.
Chriſtoph. a Clain, Can. Eringenſ.
Oſwaldus Rainer zum Erb.
Erneſtus Comes in Solms, Dominus in Minzburg, Aulicus Principis ALBERTI.
Ieronymus Maier, Can. Bamberg.
Ioan. Kamerer von Bertlhaim.

Fride-

A. 1539.

Fridericus von Wiſſenthau.
Euſtachius von Burga.
Ioan. a Seckendorf zu Zugenhaim.
Chriſtoph. Grieſſtetter ab Haslach, Can. Friſing.
Philippus a Streitberg.
Georgius de Sandt, Can. Hagenſ.
Philipp. Rudolf. zu Herbenſchlaben, Ducis Mecklenburg. Cubicularius.
Philippus a Lautter.
Haio ab Holdinga, Friſius.
Ioannes Mephſebt, Friſius.
Ricardus Mellenman, Friſius.
Wolfg. Theodoric. a Maxelrain, Can. Auguſt.
Nou. Doct. *Wolfgang. Dengius*, Stockgardienſ. } *Medic.*
M. Aegidius Röslin, Lauinganus. }

Menſe Octobri h. a. acceſſit ad Academiam noſtram Sereniſſimus Princeps ac Dominus VDALRICVS Dux Megalopolitanus, Princeps Wendorum, Comes in Schwerin, Roſtockh & Stargardia &c. filius ALBERTI, nepos MAGNI Ducis Mechelburgenſis, qui ſemel terram ſanctam, bis vero Romam (heu pietas & priſca fides) inuiſiſſe, Stargardiamque & Vandaliam paternæ ditioni adieciſſe ſcribitur. Fuit Princeps VDALRICVS perquam charus Sereniſſimo Duci Bauariæ ALBERTO, cui indiuiduus & ſtudiorum & exercitiorum comes, atque vna etiam Inſtitutionibus iuris, ſub eodem præceptore, *Wolfgango Hungero* legum Doctore ac Profeſſore operam dedit.

Florebat circa ea tempora (*anno* 1540. *& ſeq.*) Iurisprudentiæ ſtudium, & inſignes docebant Iurisconſulti, *Antonius Caimus* Mediolanenſis, *Fabius Arcas de Narnia* Romanus, *Viglius Zwichemius*, *Nicolaus Euerhardus* ſenior, *Wiguleus Hundius* a Lauterpach, cui inſtitutionibus docendis, cum auocatus eſſet ab Illuſtriſſimo Principe GVILIELMO, ſubrogatus eſt anno 40. *Wolfgangus Hungerus*. In Theologia clarus erat *Eccius*. In Medicina *Cæſar Delphinus* Parmenſis; in literis & linguis *Vitus Amerbachius*, in oratoria *Sebaſtianus Linckh* Stutgardianus, in Mathematicis *Petrus Apianus*, in Poëſi *Ioannes Pedionæus*, *Ioannes Lorichius* Hadamarius: & ſi qui fuere alii, vel eodem tempore, vel ſibi inuicem ſuccedentes.

Ex

A.
1539. *Ex reliquis inſcriptis memoria noſtra digni*, I. *Ioannes Kheſſelring* Yberlingenſis LL. Licentiatus, altero die LL. Doctor creatus. II. *Valentinus Butzlius* Vangianus, qui iam vxoratus Studiorum gratia vna cum coniuge huc conceſſerat, & qui poſt clariſſimus euaſit Medicus, inter Acronianos & præſertim Yberlingenſes Doctores, qui non ita olim plurimi erant, facile primas tenens. Deſiit nunc inter viuos eſſe, cum hæc commentabar, parens aliquot liberorum.

Eodem anno commigrauit ex Auguſta Ingolſtadium induſtrius & celebris Typographus *Alexander Weiſſenborn* ſenior, *Alexandri* iunioris & *Samuelis Weiſſenborniorum* fratrum, qui noſtra ætate, multis ſua opera euulgatis in publicum libris, optime ſunt de re literaria meriti, parens.

E viuis diſceſſit 20. die Iunii Reuerendiſſimus & Illuſtriſſimus Princeps, ac Dominus CHRISTOPHORVS *a Pappenhaim*, Epiſcopus Aichſtadianus, Scholæ Ingolſtadianæ Cancellarius tertius, in cuius locum ſucceſſit MAVRITIVS *ab Hutten* Cancellarius quartus. *Chriſtophorus Marſchalkh de Pappenhaim* dedit operam litteris in noſtra Academia annum circiter 1510. & ſubſequentes. Eligitur in Epiſcopum Aichſtadianum anno 1535. die 28. Octobris. Præfuit Epiſcopatui annis tantum quatuor. Pauca de hoc Epiſcopo ſcribit Bruſchius, cum procul dubio & ille ſuas habuerit dotes, a quibus commendari potuiſſet, neque hominum res illius geſtæ, & Epiſcopatus adminiſtratio memoriam exceſſerit, quia decimo poſt ipſius mortem anno ſcripſit Bruſchius. Illuſtrem certe familiam eſſe conſtat, ex qua etiamnum complures ſuperſunt, tum Pappenhemii reſidentes, tum circa id oppidulum arces poſſidentes. Seniori *a Pappenhaim*, qui pro tempore gerit officium Mareſchalci in Imperio, vnus erat filius, *Henricus Rhodolphus a Pappenhaim*, qui hoc ipſo anno, cum ex morbillis apud Ingolſtadienſes laboraſſet, poſt in Galliam profectus, circa Septembrem ibidem obiiſſe dicitur.

* Corrigendus eſt Rotmarus, dum ſcribit CHRISTOPHORVM die 28. Octobris electum eſſe Epiſcopum Eichſtadianum; qui manifeſtus error eſt, cum *Gabriel ab Eib* Calendis primum Decembris e vita exceſſerit. Inuenio electum fuiſſe die 14. Decembris an. 1535. mortuum die 19. Iun. an. 1539.

Die

Die 24. Auguſti h. a. obiit *M. Alexius Zebentmair* ſepultus ad D. Virginem, cum inſcriptione in lapide pauimenti ad portam templi inferiorem Auſtralem. A. 1539.

* Ita Rotmarus ad annum 1532.

Eodem anno Regens Collegii Georgiani conſtitutus eſt, 1. Octobris *M. Wolfgangus Thurn* ex Thürſenreüt, & præfuit Collegio annos 4. menſes 7. Habuit idem Germanum fratrem *Philippum Thurn*, qui peragrata Gallia & viſis Parrhiſiis, in Germaniam reuerſus eſt, & cum Archigrammatei Strubingenſis officio fungeretur, non ita longo poſt tempore diem obiit: vterque beneficio & ope affinis ſui Doctoris *Georgii Haueri* emerſit.

Sæuiit hoc anno peſtis grauiſſime. Magnificus igitur Dominus Rector (*Wiguleus Hundius*) cum cæteris Iuris Doctoribus & Scholaribus Rainam, quod eſt oppidum ſupra Neoburgum non procul a Lyco, ditionis Bauaricæ, ex Sereniſſimi Ducis GVILIELMI decreto & indultu conceſſit, vbi iisdem illis, quibus domi, iuribus, immunitatibus, ac priuilegiis vti & frui conceſſum: cæteris, quo quisque vellet, concedendi, & quaſi ad aſylum confugiendi, libera fuit data facultas.

* *Franciſcus Burkhardus* I. V. D. & primarius Iuris pontificii Profeſſor, cuius obitum Rotmarus ad annum 1535. adnotauit, cum & ipſe ad vitandum peſtis periculum Ingolſtadio abiiſſet, mortem Rainæ minime expectatam inuenit. Die 9. Decembris, cum domum ſenatoriam ad habendam primam lectionem conſcendiſſet, capitis dolore occupatus, citius eandem finiit, ſuis tamen auditoribus in reditu familiariter adhuc collocutus. Domum reuerſus, dolore ingraueſcente, in lethalem ſoporem paulo poſt incidit; a quo dum eum filia lacrymans excitare conatur, nihil efficit. Accurrunt *Hundius* Rector & *Viglius* cum Sacerdote: ſed ille nullo edito ſigno ſub horam ſecundam expirauit, ex apoplexia ſcilicet; nam dimidia corporis exanimati pars liuida ſubnigraque apparuit. Corpus Ingolſtadium deductum eſt, ut illic in præparato a ſe monumento quieſceret.

ex eo nunc quoque filius (*nepos*) reſtat, religioſum habitum & regulam ingreſſus, & duæ filiæ, vtraque vidua, quorum altera *Ioanni Lorichio* Cancellario Friſingenſi, altera *Ottboni Reixtalero* Cancellario Ratisbonenſi nupta fuit.

* Ex Artium Profeſſoribus pleriqne Ingolſtadii ſubſtitere; cum ob timorem potius quam periculum peſtilentiæ, translatam fuiſſe Acade-

miam ſcribant. Ceterum qui Rainam conceſſere, magno ibi cum incommodo viuebant, & multo grauiore, quam Ingolſtadii, ſumtu.

A. 1540.

ANNO DOMINI M D XL.

Rect. CXXVII. M. SEBASTIANVS LINCKH, Oratoriæ Profeſſor.
Rect. CXXIIX. M. OSVALDVS ARNSPERGER, S. Theologiæ Licentiatus, & apud D. Virginem Parochus, III.

Inſcripti partim Rainæ, partim Ingolſtadii 114.

Nobiles, *Ioan. Schweickhard. de Heglingen.*
Reinhard. Haidenbuecher a Kaufring.
Hector Hegener zum alten Weiher.
Hieron. Wilbold. de Seibelsdorf a Schenkenaw, Can. Auguſt.
Hieronym. Fugger, Antonii in Kirchberg & Weiſſenhorn filius.
Stanislaus Thurſo de Betlehem Valua.
Schelto Lyaukama, Phryſius.
Reinhardus Comes a Solms, Dominus in Münzenberg, Can. Colon. & Moguntin.
Bernhardus, prioris frater, Can. Colonienſ.
Philippus a Stockham.
Georg. Brandiſſer, ex Botzen.
Ioan. Georg. Herman.
Chriſtophor. ab Abam, Can. Ratisbon.

Nou. Prof. *Wolfgangus Hungerus*, Waſſerburgenſ. I. V. Doct. & Profeſſor.
Ceſar Delphinus Parmenſis Phyſicus, Medicinæ Doctor & Profeſſor.

Wigileus Hundius nondum Rectoratus completo tempore, 22. die Ianuarii h. a. auocatur a Scholæ regimine, & profeſſionis iuridicæ adminiſtratione, & conſiliariorum numero adſcriptus eſt, Monaci a Sereniſſimo Boiorum Duce GVLIELMO, qui tum temporis Bauariæ præſidebat: reliquum vero tempus Rectoratus

A.
ratus compleuit *Viglius Zwichemus* Iuriſconſultus: Viuit adhuc & 1540.
quidem eo ipſo tempore nobiliſſimus vir ille *Wigileus Hundius*, quo hæc ſcribimus, plenus dierum, canis venerandus, qui ſenectutem eiusmodi pene viuit, qualem Oratorum Princeps in libello de ſenectute propugnat, hoc eſt, non ita grauem, vti aliis quibusdam, indoctis præcipue, & qui otio tantum & ventri nati ſunt, videri poteſt. Singulares ac pene diuinas virtutes, dotesque in eo heroe ſpectare potius, & admirari eſt conceſſum, quam imitari. Equidem quod de *Leonhardo Eccio* ſcripſiſſe Boiorum Hiſtoricum aliquando retulimus, id nos de *Hundio* noſtro pronuntiare ac tuto poſſumus affirmare, quod inter Iuriſconſultos, & humanioris literaturæ peritos, ſit nobiliſſimus, inter nobiliſſimos iuriſconſultiſſimus & literarum humaniorum peritiſſimus. Inexhauſti etiamnum eſt laboris, otio minime deditus, nec in prægrandi, ſed perquam iucunda conſtitutus ætate Rempublicam vel politicam, præſertim vero Sereniſſimorum Bauariæ Ducum ac Principum ditiones ſapientiſſimis, vtiliſſimisque conſiliis, vel literariam doctiſſimis ſcriptis, quæ ſub manibus habere dicitur, iuuare vnquam deſinit. Præſidet Senatui Ducali Monaci, in rebus arduis & grauioribus, tanquam rerum experientia & prudentia ſingulari clarus, Sereniſſimo aſſiſtit Principi. Commiſſiones a Sereniſſimo Duce ſibi delegatas, negotiaque concredita, nullum ſupterfugiens laborem, magna alacritate animi obit, incredibili fide & dexteritate tractat, & conficit. Interim tamen inter medios labores, & negotiorum turbas, non poteſt ſui, ſuorumque Studiorum, & præſertim literarum humaniorum obliuiſci, & quascunque negotiis ciuilibus poteſt horas ſurripere, eas honeſtis literis, & præſertim hiſtoriis locat. Conſtans eſt apud plurimos fama, Epiſcopatus, & Monaſteria Bauariæ iam olim collecta, adhuc ab illo premi, & quaſi recudi, breui tamen in lucem proditura. Sunt & plurima, & maxima, quæ de hoc heroe, ac ſingulari Studiorum Patrono & poterant, & debebant dici, quæque illi laudem & admirationem apud omnes pariunt; verum quia dignitatem eorum nulla verborum copia & ornatu aſſequi me poſſe vereor, malo ſilentio præterire, quam tenuitate ingenioli mei res præclariſſimas obſcurare. Deus Opt. Max. tantum Heroëm Reipublicæ

A. 1540. Chriſtianæ, Domui Bauaricæ, omnibus bonis, & rei literariæ, communibusque ſtudiis, quam diutiſſime ſeruet incolumem.

* Fuit *Hundius*, cum ab Academia diſcederet, viginti quinque annorum; & iam ſummis poterat Iurisconſultis comparari. Audiamus *Viglium* in epiſtola ad *Leonardum Eckium*: *Doctor Wiguleus Hund non modica gratia apud Auditores pollet. Et profecto non modo eruditione, ac diligentia, ſed etiam iudicio praecellit; qualem virum huius Academiae proprium Alumnum praemio aliquo obſtringere conueniret, ne de alia conditione cogitaret, ſed publicis ſtudiis inſeruire pergeret.* Teſtimonium minime ſuſpectum a Profeſſore Collega. Opus illud inſigne de Epiſcopatibus ac Monaſteriis Bauariæ, quod Rotmarus ſuo tempore breui in lucem prodituram augurabatur, *Hundius* anno demum 1582. typis Ingolſtadienſibus literato orbi communicauit, ſub titulo *Metropolis Salisburgenſis*, quam vere Hiſtoriam Bauariæ ſacræ diplomaticam dixeris. Fuit eius libri apud omnes gentes tanta æſtimatio, vt vix vno atque altero anno elapſis, nullum amplius exemplar venum proſtaret; donec a *Chriſtophoro Gewoldo* anno 1620. tribus tomis auctior ederetur. Scripſit præterea *Stemmatologiam Boicam*, opus immenſi laboris, ſed & ſummæ pro nobilibus Familiis Bauariæ vtilitatis. Pars illius prima & ſecunda Ingolſtadii typis Sartorianis anno 1585. excuſa eſt; atque iterum Monachii anno 1598. Pars tertia, etſi ab *Hundio* compoſita, lucem publicam nondum vidit; promiſit vero ſtudioſiſſimus Hiſtoriæ patriæ Finauerus in Tomo I. ſuæ Bibliothecæ, ſe præclaras illas *Hundii* reliquias editurum; & dum hæc ſcribo, nuntiant pagellæ Monacenſes, illas ſumtibus Strobelianis prelo apparari. Obiit immortalis *Hundius* anno 1588. die 18. Februarii Monachii, ſepultus ibidem apud Patres Franciſcanos, hoc cum Epitaphio, quod viuus ſibi ipſe ſcripſit:

Wiguleus Hund a Sulzemos & Lenting Iurisc. Nobilis Boius cum ante multos annos ab opt. Princip. Boior. Wilhelmo & Alberto in Conſilium aſcitus & ab hoc eiusdem ſupremi conſilii Praeſes creatus fuiſſet, poſt varios domi forisque non infeliciter ſuſceptos labores aetate ingraueſcente lethi memor, Monumentum hoc viuus ſibi vxoribusque ſuauiſſ. A. Frauenberg ac D. Vrſulae a Pienzenau & Poſteris P. quos quaeſo Lector piis precibus viuos defunctosque proſequere. Obiit anno Dom. M. DL. XXXVIII. aetatis LXXV.

Paulo infra hoc monumentum aliud videre eſt cum Hundiorum inſignibus & hac germanica inſcriptione:

Ao. D. MDLXXXVIII. den XVIII. Tag Februar. ſtarb der Edl Hochgelehrt veſt Herr Wiguleus Hund zu Sulzemos F. Rath und Pfleger zu Dachau geweſen.

* Rector æſtiualis huius anni Rainæ, quo vt ſupra dictum eſt, maior Academiæ pars cum reliquiis Scholarium *ob peſtis ſaeuitiam*, vt Rotmarus ſcribit, ſuperiori anno conceſſerat, electus eſt *M. Sebaſtianus Linck* Stut-

A. 1540.

Stutgardianus oratoriæ Profeſſor, qui ſolus cum *M. Iacobo Kübelio*, pariter Stutgardiano, Rainæ aderat ex Artiſtarum Collegio. Hac de electione memorabilis exſtat epiſtola *Ioannis im Garten* Pedelli academici, quam Pappendrechtius Analect. Belg. Tom. II. Part. I. inter Viglianas 115. inſeruit hoc tenore:

Ioannes im Garten Bedellus Ingolſtadienſis
Domino Bernardo Lechamer Paſtori &c.

Diſcooperto vertice S. D. cum his dierum interluniis Plebane nouelle, Domine & fautor non poſtponende, viri omnigena litteratura ſtrophiati, ac immenſa ſagacitate paradoxotati, inprimis vero ſacræ Deiloquæ Facultatis Magiſtri noſtri ſublimiſſimi, nec non togatiſſimi Iuris Maſtrices, vna cum Galeni & Auicennæ Pronepotibus, ac Ariſtoteliſtis, in ſeptifariarum artium Encyclopædia exagitatiſſimi, longo licet locorum interuallo ſequeſtrati, de nouo Angelipolitani Lycæi Induperatore, ſuis calculis perpendiculando atque exſibulando in collimitium *Rainanum conueniſſent, ibidem ætherëus altitonans non hirſuta pupilla phæbei gregis bipedantis collimans ſuper eximium, nec non in Heptatechnica ſophia reſolutiſſimum, & inſuper in Periclea arte ſpectatiſſimum* M. Sebaſtianum Linck, *in præſtantificum eiusdem Lycæi Rectorem inoculauit, concordantibusque omnium ſcrupis glorioſe ſublimauit. Poſteaquam vero ego* Ioannis in Hortis *Almæ Vniuerſitatis Caduceator, Protoſceptriger & Archigrammateus, licet indignus (quia vti ſcitis ex veſtris prouerbiis: quandoque etiam eſt olitor verba oportuna locutus, & hoc per parentheſim) in imis præcordiis inſinuaui, quam bene & domeſtice vos ſemper cum prænentionato Magnifico ſtetiſtis: ideo idcirco tanta bona noua vobis intimare cordi habui. Verumenimuero ne veſtram religioſam deuotionem, quam nouellis interluniis in nouello ſacrificatu inpectoraniſtis, ſcribligine mea exibilem: eapropter laconica periodo præſens ſcriptum terminare, & calamum a charta auerruncare non omitto. Attamen vt id non ſtiriata nare, ſed obuiis (vt trita fertur cicuta) brachiis, ſuſcipere dignemini quæſumus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen. Sitis bonarum rerum, & valete ſecundum agnomentum veſtrum tanquam vrſus robuſtus ex Polonia. Datum Collimitii Lecdanubiani ex Lycoſtomatis ruinis, Rainæ, ſecundum nouam Etymologiam vocati. In die glorioſæ Aſcenſionis Domini. Anno* 1540.

Citius, quam pro more fieri antehac ſolitum, inſtituta eſt *Oſwaldi Arnſpergeri* electio, propterea quod duo ex Theologiæ Doctoribus, quos electionis ordo tangebat, ad Colloquium Wormatienſe profecturi erant.

* Facta eſt autumnalis electio Ingolſtadii, poſt reditum ſcilicet ab exilio Rainenſi; qua phraſi acta vtuntur artiſtica.

A. 1540. Inter inſcriptos erant I. *Hieronymus Fugger* Baro, Magnifici Viri ac Domini *Antonii Fuggeri*, Domini in Kirchperg & Weiſſenhorn filius, Domini *Marci*, qui nunc præfectus eſt vrbis Auguſtanæ Cæſareus, *Ioannis* & *Iacobi*, qui adhuc omnes in viuis ſunt, frater germanus. Vitam inter fratres ſolus vixit celibem, certis annuis a fratribus acceptis redditibus. Obiit in arce Oberndorff, non procul ab oppido Rhain Bauariæ anno 74.

* Ab hoc maxime tempore *Fuggerorum* nomen in Academia noſtra florere cœpit; quod quidem, ni fallor, *Viglii* noſtri meritis præcipue debemus; cum enim *Henricum* ac *Quirinum Rechlingeros*, fratres vxoris *Antonii Fuggeri* dolæ in Burgundia noſſe cœpiſſet; ac dein Auguſtæ ſuo in tranſitu eodem *Antonio Fuggero*, *Ioanne Rechlingero* & *Ioanne Paumgartnero* familiarius eſſet viſus, eorum etiam filios Ingolſtadium pertraxit, maxime *Fuggeros*, qui maximo deinceps numero, ad octogenos, Academiam noſtram illuſtrarunt.

II. *Ioannes Gothardus*, *Wolfgangi Gothardi* filius: de quo anno 70. plura. III. *Ioannes Reicbold*, de quo vide annum 72. IV. *Reinhardus Comes a Solms*, Dominus in Müntzenberg, Canonicus Moguntinus & Colonienſis & *Bernhardus Comes a Solms*, Domini *Reinhardi* frater germanus, & Canonicus Colonienſis. Eorum parens tum Sereniſſimorum Ducum Bauariæ, WILHELMI & LVDOVICI agebat Ingolſtadii architectum in extruendis munitionibus. Illius operæ aſcribitur pars ea vallorum, quæ inter D. Crucis & ſeptentrionalem portam, quàm a Sacello, quod non procul ab ea olim diſtabat, Hardinam (*fortaſſis Hadrianam, das Hadertbor*) dixerunt maiores, interiacent.

* Scribit Rotmarus in Acad. Ingolſt. Part. IV. de geminis his Comitibus de Solms:

Eorum parens charus erat Sereniſſ. Principi Bauariæ GVILIELMO quarto, primusque fuit munitionum Ingolſtadienſium architectus, neque quicquam eorum, quæ condidit, auditum eſt concidiſſe.

Oſvaldus Arnſperger S. Theologiæ Licentiatus, ſucceſſit in Parochiæ Academicæ adminiſtratione, Domino *Ioanni Eccio*, Parochus 14. a fundationis initio, Academiæ vero vndecimus.

Vocatus eſt ad Archiepiſcopatus Salisburgenſis adminiſtrationem, defuncto Cardinale MATTHÆO *Lang*, Sereniſſimus

Prin-

Princeps ERNESTVS, Com. Pal. Rhen. & Dux Bau. de quo apud *Sebaſtianum Münſterum* quædam haud exigua, autore *Ioanne Alberto Lucretio* reperies, quæ ego breuitatis cauſſa intermitto. Illud tamen tacere non poſſum, quod coram vidi; laborioſiſſimus fuit Princeps, ſupplicum libellos & querimonias ipſemet & legit & audiuit: diligenter in ſuos præfectos animaduertit, quomodo ſubditos tractarent. Archiepiſcopatum nullis exactionibus granauit. Sumptuoſus non fuit. Reſignauit Archiepiſcopatum per meum patruum *Ioannem Rotmarum*, de quo anno vndecimo dictum eſt, iis, a quibus ſe accepiſſe dicebat; & ſeceſſit in comitatum ſuum Glatzenſem, Bohemiæ. A. 1540.

* Vid. an. 1516.

* Hoc anno *Marcus Antonius Caymus* Iurium Profeſſor, Athenæo noſtro relicto ticinum migrauit; ac poſtea a CAROLO V. inter Senatores Mediolanenſes cooptatus in vrbe patria obiit anno 1560.

ANNO DOMINI M D XLI. A. 1541.

Rect. CXXIX. WOLFGANGVS HVNGERVS, Iuriſconſultus & Legalium Inſtitutionum Profeſſor Ordinarius.
Rect. CXXX. IOANNES SALICETVS, alias *Widman*, Eckius.

Inſcripti 235.
Nobiles, *Chriſtophor. Sünderndorfer.*
Chriſtophor. Engelshofer.
Beatus a Rippurg.
Georgius Buecher.
Wolfgang. Wilhelm. a Maxelrain.
Mauritius Zoch, ex Hala Saxon.
Ioannes Steckberger.
Chriſtophor. de Auffeſs, Can. Wurceburg.
Fridericus } *Erneſtus* } *a Carlebitz*, Dresdenſes.
Ioannes Füeger, Halenſ. ad Oenum.
Henricus } *Ioannes* } *a Bernſtain*, Miſnenſes.

Fri-

A. 1541. *Frideric. de Rebitz* (fortaſſe *Redwiz*), Can. Bamberg. & Herbipol.
Vdalricus Comes a Montfort.
Reynbard. Comes ab Hanaw, Dominus in Münzberg.
Philippus a Molſperg.
Wolfgang. a Wirſperg, Can. Ratisbon.
Ioan. Chriſtoph. a Götzendorf.
Ioannes de Kienburg, Can. Salisburg.
Sixtus a Seckendorf, Can. Spirenſ.
Berchtold. a Seckendorf, Can. Eichſtett.
Wolfgang. a Leenſtain, Dominus in Scharfeneck.
Ioan. Conrad. de Perlichingen.
Eraſmus Haydenreich, Oenipontan.
Leonard. Buchler de Weitteneck, Tyrolenſ.
Martinus Weyer a Lebe, Pomeranus.
Frideric. Steinhewſer a Neidenföls, Can. Eluacenſ.
Ioan. Chriſtoph. a Gych.
Georg. Guilielm. a Wyſenthaw, Can. Herbipol.
Sebaſtian. Truchſes a Reinfelden.
Bartholom. a Welſperg.
Ludouic. Gerhart, a Brixen.
Ioan Müllſtötter a Brauneck.
Marquard. a Berg, Can. Auguſt.
Iacob. Rüedter a Bocksberg.
Henricus a Bibra, Can. Herbipol.
Michel a Liechtenſtain, Can. Herbipol.
Albertus Reiffenſtainer.
Nou. Doct. *Paulus Hirsbeck*, Sinchingenſ. *Theol.*
Mauritius Zoch, Halenſ. Sax. *Iur. vtr.*

Wolfgangus Hungerus multis nominibus æterna memoria digniſſimus, Anno 1530. Menſe Septembri ad Academiam Ingolſtadienſem Studiorum gratia primum venit, & ſub Domino *Fabio Naruia* Iuriscosſulto & Profeſſore, ac tum Rectore, 30. die eius Menſis in album Studioſorum relatus. Patria erat Boius, & oppido non inelegantí Waſſerburg oriundus, quod ad nobile Bauariæ flumen Oenum eſt poſitum, & propter hunc vnum, ſi cæte-

A. 1541.

cætera deſint, alumnum, merito poſteritati commendandum. Poſteaquam in Galliis anno 39. Doctoratus inſignia eſſet conſecutus, ad Academiam reuerſus eſt, & Inſtitutionum Imperialium Profeſſor Ordinarius conſtitutus. Quo tempore Illuſtriſſimos duos Principes auditores habuit, Illuſtriſſ. Bauariæ Principem ALBERTVM &c. & Illuſtriſſ. Principem Megaloburgenſem VDALRICVM &c.

* Plura de *Wolfg. Hungero* ad an. 1548.

Inter inſcriptos erant I. *Ioannes Baptiſta Weber*, de quo alio in loco. II. *Marquardus a Berg*, nobilis Sueuus, ex Præpoſito Auguſtanæ & Babenbergenſis Eccleſiæ Cathedralis eligitur in Epiſcopum Auguſtanum, ſucceditque defuncto *Ioanni Aegolpho a Knöringen*, anno Domini 1578. heros multis & animi & fortunæ dotibus, bonisque præclarus. Vt operam daret literis, venit Ingolſtadium h. a. menſe Decembri; circa Angariam *Reminiſcere* anno 44. (quod & noſtræ Facultati honorificum, & tum temporis nobilibus frequens) Baccalaureatum in liberalibus artibus in noſtra Schola recepit, examinatoribus *Eraſmo Wolffio* Landſpergenſi, *Chriſtophoro Khapfero*, *Wolfgango Gotthardo*, & *Sebaſtiano Solido*. Magiſterii vero titulo inſignitus anno 45. die 19. Ianuarii, ſub decanatu *Oſwaldi Arnſpergeri* SS. Theologiæ Doctoris, & Promotore *M. Wolfgango Gotthardo*. Hic Præſul multarum linguarum cognitione inſignis, præſertim vero honeſtis literis excultus, & Iuris ſtudio præclarus. Præeſt etiamnum ſuo Epiſcopatui laudabiliter & fructuoſe in magna tranquillitate, ſine ſumptuoſa aulicorum turba & ſtrepitu. III. *Laurentius Gryllus*, de quo alias plura. IV. Menſe Iunio aduenit *Vdalricus Comes a Montfort*. Moritur is in Burgundia, cum nomine Imperatoris CAROLI *quinti* legatione fungeretur. Erant tum temporis frequentes in Academia & Comites & Barones, fama, vt opinor, Sereniſſ. Boiorum Ducis ALBERTI & VDALRICI Ducis Mechelburgenſis, qui eo tempore literis dabant operam, exciti.

* V. *Wolfgangus Oeſele* filius Phyſici, h. e. Medici Cubicularii LVDOVICI Ducis, noſtri quondam Profeſſoris. VI. *Paulus Hirſpeck* Sinchingenſis, qui, cum anno 1532. Artium factus Magiſter aliquot annis Grammaticam docuiſſet, ac anno 1534. Sulzbacum Prædicator abiiſſet, SS. Theologiæ Doctor hoc anno creatus, poſthac Eccleſiaſtes Ratisbonen-

A. 1541.

bonenſis, in reducendis ad religionem catholicam ciuibus Ratisbonenſibus multum laborauit, eique negotio tandem immortuus eſt. Fratrem habuit *Ioannem Chryſoſtomum* Abbatem Schyrenſem.

* *Ioannes Eckius* ad huius anni initium Ratisbonæ cum *Philippo Melanchtone* diſputauit.

A. 1542.

ANNO DOMINI M D XLII.

Rect. CXXXI. WOLFGANGVS COMES DE LEENSTAIN, (*Löwenſtein*).

Prorect. *Leonhardus Gebhardt*, Philoſophiæ Prof. de quo anno 25.

Rect. CXXXII. PAVLVS DE SCHWARZENBVRG, *Baro*.

Prorect. *M. Oſualdus Arnſperger*, SS. Theologiæ Licentiatus, & apud D. Virginem Paſtor.

Inſcripti 306.

Nobiles, *Ioan. Hector Rabenſtainer.*
Sebaſtian. Pferſfelder ex Eicha, Can. Friſing.
Sigismund. a Seuboltsdorf.
Felix Frideric. Comes a Zollern & Sigmeringen, S. R. I. Camerarius hæreditarius.
Georg. Riederer a Barr.
Ludouic. de Ebersberg, nominatus *a Weyers*, Can. Auguſt.
Chriſtophor. de Hirſhaid.
Wolfgang. Theodoric. ab Hutten, Can. Eichſtett.
Vdalric. Laurent. ab Hutten.
Martinus ab Hofſtatt.
Henricus Norman, Pomeranus.
Ioan. Emeram. Paumgartner a Frauenſtain & in Eytzin.
Ioan. Adam. ab Abam.
Vrbanus de Trenbach, Can. Paſſauienſ.
Ioan. Bapt. Bohemus, Ratisbonenſ.
Sigismund. Auer ex Günzing, Can. Pataujenſ.
Henricus de Egloffſtain.
Simon de Thun, Can. Trident.
Georg. Walther. Boſchman de Wolpershouen.

Mat-

A. 1542.

Matthias a Kaynach (fort. *Raynach*)
Iacobus Lew, Atheſinus.
Balthaſar Eyſeler ex Scherding.
Chriſtophor. de Peſſenhauſen.
Benedict. Pyrrius zu Parz.
Caſpar. Baro de Vels.
Georg. Wolfgang. Baro de Crayt, Bohemus.
Ioannes de Cardelan, Brittannus.
Georgius / *Sebaſtian.* } *Füeger* de Hall, fratres.
Caſpar. Kuen de Bleſia (*Belaſi*)
Otho a Poſn, Can. Miſnenſ.
Hieronymus Zygler, Cleric.
Ioannes ab Haubwitz (fort. *Haugwitz*)
Balthaſ. Proſper de Gumpenberg, Cleric.
Georg. Orttenburger, Saliſburgenſ.
Petrus Vellepelle, Lingonenſ. Gallus.
Conrad. Geypel a Schelkrepen.
Philippus / *Wolfgang.* } *ab Hartten.*

Nou. Prof. *M. Ioannes Loricbius*, Hadamarius, Poeta Laureatus.
Nou. Doct. *M. Chriſtophor. Oſtwind*, *Eurus* alias dictus, *Medic.*

Inter inſcriptos numerantur I. *Vrbanus de Trenbach* Boius, Canonicus Patauienſis. Acceſſit Scholam noſtram ſtudiorum gratia menſe Iunio. Eligitur ex Canonico Salisburgenſi & Præpoſito Patauienſi in Epiſcopum Patauienſem, Heros vere magnificus, & præter multarum rerum experientiam, peregrinationem & admirabilem in rebus agendis prudentiam dexteritatemque apprime doctus, & plurium linguarum peritus. Præter cæteras literas ac ſcientias præcipue delectatur Matheſios ſtudio, & hiſtoriarum lectione, in qua excellit egregie, adeoque pollet memoria, vt quicquid antiquitatis commemorare voluerit, illud ex ea tanquam theſauro & cuſtode rerum vel potius penu non minus fideliter promere, quam ornate in medium afferre poſſit. Nec eſt illo ipſo fere tum literatorum omnium, tum vero eorum, qui Matheſios ſtudio & Hiſtoriarum cognitio-

A. 1542. ne aliis ſunt eminentiores, liberalior Mecænas & munificentior Patronus. In ſua Epiſcopali ſede Præſul doctiſ. Bibliothecam inſtituit ampliſſimam, & in ea ædificauit ſibi Oenum verſus elegantem turrim ex qua in omnes partes circumquaque liberrimus, tanquam ex ſpecula quadam, proſpectus patet, cæleſtiumque ſiderum motus obſeruari poteſt. Ipſam vero aulam pene ex fundamentis magnifice ac liberaliter extruxit: Summi præterea templi teſtudinem, ac nouum idque pulcherrimum in eo Sacellum verſus latiſſimam Canonicorum Aream, in quo ſibi mortis memor Epitaphium præparat, pie fieri, adeoque ipſum totum templum inſigniter ornari & propemodum inſtaurari curauit. Nihilominus tamen Epiſcopatum nouis arcibus emendis, veteribus renouandis, aliisque pluribus cenſibus quotidie diligens paterfamilias auget. Hoc etiam certe præterire non poſſum, quod Princeps ille benigniſſimus, ante annos decem, complures adoleſcentes nobiles in honeſtis ſtudiis domi foriſque aluerit, adiunctis aliquandiu duobus Præceptoribus, *Ioanne Engerdo*, nunc temporis Profeſſore Poëſios apud Ingolſtadienſes;

* Qui ſcilicet ipſius hoc elogium ſcripſit, ab *Vrbano Trenbachio* continuationem Rotmari exorſus.

& *Ioanne Ratzero* LL. Doctore atque Reuerendiſſimi Principis Eluuacenſis conſiliario. Ex illa nobili Schola præter alios prodierunt duo excellentiſſimi ac plurium linguarum, Latinæ videlicet, Italicæ, Gallicæ, Bohemicæ & Teutonicæ peritiſſimi viri: Quorum alter *Chriſtophorus Pöttinger* de Perſing aliquot etiam annis Romæ in Collegio Germanico bonis ſacriſque literis aſſiduam nauauit operam, iam vero Cathedralis Eccleſiæ Pataulenſis digniſſimum Præpoſitum & Canonicum agit, vir pietate & virtute & doctrina longe clariſſimus: Alter *Eraſmus Gold* in Lampoding, Reuerendiſſimi illius Epiſcopi Patau. ex ſorore nepos, conſiliarius eſt aulicus, & præfectus in Griesbach & Haffnerzell &c. vir non minus eruditione ac prudentia, quam vitæ moderatione aliisque virtutibus perquam inſignis. Dum hæc ſcribimus, fama refert, eundem Epiſcopum Pataulenſem nuper in Coadiutorem Salisburgenſem poſtulatum, modeſte tamen eam dignitatem recuſaſſe; forte quia tenuiori (quanquam & Pataulenſis Epiſcopatus ſatis eſt opimus) ſorte contentus, in quiete

&

A. 1542.

& Repub. iam ad ipſius conſtituta arbitrium mallet viuere, quam acceptare ſplendidiorem, & in nouum ſeſe maiorum curarum & laborum pelagus, ſtatu rerum non vsque adeo tranquillo immergere: tum etiam quod iam ſenio grauaretur: Princeps eſt profecto maxima quaque & ſplendidiſſima ſorte & æuo longiſſimo dignus: de cuius ſane præclaris virtutibus plura eſſent hoc in loco dicenda, niſi tum anguſtia temporis prohiberet; tum ille, qui opus hoc a *Rotmaro*, piæ memoriæ, non ita pridem inceptum, poſt immaturum eius obitum fideliter abſoluit, & ea, & pleraque alia, quæ de hac antiquiſſima familia, ex qua plurimi nobiliſſimi heroës, equites aurati, & Eccleſiaſticis dignitatibus, ornatiſſimi Antiſtites ſunt profecti, dignis monumentis poſteritati conſecranda in meliorem eſſet opportunitatem dilaturus: Interim tamen idem *Engerdus* ingenue grateque fatetur, quod relictis hæreticorum Scholis ad tutiſſimum Eccleſiæ Catholicæ gremium ante quindecim annos ſe contulerit, hoc ſyncere Catholici huius Principis inſtitutioni merito ſe debere, & a Reuerendiſſima eius Celſitudine etiam nunc pluribus ornari beneficiis, & clementiſſimis literis ſæpius appellari.

II. *Caſparus de Vels* Baro. *Velſiorum* familia Tyrolenſis eſt, eaque duplex: ſunt enim quidam *a Vels*, qui ſimplici tantum gaudent nobilitate: Ex ea familia natus fuit *Andreas de Vels*, iuuenis rotundi ingenii, & miræ corporis agilitatis, qui anno 1565. inſcriptus eſt. Quidam vero liberorum Baronum titulo & priuilegiis fruuntur. Ex iis eſt hoc anno relatus in noſtram matriculam *Caſparus de Vels* Baro; claruit ea gens bello & pace, & præſertim Dominus *Caſparus a Vels* bello Neapolitano magnam militaris ſcientiæ & fortitudinis bellicæ laudem ſibi comparauit.

III. *Philippus Apianus*, magni illius *Petri Apiani* filius, patre non indignus.

* Cum hoc *Philippo* inſcripti ſunt, eodem anno *Theodorus* & *Timotheus* fratres. Sed de *Apianis* plura ad annum 1552.

IV. *Caſparus Khuen a Belaſi* (male habet matricula *a Bleſia*) cuius familiæ eſt Archiepiſcopus Salisburgenſis *Ioannes Iacobus Khuen*, qui nunc rerum potitur, vir maturæ ætatis, prudens & liberalis.
V. *Ioannes Baptiſta Lochner*, de quo anno 57. plura.

 * Diſceſ-

A.
1542. * Diſceſſit hoc anno circa paſchales ferias ab Academia noſtra, præcipuum Collegii Iurisconſultorum decus, *Viglius Zwichemus*, quem Dux Gvilielmvs anno 1537. e Spirenſi Camera ad hanc Vniuerſitatem euocauerat. Audiebatur hic, quamdiu apud nos fuit, lubenter, multique Scholam noſtram eius fama exciti acceſſere; neque alius fuit, qui plures haberet auditores, tametſi excellentiſſimos ex Italia Iurisconſultos collegas haberet, *Fabium* ſcilicet *Arcadem* & *Marcum Antonium Caymum*. Illuſtrarunt eius collegium doctiſſimi, primariique viri, qui Ratisbonam ad Comitia proficiſcentes anno 1541. hac tranſibant.

Inuitatus fuerat *Viglius* anno ſuperiore a Ioachimo Marchione Brandenburgico ad Francofordienſem Iuris cathedram; ſed amore catholicæ religionis Ingolſtadii perſiſtere maluit. Altera conditio eodem anno 1541. eaque multo honorificentior ei oblata eſt a Carolo V. Imperatore, qui illum ad ſe Ratisbonam euocauerat, vt pro *Matthia Heldio* Vicecancellarii partes ſuſciperet. Verum & hoc recuſauit, ſufficientem ſibi ad hoc quidem officium linguæ germanicæ notitiam deeſſe, cauſſatus.

Hoc demum anno a Maria Belgii Gubernatrice in patriam inuitatur, oblata in Iudicio ſecreto, vel alia, quæ placeret, conditione. Hoc ab illicio vt ſe expediret, dulcis amor patriæ non ſinebat; Ingolſtadienſem tamen conditionem temere relinquendam haud eſſe exiſtimauit, priusquam a Regina oblatam propius cognoſceret. Finitis itaque lectionibus quadrageſimalibus, re cum nemine communicata, quaſi Francofordienſes nundinas, comparandorum librorum cauſſa inuiſeret, Bruxellas excurrit ad Mariam Reginam; quæ Conſiliarii dignitatem, quocunque in tribunali ipſe expeteret, eidem obtulit, adiecto etiam pro itineris ſumtibus munere. Quod cum pater atque amici illius intelligerent, non deſtitere, dum perſuaderent, eam conditionem, quam multis plerique artibus illic ambirent, vt acceptaret.

In eo labor iam erat, quanam ratione Ingolſtadienſem a ſe cathedram amoueret; non quod aliqua ex cauſſa Academiæ obſtrictus eſſet, ſed quod Sereniſſimorum Ducum Bauariæ Wilhelmi, eiusque filii Alberti multorumque Bauariæ Procerum, Doctorum & ſcholarium beneuolentiam, ſuique deſiderium ſatis perſpectum haberet. Primo igitur omnium apud *Leonardum Eckium* per literas captum excuſabat conſilium; deinde ad *Oſwaldum* etiam eius filium ſcribebat, vt patrem ſibi placaret, atque ad Collegas Ingolſtadienſes, *Sebaſtianum Linckium*, *Leonardum Marſtallerum*, *Ioannem Eckium* & *Wolfgangum Hungerum*, vt illorum ſeu teſtimoniis, ſeu deprecationibus & Principum & Cancellarii *Leonardi* bonam gratiam retineret; qui quidem, accedentibus maxime Reginæ Mariæ literis, eius diſceſſioni tandem adquieuere.

Viglius ducta vxore *Iaquelina Damantia*, variisque legationibus obitis, conſtituitur Præſes Conſilii priuati, & Cuſtos Sigillorum; dein Cancellarius Philippi, Caroli filii, demum Præſes Conſilii Status.

His

His muneribus perſunctus, mortuaque coniuge, ab ipſo Cardinale *Granuellano* ſacerdos ordinatur; Abbas poſtea S. Bauonis electus mitræ ac pedi vſum obtinet; accipit transmiſſum a *Carolo Borromeo* Protonotariatus Apoſtolici pileum ac diploma; fundat Louanii Collegium Studioſorum a ſuo nomine dictum; ac denique vitam claudit Bruxellis anno 1577. die 8. Maii, tumulo illatus Gandani. A. 1542.

Quanti Academiam noſtram *Viglius* fecerit, poſt ſuum etiam a nobis diſceſſum argumento non vno demonſtrauit. Certe cum anno 1543. ad *Sebaſtianum Truchſeſſium* ſcriberet, eidem aperte declarauit, *nullam in Germania Academiam eſſe, quæ Ingolſtadienſi præferri poſſet.* Deinde anno 1548. Aſſeſſores ad Iudicium Cameræ illos maxime inuitauit nomine Cæſaris, quos in ſua Ingolſtadienſi commoratione noſſe cœperat, & æſtimare, *Wiguleum Hundium* & *Wolfgangum Hungerum.*

Scripta *Viglii* præcipua ſunt *Commentarii ad L. II. Inſtit. Tit. de Teſtamentis*, Patauii primum ſcripti ac editi, dein typis Weiſſenhornianis apud nos recuſi. *In Tit. ff. de rebus creditis. Ad Tit. Cod. de Edicto D. Adriani tollendo. Theophili Inſtitutiones Iuris græcæ*, e Beſſarionis Cardinalis Bibliotheca Venetiis depromtæ. *Epiſtolæ politicæ, hiſtoricæ, familiares* &c. *Hiſtoria vitæ ſuæ, a ſe ipſo conſcripta.*

* Hæc fere ex Analectis Belgicis & Hiſtoria vitæ ab ipſo *Viglio* ſcriptæ huc translata ſunt. Iuuat his addere anecdota quædam, a viro officioſiſſimo *Huguerio*, rei veredariæ Maſaci in Geldriæ finibus Secretario, mihi nuper amiciſſime communicata. Natus eſt *Viglius ab Aytta Zuichemus* in Barthuſia prædio paterno ad medium a Leouardia Friſiæ metropoli lapidem anno 1507. XV. Kal. Nouembris in ea familia, quæ inter Friſiæ primas & nobiliſſimas. *Zuichemi* cognomentum tulit ab auito ſimiliter prædio & municipio Zuichemenſi. Primis literis imbutus eſt Dauentriæ, Hagæ Comitum, Lugduni & Louanii circa annum 1522. vbi & græcas in collegio trilingui Buslidiano didicit, & prima Iuris elementa accepit. Studiorum formatorem ac velut alterum patrem nactus fuit patruum *Bernardum Buchonem ab Aytta*, olim Louanii anno 1487. primum in ſcholis Artium, dein I. V. D. Senatorem regium & Hagienſis Eccleſiæ Decanum, qui anno 1528. deceſſit. Louanio Dolam Sequanorum circa an. 1526. conceſſit *Viglius*, & per literas *Deſiderio Eraſmo* innotuit, quæ illi in *Andreæ Alciati* I. C. præſtantiſſimi notitiam & amicitiam fores aperuere; itaque anno 1529. Auenionem ad Rhodanum fluuium ſe contulit; pulſumque inde ſæuiente epidemica lue *Alciatum*, poſtquam anno eodem die 8. Maii Valentiæ, quæ Galliæ Academia eſt in Delphinatu non incelebris, Doctoris inſignia accepiſſet, ſecutus eſt. *Alciato* in Italiam reuocato, cathedram eius biennium tenuit, & Biturigibus Ius ciuile explanauit. Hinc in Italiam dum cogitat, celebres Germaniæ Academias viſit, Friburgenſem nempe, Baſileenſem, & Tubingenſem. Patauium vbi venit *Franciſcum Curtium* præceptorem habuit; & iuuenis adhuc & peregrinus in Profeſſorum numerum & ordinem cooptatus eſt anno 1532. atque

Inſti-

A. 1542.

Inſtitutiones Iuſtinianeas publice prælegit cum applauſu, fructuque audientium ac ſtupore Italorum, hominis exteri ac Belgæ facundiam admirantium. Atque hæc Annalibus Academiæ Ingolſtadienſis inſerenda duxi, cum ad *Viglii* memoriam, tum ad *Huguerii* amicitiam honorandam, qui in literis ſuperiori anno 1780. ad me datis ſuum de ſcribenda *Viglii* vita conſilium benigne mihi aperuit.

* Eodem anno *Nicolaus Euerhardus*, inde ab anno 1535. Spirenſis Cameræ Aſſeſſor, ad ordinariam Iuris cathedram rediit.

A. 1543.

ANNO DOMINI M D XLIII.

Rect. CXXXIII. FABIVS ARCAS *de Narnia* Romanus, IV.

Rect. CXXXIV. M. ERASMVS WOLFIVS Landisbergenſis Bauarus, Profeſſor, & apud D. Mauritium Auguſtæ Vindelicorum Canonicus.

Inſcriptii 200.

Nobiles, *Nicolaus ab Enſchring.*
Henricus a Twiſt.
Ludouicus a Graueneck, Cleric.
Ioachim. Fraunberger.
Melchior Geyer ex Oſterberg.
Chriſtophor. Magerl a Wogleyſen.
Ioachim Comes de Ortenburg.
Ioan David a Nuſtorff
Bartholom. a Thanhauſen, Baro Salzburg. Can. Patau.
Ioan. Chriſtoph. Muckentaler.
Ioan. Martin. de Hoios, Hiſpanus.
Paulus Hechenkircher ex Kinsdorf & Iſſeldorf.
Henricus Hay, Scotus.
Vitus Müerherr ex Chetlhaim.
Ioannes de Than, Viennenſis.
Carolus Baro a Spaur, Pincerna hæreditar. Comitatus Tirolenſ.
Bernardus / *Ludouicus* } *Dichtl* a Tutzing, fratres.
Bernhardus a Durlingen, Can. Ratisbon.
Marquard. a Pentzenaw, Can. Auguſt.

Wolf.

A. 1543.

Wolfgang. Henric. de Muggental.
Ioannes } *de Stain.*
Marquardus
Andreas
Chriſtoph. Adam. Can. Auguſt. & Bamberg.
Ioachim. Renner ab Almandingen.
Henric. Truchſeſs de Thainhauſen.
Georg. Truchſeſs de Betzhauſen.
Nou. Prof. *Vitus Amerbachius*, Wemdinganus.
Nou. Doct. *Georg. Flachius* ex Heppach maiori, O. S. B. Profeſſus Loricenſ. } *Theol.*
Oſwaldus Fiſcher, Arnſpergenſ. Noric.
Georg. Kufner, Radenburgius } *Medic.*
Michael Mendlerus,

Inter inſcriptos erant illuſtriores I. *Ioachimus Comes ab Ortenburg.* II. *Bartholomeus a Tanhauſen*, Baro, Salisburgenſis & Pataulenſis Canonicus. Ex familia Baronum *a Tanhauſen* hunc vnum in matricula Vniuerſitatis reperi. Cæterum eſt ea familia perquam celebris, & tam belli quam pacis ſtudiis claruit. Natus eſt is *Bartholomeus* ex Domino *Franciſco a Tanhauſen*, Imp. CAROLI V. & FERDINANDI primi, item Archiepiſcopi Salisburgenſis Conſiliario, Capitaneo, & Vicedomino in Frieſach. Fratres habuit quinque, vt ſex eſſent vnius parentis filii. Natu maximus erat *Chriſtophorus*, Dapifer hæreditarius Archiepiſcopatus Salisburgenſis, Cæſaris FERDINANDI & inferioris Auſtriæ Conſiliarius Cameræ, & Capitaneus Carinthiæ. Alter *Georgius*, Dux & Conſiliarius militaris Cæſaris FERDINANDI, qui ſæpius contra Turcas pugnauit. Tertius *Bartholomeus*: Quartus *Wolfgangus Theodoricus*, Archiducis Auſtriæ FERDINANDI pincerna, ſeu pocillator. Quintus *Iacobus* Cæſaris FERDINANDI pocillator. Sextus, qui ſolus in viuis eſt, *Paulus*, Archiducis Auſtriæ CAROLI Vicetenens in Carinthia, & Archidapifer Archiepiſcopatus Salisburgenſis. Horum eſt ſoror omnium *Eliſabetha*, Domini *Iacobi Khuen*, Capitanei ſummi apud Salisburgenſes coniunx. Familia *Tanhauſerorum* innumeris pene annis bene merita eſt de domo Auſtriaca, & vltra nongentos annos Archiepiſcopatui

A. 1543. Saliſburgenſi magna cum fidelitate ac laude inſeruiuit, præſertim vero in tumultu ruſticano eam Archiepiſcopatui præſtitit operam, vt maxima detrimenta, & cladem pene præſentiſſimam auerteret. III. *Ioannes Martinus ab Hoyes*, Hiſpanus Baro. Baronibus *ab Hoyes* Hiſpanica eſt origo, quemadmodum & idipſum matricula Vniuerſitatis teſtatur: quanquam nunc in Auſtriam commigrarunt. IV. *Ioachimus Hunger*, *Wolfgangi Hungeri* Legum Doctoris & Profeſſoris frater germanus. Obiit idem Ingolſtadii anno 1555. ſepultus apud D. Virginem.

* V. *Henricus Hay*, nobilis Scotus, nepos *Roberti Vauhop*, apoſtolici ad noſtros Principes Nuntii.

VI. *M. Vitus Amerbachius* Wembdingenſis, Profeſſor Philoſophiæ, vir ille incomparabilis & eruditionis admirandæ, qui noſtram Scholam pulcherrime ornauit illuſtrauitque, de quo anno Domini 57. plura dicemus.

* Dederat hic ſcientiis ſublimioribus operam in Schola Wittenbergenſi, & ducta ibidem vxore *Lutherum* aliquamdiu erat ſectatus; ſed neſcio quibus inductus rationibus reſipuit, ac cum vxore liberisque ad Catholicos reuerſus eſt. Et hoc quidem anno e Gymnaſio Eichſtettenſi ad noſtram Vniuerſitatem acceſſit.

Funeſtus erat hic & Academiæ & Religioni Eccleſiæque Catholicæ, ac plane luctuoſus annus. Quarto enim Iduum Februarii ſub illuſtri & Magnifico D. Rectore *Paulo de Schwarzenburg* libero Barone &c. exceſſit e viuis ſub meridiem (quo diei tempore etiam *Eiſengreinius* noſter, altera Religionis & noſtræ Scholæ columna, quarto Nonarum Maii, in iisdem ædibus valedixit humanis) *Ioannes Eccius*, Artium, Decretorum & Theologiæ Doctor, Profeſſor, Protonotarius Apoſtolicus & Inquiſitor, Academiæ Procancellarius & Canonicus Aichſtadianus, qui ex Doctoribus Theologis, qui primis Academiæ temporibus docuerunt, ante alios omnes & docendo, diſputando, & ſcribendo vnus effulſit; hæreticorum vt opinor, prauitate & inſolentiis, tum etiam iuſto dolore, propter inuaſam ab Hæreticis Eccleſiam, & religionis amore procul dubio excitus. *Eccius* a loco natali dictus, alias cognomento *Maioris*. Acceſſit Academiam noſtram anno 1510. menſe Septembri. In Sacra Theologia Licentiam Friburgi Briſiacorum adeptus: doctoratus vero gradum illi

A. 1543.

illi noſtra contulit Academia. Succeſſit in docendi munere, tum in Procancellariatus officio Domino *Zingelio*. Docuit Theologiam in ſchola Ingolſtadiana annos circiter triginta duos. Rectoratus dignitate quarto, Prorectoratus aliquoties, Decanatus Theologici multoties eſt perfunctus. Inter ſcriptores Ingolſtadianos in Theologia primus, data ſcilicet per inſaniam *Lutheri* tanta ſcribendi occaſione, quæ negligi a tam eximio Philoſopho & Theologo neque potuit, neque debuit.

Fuit vir ille acutiſſimi ingenii, animique imperterriti, proinde inuictus diſputator, fortiſſimus religionis Catholicæ contra improbos nouatores & apoſtatas propugnator, grauiſſimusque hæreſiomaſtix. Deſcendit aliquoties in arenam, & cum hæreticis cominus, eminusque fœliciter pugnauit. Lipſiæ quidem cum *Luthero* ipſomet, & *Carolſtadio*: Badenæ vero cum *Oecolampadio*: Id quod in Epiſtola dedicatoria in Enchiridio ſuo his verbis teſtatur: *Et ego omnium minimus cum his beſtiis dentatis & eminus & cominus pugnaui. Cominus quidem, Lipſiæ cum ipſo Draconis capite Luthero & Carolſtadio, viginti diebus diſputando, ſpectante nonnunquam D. Georgio Saxoniæ Duce. Et in Baden cum Capharnaita Oecolampadio & aſſeclis, aſſidentibus* 12. *Cantonum Heluetiorum, & quatuor Epiſcoporum ambaſiatoribus, pluribus diebus conflixi* &c. Eminus vero, multis a ſe & doctiſſimis libris pro incolumitate Eccleſiæ & religionis editis: inter quos præter minutiores locum obtinet primum, *Homiliæ & Sermones de Tempore & Sanctis: de Primatu Petri; de Miſſæ ſacrificio: Enchiridion locorum communium.* Et iterum *de Miſſa libri tres: de Prædeſtinatione, de Purgatorio.* In Philoſophia vero, commentatus eſt *in Logicam & totum opus Phyſicum Ariſtotelis*: de qua re conſulatur Geſnerus in prima parte Bibliothecæ, & eiusdem appendice.

Poſt multas peregrinationes, laboresque propter Eccleſiæ Dei & Catholicæ Religionis incolumitatem exhauſtos, tandem 4. Iduum Februarii, anno Domini 1543. circa meridiem, pie ac feliciter in Chriſto abdormiuit. Sepelitur apud D. Virginem, ante Altare SS. Sacramenti Altaris, & Sacri Olei reconditorium, cum eiusmodi Epitaphio, quod æri inſculptum eſt, & intra prædictum reconditorium, & Altare parieti affixum conſpicitur.

A. 1543.

Viator preces funde,
Eckius hic iacet.
Abi moriture.

Ioanni Eckio Theologo inuicto, Fratri de ſe bene merito, Simon Eckius M. P. Vixit annos LVI. Menſes II. dies XXI. Obiit anno M. D. XLIII. Quarto Idus Februarii, ſub meridiem.

Habet & alterum Lapideum monumentum, parieti infixum, in Sacello trium Regiorum Magorum, quod idem *Simon Eckius*, pietatis & amoris fraterni plenum illi poſuit. Id tale eſt.

D. O. M. S.
Eckius hæc Frater Fratri monumenta locauit,
Et bene pro meritis manibus eſſe cupit.
Fortiter in Chriſti caſtris hic viuus agebat,
Magnus doctrina, maximus ingenio.
Funde preces; animam Chriſto, moriture Viator,
Commenda: pietas quemlibet iſta decet.

Quin & Theologica Facultas tanti viri, eiusque in Academiam & Religionem Catholicam ſumma merita, minime immemor, nec ingrata, eidem Theologo in ſua Schola monumentum, & inſigne virtutum illius elogium poſuit, quod adſcribere non eſt abs re:

Ioannes Eccius S. Theologiæ Doctor: Academiæ Ingolſtadianæ Procancellarius, Profeſſor, Protonotarius Apoſtolicus, & Canonicus Aichſtadianus, Theologorum ſuo tempore Phœnix & miraculum, qui & eminus & cominus aduerſus Sectarios ſub capitis quoque periculo depugnare non eſt veritus. Is præterquam in Philoſophia admiranda volumina conſcripta publicauit, tantus fidei auitæ propugnator extitit, vt ſæpius, vel in comitiis Imperii, vel in Academiis, vel in Colloquiis paſſim quantus Hæreticorum malleus eſſet, teſtatum fecerit, vbi aduerſariorum etiam confeſſione diuini ſui ingenii, quo maxime pollebat, duplicem reportauit laudem. Primo quod incomparabili memoriæ dono vigeret. Deinde quod inuicta diſputandi vi ad ſtuporem vſque auditorum oculos in ſe conuerteret: auſus quoque cum ſectæ Lutheranæ Corypbæo Luthero Lipſiæ, veluti Hercules cum Hydra Lernæa congredi. Huius monumenta ſacra, cum publice proſtent, Lectorem cupidum illuc remittimus. Vixit annos &c. cum publice ingenti auditorum fructu, annos 31: *ſacra profeſſus fuiſſet.*

Ve-

A. 1543.

Verum nec hoc tacere poſſum, quod Italiam quoque ſui nominis celebritate repleuerit, eamque diſputando Romam vſque peragrauerit. Rediit autem Roma anno 1522.

* Hactenus *de Ioanne Eckio* Rotmarus, ſeu potius Engerdus in Academiæ Ingolſtadienſis Parte ſeptima. Iuuat hiſce addere nonnulla, ad plenius illuſtrandam viri inter noſtros præcipui hiſtoriam.

Natus eſt *Ioannes Maier* (hoc genuinum ipſius nomen eſt; atque inde *Ioannem Maioris* ſe ſcripſit) Eckii in Allgoia anno 1486. Literas humaniores Rottenburgi ad Niccarum & Tubingæ didicit. Heidelbergæ Artium Magiſter creatus eſt anno 1501. Doctores Theologos audiit Coloniæ Vbiorum; inde Friburgum Briſgoiæ abiit, vbi inter Artium Magiſtros receptus, ſimul Iuriſprudentiæ atque iterum Theologiæ impendit operam, ex qua ſupremi gradus capeſſendi Licentiam eſt adeptus. Anno 1510. Ingolſtadium venit. (vid. an. 1510. & 1512.) Anno 1515. ad Academias Bononienſem in Italia, & Viennenſem in Auſtria inuiſit. Ingolſtadium reuerſus edidit anno 1516. Commentarios in Logicam Ariſtotelis & Petri Hiſpani, in vſum Academicorum; Commentarios autem in Phyſicam Ariſtotelis anno 1518. Anno 1519. Lipſiæ diſputauit cum *Luthero* & *Caroloſtadio*. Anno 1520. Romam profectus eſt, vt coram Tribunali Pontificis *Lutherum* accuſaret; indeque anno 1522. cum dignitate ac titulo Nuntii Apoſtolici & Inquiſitoris rediit, ſimulque cum Bulla a LEONE X. contra *Lutherum* edita, quam ipſe in Germania promulgauit. In Comitiis Auguſtanis anno 1530. præſens *Eckius* Confeſſionem quam vocant, Auguſtanam a *Melanchtone* confectam, paucos intra dies refutauit. Cum eodem Melanchtone anno 1540. Wormatiæ, & anno 1541. Ratisbonæ colloquium de Religione habuit. Anno demum 1543. die 10. Febr. *Oſwaldo Fiſchero* Parocho ad D. Virginem, & nonnullis aliis ex S. Franciſci familia atque ipſius cognitione præſentibus Spiritum ſuum creatori reddidit.

Iuſta funebria demortuo Academia magnifice prorſus perſoluit; ac in primis quidem exequiis luculente de eius vita atque educatione perorauit *Ioannes Salicetus* ſeu *Widmannus*, Eckius. In die ſeptimo depoſitionis de illius præcipue obitu ad nobiliſſimam concionem, præſentibus ſcilicet Principibus Academiæ tunc noſtræ alumnis ſermonem inſtituit *Georgius Flachius* Benedictinus Lorchenſis, proxime creandus Theologiæ Doctor. In die triceſimo, ſeu in vltimis exequiis *Michael Wagnerus* Rhetus de *Ioanne Eckio* ab aduerſariorum calumniis vindicando orationem habuit. Alii quindecim Epitaphia eidem ſcripſere vario carmine; quæ omnia *Simon Thaddeus Eckius* Iuriſconſultus, *Ioannis* Theologi noſtri frater vna cum tribus mox dictis orationibus vno collecta volumine typis edita MAVRITIO *Hutteno* Eichſtadiano Præſuli dedicauit.

A. 1543. Quod ad laudes attinet *Eckii* proprias, ipſi etiam ſummi eius aduerſarii haud negant, fuiſſe illum admirabili ingenio virum: certe *Philippus Melanchton* in ſua quadam ad Oecolampadium epiſtola de fama *Eckii* Lipſiæ diſputantis refert: *Ceterum apud nos magnæ admirationi plerisque fuit Eckius ob varias & inſignes ingenii dotes.* Memoria præterea valebat excellenti; ad diſputandum autem animo erat prorſus intrepido. Atque hæc quidem certa ſunt apud omnes. Vt tamen nihil diſſimulem; fuere, qui tanta in dexteritate ingenii maiorem diligentiam requirerent: fortaſſe ex neglectiore ſtilo, quo in ſcribendo *Eckius* vtebatur, huius accuſationis origo profecta eſt. Munuſculis & conuiuiis eum delectatum fuiſſe, alii quidam ſcribunt; ſed huius criminationis cauſſam nullam reperire eſt eo in homine, qui ſummis Principum atque ipſius Imperatoris ac Pontificis fauoribus tam moderate eſt vſus, vt ex oblatis dignitatibus eccleſiaſticis nullam acceptaret, quæ cum cathedra theologica coniungi non poſſet.

Procancellarius Academiæ quartus *Leonardus Marſtaller*, S. Theologiæ Doctor.

* Menſe Octobri h. a. duo creati ſunt Theologiæ Doctores, *Georgius Flachius* O. S. B. Loricenſis Monaſterii Profeſſus, nunc Prior Plankſtettenſis; & *Oſwaldus Fiſcherus* Arnsbergenſis, ad D. Virg. Plebanus; hic quidem, quod prorſus ſingulare eſt, a Reuerendiſſimo Domino *Roberto Vaukopio* Scoto, SS. Theologiæ Doctore, Armacanæ Eccleſiæ Adminiſtratore, ac Apoſtolico ad Principes noſtros Nuntio; ille a *Leonardo Marſtallero.* Scilicet, vt ego quidem coniicio, Comitiorum Ratisbonenſium cauſſa hac tranſibat Armacanus Præſul, & inuitatus a Doctore *Leonardo*, qui ſolus vtique creare Doctorem non potuiſſet, huic actui non intereſſe ſolum, ſed & præeſſe dignabatur. Adduxerat hic ſecum, quod Acta Theologica innuunt, *Claudium Iaium* Allobrogem inſtitutæ nuper ab *Ignatio Loiola* Societatis Decemuirum; qui licet Doctoris Theologi gradu inſignitus necdum eſſet, ſub æſtatem tamen ſequentis anni, volentibus Profeſſoribus academicis, ſacras literas publice explanare aggreſſus eſt. Sed diu Ingolſtadii non ſubſtitit; expetitus enim ab OTTONE *Truchſeſſio* Epiſcopo Auguſtano, dein ab ERNESTO Salisburgenſi Archiepiſcopo, demum ab ipſo Rege FERDINANDO, Synodo Salisburgenſi, Comitiis Wormatienſibus, ac Concilio Tridentino interfuit, dum anno 1549. ad Academiam rediret.

AN-

ANNO DOMINI M D XLIV.

A. 1544.

Rect. CXXXV. LEONARDVS MARSTALLER, S. Theologiæ Doctor & Profeſſor, Vniuerſitatis Vicecancellarius, & Canonicus Aichſtadianus, VI.

Rect. CXXXVI. FABIVS ARCAS *de Narnia* Romanus &c. V.

Inſcripti 171.

Nobiles, *Wolfgang. Theodoric. Künigsfelder*, Can. Ratisbon.
Conrad. Waldſtromair, Nurinbergenſ.
Conrad. a Pemblperg.
Philipp. a Wolmershauſen.
Hector Piringer.
Caſpar. Eiſenreich de Welhaim.
Wilhelm. de Preittenbach.
Ioan. Georg. Kolb de Halſperg.
Melchior de Salhawſen.
Ioan. Thomas Rorbeck, Can. Friſing.
Laurent. Carol. / *Georgius* } *Heuerling* a Winkel, fratres.
Henricus / *Alexander* } *Marſchalk de Pappenhaim*, fratres, Enſiferi hæreditarii S. R. I.
Henricus / *Rudolphus* } *Haslanger* de Haslangskreut, fratres.
Ioannes Frei a Dherm.
Caſpar Diether ex Zell, Præpoſit. Eccleſ. Theyſendorſ.
Ioannes Eitel a Knöringen, Can. Eluacenſ.
Ioan. Pangrat. a Freyberg.
Ioan. Frideric. de Werdnaw in Pach, Can. Auguſt.
Rudolph. a Schafhauſen.
Sebaſtian Herbshamer.
Ioan. Wilhelm. de Schwendin, Can. Eluacenſ.
Georgius a Krelsham.
Theodoric. a Seubelsdorf.

* Ex numero inſcriptorum præcipua quadam memoria digni, I. *Alexander Marſchalk de Pappenhaim*, qui quantum in virum euaſerit, ex Epitaphio diſcimus, quod eidem Gronenbachii in Allgouia, vbi diem ſuum

A. 1544. ſuum obiit, poſitum eſt his verbis: *D. Alexander S. R. I. Marſcal. Hered. vetuſtiſſ. eius gentis Dominus Bappenheim. Gronenbach & Hezlinshouiæ. Generoſis & Illuſtribus ortus Natalibus Maii XVII. an. MDXXX. In Schola Campidonenſi primis doctrinæ poſitis fundámentis an. XXXVIII. & ſeqq. ſtudiis porro Friburgi, Ingolſtadii & Lugduni Batauorum incubuit vſque ad A. XLVI. Quo, vt & an. ſeqq. perluſtrauit totum Belgium & Galliam. Poſt in Aula Mariæ Hiſpaniæ Reg. Sororis Caroli V. Dapifer factus eſt A. XLIIX. commoratus in ea fere per quadriennium, Militiæ rudimentis ſuæ pro Carolo V. aduerſus Galliarum Regem poſitis anno LII. Dein ætate matureſcente X. aliis Expeditionibus in Belgio, Gallia, Pannonia, Tribunus & Dux ſtrenuus & ſolertiſſimus interfuit; Auſpiciis Carol. V. Ferdinand. Maximilian. II. & Rudolphi II. Impp. itemque Philippi II. Reg. Hiſpan. peragrata quoque X. menſibus Italia, Iudæa, Palæſtina, Syria, Arabia, anno LXIII. a Rudolpho II. militum Præfectura & Conſiliarii honore honeſtatus eſt: cui & a multis fuit legationibus & Comitiis Imper. Germ. loco. Heros vere Illuſtris & magnanimus, domi foriſque clariſſimus: Cuius diuinam memoriam, iudicium, virtutemque cuncti ſtupuere: Laborum patientiſſimus, veritatis amantiſſimus, ſimulationis, diſſimulationiſque oſor acerrimus, rarum antiquæ virtutis & fidei fuit exemplum. Annum agens LXXXII. ex nullo, niſi ſenectutis & oculorum imbecillitatis morbo, infirmus obiit anno MDCXII. Eques olim terrenæ, nunc autem cæleſtis Ieruſchalem.*

II. *Sebaſtianus ab Herbſtbaim* nobilis, vir apprime humanus & ciuilis, Canonicus etiamnum Conſtantienſis Eccleſiæ & Præpoſitus ibidem apud D. Stephanum. III. *Caſparus Diether* ex Zell nobilis, Præpoſitus Eccleſiæ Deiſendorf. id quod oppidulum eſt tribus lapidibus a Salisburgo diſtans verſus Bauariam, ad alpes: nunc Parochia tantum, ſed opulenta, ditionis Salisburgenſis.

Anno eodem Calendis Maii, Regens noui Collegii conſtitutus eſt *M. Eraſmus Wolfius* Landiſpergenſis &c. Cæterum deſtinarat, quemadmodum acta Collegii Georgiani teſtantur, iam antea Dominus *Leonardus ab Eck* Scholæ Patronus, alium quemdam, cuius nomen in Regentum deſcriptione non extat, quem Collegio volebat præfectum. Verum illius Magnifica Dominatio, licet nec peteret Regentiam *Wolfius*, nec dum eſſet Presbyter, ratam tamen Facultatis Philoſophicæ ſententiam & electionem habuit. Liberam enim Regentis conſtituendi poteſtatem Sereniſſimus Princeps ac Dominus GEORGIVS Fundator Collegii, Facultati artiſticæ fecit. Id quod Statuta eiusdem Sereniſſimi Principis apertis & rotundis teſtantur verbis, quæ ſibi nec

A. 1544.

nec infringenda, nec diminuenda, nec limitanda, nedum penitus abolenda, ſapientiſſimus & doctiſſimus Scholæ Patronus cenſuit. Itaque *Eraſmus Wolfius* adminiſtrationem ſuſcepit nonis Maii, ſub Decano *Ioanne Saliceto Eckio*. Præfuit Collegio annis 6. & menſibus decem.

Sereniſſimus ALBERTVS Dux Bauariæ (de quo anno 1537.) diſceſſit ab Academia menſe Septembri h. a. Is circa annum ætatis ſuæ quintum & decimum ſextum, niſi me temporum computatio fallat, legali ſtudio dedit operam, & in Inſtitutionibus Iuris præceptorem habuit, publiceque docentem audiuit, clariſſimum virum ac Dominum *Wolphgangum Hungerum* Iuris vtriusque Doctorem & Profeſſorem ordinarium, de quo tomo ſecundo plura, vna cum Sereniſſimo Principe VDALRICO Duce Megalopolenſi, ſtudiorum ipſius perpetuo comite.

Diſcedenti idem, quo in ſtudiis publico vſus erat præceptore, Dominus *Hungerus*, Vniuerſitatis nomine valedixit, omniaque precatus fælicia, quemadmodum, ſed diuerſo in caſu, eidem Principi, ex hac lachrymarum valle digreſſo filius *Albertus Hungerus*, Profeſſor Theologus & Procancellarius, funebri oratione in triceſimo poſtremum itidem dixit vale.

Cum iam adoleuiſſet, parens rerum experientia, prudentiaque clariſſimus, & de futuris etiam, & in prouinciæ adminiſtratione de vnico ſucceſſore paterne ſollicitus, de coniugio ineundo cogitauit, iunxitque illi matrimonio Sereniſſimam Principiſſam, ac Dominam, ANNAM, Vngariæ & Bohemiæ Reginam & Archiduciſſam Auſtriæ &c. Auguſtiſſimi & piiſſimi Imperatoris FERDINANDI Primi, tum temporis Romanorum Regis filiam (quæ 10. die Iunii, hora quarta antemeridiana, Anno 1529. Pragæ nata fuit) vno tantum anno ſuo ſponſo minorem, curante idipſum & procurante inuictiſſimo Imperatore CAROLO V. Diui FERDINANDI ſponſæ parentis fratre.

Magnificentiſſimas celebrauit nuptias Ratisbonæ Anno Domini 1546. in ipſis Comitiis, & ſub Schmalcaldici tumultus bellique initiis, præſentibus ſponſæ patruo Imperatore & parente FERDINANDO Romanorum Rege. Pacata iam per Imperatorem Germania, hoſtibusque deuictis & captis, Anno 1549. pie in Chriſto obdormit Sereniſſimus Princeps GVILIELMVS, Comes

Pa-

A. 1544. Palatinus Rheni & Dux Bauariæ; defunctoque parenti in paterni regni ac Ducatus poſſeſſione, adminiſtrationeque ſuccedit Sereniſſimus Princeps ALBERTVS filius.

Suſcepit ex auguſtiſſima coniuge liberos ſeptem, ſcilicet filios quinque & filias duas, nempe CAROLVM, GVILIELMVM, FERDINANDVM, FRIDERICVM, ERNESTVM, MARIAM & MARIAM MAXIMILIANAM. De GVILIELMO, FERDINANDO & ERNESTO dicam in ſequentibus. CAROLVS naſcitur in arce Starenbergo, ad lacum vermicularem, ſeu verrinum Anno Domini 1547. die 6. Septembris intra horam quintam & ſextam in Geminis. Obiit, vt opinor, infans (*die 7. Decembris eiusdem anni*) MARIA, quæ quarta erat proles, naſcitur Monaci Anno Domini 1551. die (21.) Martii, hora octaua matutina, in Libra. Nunc temporis coniunx eſt Sereniſſimi Principis ac Domini CAROLI Archiducis Auſtriæ, Ducis Styriæ & Carinthiæ. MARIA MAXIMILIANA naſcitur Monaci Anno Domini 1552. die 3. Iulii, circiter mediam noctem in Sagitario. FRIDERICVS proles in ordine ſexta, naſcitur itidem Monaci anno 1553. die 26. Iulii, hora tertia matutina in Piſcibus. Obiit anno 1558. die 18. Aprilis intra 6. & 7. horam antemeridianam, & in monte Sancto ſepultus eſt.

* Ioſ. Ant. Aettenkhouerus in *Compendiaria Ducum Bauariæ Hiſtoria* ſex tantum proles Ducis ALBERTI numerat; atque Principem FRIDERICVM penitus omittit.

Quanta Principis illius ALBERTI, piæ memoriæ, in totum imperium beneficia, quanta apud omnes Pontifices ſui temporis, & Imperii Principes ac ſtatus autoritas, res ipſa palam loquitur; hoc vnum addidero, non quidem ſolius, ſed tamen maiori ex parte ALBERTI Principis beneficio, cura, impenſis & autoritate fœdiſſimum illud libertatis monſtrum (Germani appellant *Freyſtellung*) quod præſentiſſimam Eccleſiæ & religioni Catholicæ pernitiem afferebat, in proximis Ratisponenſibus Comitiis, Anno Domini 1576. profligatum & extinctum, magno quidem cum hæreticorum dolore, Catholicorum vero gaudio ineffabili.

De tota Eccleſia & Religione Catholica, cuius fuit propugnator inuictiſſimus, nihil dicam, cum ea de re luculenta

Vai-

A. 1544.

Vniuerſitatis Orationes funebres extent, tantum quæ ſuæ præſtiterit Bauariæ, paucula quædam adferam.

Primo Bauariam ſuam, quam haud parum hæreſum errores innaſerant, magno animi feruore, ſtudio irremiſſibili, ſumptibus maximis, & celeritate incredibili ita repurgauit, hæreſesque vſque adeo radicitus euulſit, vt ne ſpes quidem ſit hæreticis, Catholicis vero repullulandi metus nullus.

Ad religionis Catholicæ incolumitatem facit & illud, quod ſeminarium inſtituit Ingolſtadii; vnde quotiescunque opus eſſet in Eccleſia, tanquam ex penu locupletiſſima, miniſtri & paſtores poſſent depromi.

Duo eximia Collegia (quod & ipſum ad religionem pertinet) reuerendis patribus de Societate IESV non oſtentationis ergo conſtruxit, ſed vt eſſent affatim, qui pro Eccleſia DEI continuo decertarent, exemplo ac doctrina religionem docerent, alerent, amplificarent & ſtabilitam conſeruarent. Ex iis eſt præcipuum Ingolſtadienſe, ſecundum Monacenſe. Eſt vero & tertium Landiſpergenſe, in amæniſſimo colle, impenſis *Comitis ab Helfenſtain*, qui Præfectum ibi agit, præcipue conſtructum.

Donauit Eccleſias munificentiſſime, præſertim vero Oetingenſem, poſteaquam ex ſæuiſſima tempeſtate vermicularis ſeu verrini lacus, cum iam de vita deſperaſſent omnes, diuino auxilio & Beatæ Mariæ interceſſione & patrocinio liberatus eſſet, procul dubio & tanto commotus prodigio, & vt pro conſeruata ſalute diuinæ Maieſtati & Deiparæ Virgini qualescunque gratias ageret.

Muſicam ita eximiam & exquiſitam habuit, vt cum ſummis etiam orbis terrarum Monarchis ſi non certare, ſaltem iisdem æquiparari poſſet.

Bibliothecam inſtituit Monaci præſtantiſſimam, itaque & varietate & copia librorum inſtructam, vt ſuperior nullibi terrarum haberi prædicetur.

Pulcherrimas aliquot & plane regias arces, ac domos hinc inde in ſua Bauaria partim conſtruxit, partim etiam ornauit, auxitque. Ex quibus, vt paucas tantum referam, eſt arx Dachau, Starenberg, Iſereckh, & domus Ducalis Landishutæ.

A. 1544. Prouincias ſuas non ſine omnium admiratione, ſingulari ſua prouidentia, cùm pacis eſſet amantiſſimus, ab omni bellorum tumultu ita ſemper eſt tutatus, vt ſine timore armorum, ſine incurſibus & iniuria hoſtili in perpetua conſeruaret pace.

Moritur Monaci & pie in Chriſto obdormit Princeps Sereniſſimus, verus patriæ Pater, anno & menſe circiter octauo ætatis ſuæ 51. Chriſti vero 1579. quinto Calend. Nouembris: de cuius laudibus videri Orationes funebres Ingolſtadianæ poſſunt.

Dum hæc ad prælum accingerentur, ecce moritur IACOBA, Ducis ALBERTI mater, anno integro & diebus aliquot poſt mortem filii, DEVS ſit ipſius animæ propitius.

* Obiit MARIA IACOBÆA anno 1580. die 15. Nouembris.

* Inuenio ad hunc annum, *Fridericum* quemdam *Knorrium*, Scheslizenſem, ad Stipendium, quod *Ioannes Zeiſs* Canonicus in Haugis prope Herbipolim fundaſſe dicitur, a Ciuitate Ebern præſentatum fuiſſe. Verum hoc de ſtipendio, quale fuerit, aut illius redditus quo deuenerint, nulla deinceps mentio occurrit.

A. 1545.

ANNO DOMINI M D XLV.

Rect. CXXXVII. OSVALDVS FISCHERVS, Arnſperger SS. Theologiæ Doctor, & Parochus apud D. Virginem, IV.

Rect. CXXXIIX. FABIVS ARCAS *de Narnia* Romanus &c. VI.

Inſcripti 116.

Nobiles, *Adamus a Sandizell.*
Antonius Pratus, Vincentinus.
Ioannes Fuchs.
Zacharias Hohenkircher a Pyrgen.
Victor a Seubelſtorf.
Philippus Baro ab Haſſenſtein &c. Bohemus.
Ionas Lochinger, Norimbergenſ.
Wernerus Bots.
Sebaſtian. Marſchalk a Pappenhaim, Can. Eichſtad.
Eraſmus Mürher a Fraubergk.
Bohuslaus Hodieyowsky ab Hodieyowa, Eques Bohemus.

Valen-

A. 1545.

Valentinus }
Melchior } *a Braitenpach.*
Ioannes Paulſtorfer ex Dürnſtein.
Leopold. Grabner de Roſenberg.
Nou. Prof. *Ioannes Pedionæus*, Orator & Poeta Laureatus.
Nou. Doct. *Philippus Imſerus*, Argentinenſ. }
M. Valentin. Butzelius, Vangionenſ. } Medic.
M. Ioan. Damian. Klump, Vberlingenſ. }

Inter inſcriptos erant I. *Ioannes Khlump*, Vberlingenſis, Doctorandus in Medicina, vir adhuc in viuis exiſtens, pariter humanus atque doctus, hoſpitalis, & inter Medicos ſui temporis apud Vberlingam facile princeps. Excepit me, cum ante triennium ibi tranſirem, hoſpitio, & omnino benigne ac prolixe, comiterque tractauit. Eius filius *Gregorius Khlump* anno 76. itidem doctoralia inſignia in arte Medica apud Ingolſtadienſes adeptus eſt, ſub clariſſimis & doctiſſimis viris ac Præceptoribus, *D. Ioanne Lonæo Boſcio* Promotore, *Cyriaco Lutzio* & *Philippo Mentzelio.*

II. *Ioannem Khlumpium* comitatus eſt, vt opinor, ad doctoralem actum *M. Beatus Dinnerus*, Presbyter, vir pietate & doctrina inſignis, magnæ apud Acroniani lacus accolas & præſertim Vberlingenſes, cum in viuis, tum poſt fata etiamnum exiſtimationis & nominis. Idem hoc anno factus eſt Ingolſtadii S. Theologiæ Baccalaureus Formatus. Viuit adhuc nepos eius (ni fallor) ex fratre *Conradus Dinnerus*, qui meo tempore circiter annum 59. & 60. latinam literaturam apud Friburgenſes eſt profeſſus, Gallici Stipendii Præſes, vir tam in Græcis literis, quam in Latinis abſolute doctus. Is nunc temporis LL. Doctor, inter primos Reuerendiſſimi & Illuſtriſſimi Principis & Epiſcopi Herbipolenſis, Ducis Franconiæ &c. Conſiliarios numeratur. Idem circa annum 60. a FRIDERICO, piæ recordationis Epiſcopo Herbipolitano, primus vna cum *Caſparo Stiblino*, viro Latine & Græce doctiſſimo, ad prima Scholæ Herbipolenſis initia facienda & quaſi fundamenta iacienda Friburgo euocatus eſt. Deſcripſit vterque eleganti carmine, *Stiblinus* quidem Heroico, *Dinnerus* vero elegiaco, Reuerendiſſimi & Illuſtriſſimi Principis

A.
1545. MELCHIORIS, globo plumbeo in ponte Mœnì nefarie tranſmiſſi cædem. *Stiblinus* mature & pene in limine Scholæ, aut certe non longe poſt obiit Herbipoli, nunc Patres de Societate IESV Scholam eam tenent.

III. *Ioannes Pædioneus* Orator & Poëta Laureatus, ſcriptis ſuis in literatura politiori notiſſimus.

IV. *Philippus Imſerus*, qui inſignis & Mathematicus & Medicus euaſit, & poſt Matheſin Tubingæ profeſſus eſt.

Hoc anno e viuis exceſſit Mosburgi *Nicolaus Appelles* Philoſophiæ & Theologiæ Doctor, ac diſputator acutiſſimus &c.

* Ad huius viri laudes, de quibus anno 1522. nonnulla dicta ſunt, addendum iam nihil videtur, niſi monumentum, quod illi in Scholæ Theologorum poſitum eſt: *Nicolaus Apelles, Egnelus, Philoſophus & Theologus acutiſſimus, anno Domini* 1521. *Theologiæ interpretandæ in hac Academia cæpit nauare operam, cui inſtituto, vt nihil decederet, non erubuit a Capnione hebraicam & græcam linguam haurire. Cumque per decennium profeſſus eſſet ſcripturæ ſacræ enarrationem, oblatis ſeptem opimis & ſplendidis conditionibus, delegit ex his omnium poſtremam, & tenuiſſimam. Factus itaque Concionator Mosburgi,* (exiguo ad Iſaram infra Monacum oppido) *cum euangelizantis officio annos quatuordecim functus eſſet, animam Deo reddidit anno* 1545. *Feſto aſſumtæ in cælum Mariæ Virginis.*

Graſſari cæpit ſub Rectore *Fabio Arcade* peſtifera lues, futuri anni, vt opinor, præſagium. Cum igitur Iuridicæ Facultatis doctores auditoresque, Sereniſſimi Boiorum Ducis GVILIELMI conceſſu, tutiorem in locum, aëremque ſalubriorem in Khelhaim, oppido iuxta Danubium, vbi acetum dicitur Italis creſcere, ſibi elegiſſent, aliique alio confugiſſent & doctores & ſcholares, ne acephalos eſſet Vniuerſitas, pro Scholæ reliquiis electus eſt Vicerector *Oſualdus Arnſperger* &c.

* Kelhemium conceſſere Iurium Profeſſores omnes; ex Artium vero Magiſtris ii ſoli, qui vxore ac familia impediti non erant.

AN-

ANNO DOMINI M D XLVI.

A. 1546.

Rect. CXXXIX. NICOLAVS EVERHARDVS Senior, LL. Doctor & Profeſſor, II.

Rect. CXL. OSVALDVS ARNSPERGER S. Theologiæ Doctor. V.

Inſcripti 64.

Nobiles, *Ioan. Frideric. de Kindſperg.*
Iacobus Dabienszki, Polonus.
Philippus a Solms, filius naturalis Comitis a Solms.
Matthæus Bunc, Pomeranus.
Ioan. Georg. Romung.
Ioan. Adam. Inderſche.
Christophorus / *Ioan. Achilles* } *Illſung*, Patrit. Auguſt.

* *Nicolaus Euerhardus* per mortem coniugis ſuæ *Catharinæ Schoberinæ*, Ingolſtadienſis, quæ V. Idus Martias e viuis exceſſerat, rectoralis dignitatis capax eſt redditus, quæ etiam die 7. menſis Maii eidem delata eſt.

Serius eſt inſtituta Rectoris electio, quam pro more Scholæ alias fieri conſueuit, propterea quod proceres Academici propter peſtis reliquias nondum Ingolſtadium conuenerant. Fœlix certe hæc noſtra eſt Academia, & eo vno nomine clariſſima, quod tot & tam multos Iurisconſultos excellentiſſimos non habuerit ipſa tantum, ſed & Romano Imperio & Imperiali Conſiſtorio communicauerit. Ante hunc ipſum Dominum *Nicolaum Euerhardum* Imperiale Conſiſtorium Spiræ accepit a nobis *Theodoricum Reiſach;* poſt vero *Wolfgangum Hungerum*, aliosque complures: aula Cæſarea CAROLI quinti *Viglium Zwichemum*, Academia Conimbricenſis in Luſitania *Fabium de Narnia* Romanum: Et plures alios aula Ducalis Monacenſis, omnes Scholæ noſtræ Rectores. Omnes tamen facile ſuperauit nominis gloria *Viglius Zwichemus*, qui in ſupremo aulico Cæſareæ & regiæ Maieſtatis Conſilio apud Belgas Præſidem egit; ordinis itidem aurei velleris Cancellarius fuit: Præpoſitus item S. Bauonis apud Gandauenſes, & Collegii Vigliani apud Louanienſes fundator. Eius etiam commentaria ſuper 10. titulos de teſtamentis nuper magna

A. 1546. na cum diligentia in Typographia Weiſſenhorniana ſunt recuſa. Huic proxime nominis fama ſuccedere poteſt dici *Nicolaus Euerhardus*. Præter alios etiam Cæſarum ac Germaniæ Principum Cancellarios, præſertim eos, quorum parentes hic Profeſſores fuere, prodiit ex hac Schola *Franciſcus Burckhardus*, filius *Franciſci Burckhardi*, trium Archiepiſcoporum & Septemuirorum Colonienſium Cancellarius, etiamnum ſuperſtes. Et lectorem erroris commonitum velim, qui anno 35. a me commiſſus, quod filia eiusdem *Burckhardi* vna & nepos quidam religioſam ſint ingreſſi vitam, non filius; corrigendus igitur iſte error, & pro filio legendum nepos.

Inter inſcriptos memorandi, I. *Michael Dornuogel* Meskirchenſis, noſtra ætate Epiſcopus Adrimetanus, & Suffraganeus Auguſtanus, Doctor Theologus apprime pius, doctus, humanus, eloquens, prudensque. Recepit autem inſignia doctoralia apud Ingolſtadienſes, anno 1554. Calendis Auguſti, promotore *Michaële Wagnero*, Doctore Theologo.

II. *Ioannes Liechtenauer*, etiamnum in viuis, LL. Doctor; & Sereniſſimi Boiorum Ducis Conſiliarius acceptiſſimus: Superioribus vero annis Reuerendiſſimorum Principum Othonis & Ioannis Aegolphi, Epiſcoporum Auguſtanorum Conſiliarius, vir doctus, pius, humanus, officioſus, & in rebus negotiisque Principis ſui agendis induſtrius, fidelis & indefeſſus.

Hoc anno, dum Ratisbonæ comitia ab Auguſtiſſimo Imperatore Carolo V. celebrantur, tumultuantibus iam Smalcaldici fæderis Principibus, ciuitatibusque Imperialibus, ibidem nuptias ampliſſimas inſtituit, peragitque Sereniſſimus & Illuſtriſſimus Princeps Albertvs Dux Bauariæ &c. adhuc diis fauentibus ſuperſtes, cuius incomparabilia in Romanum Imperium, in Eccleſiam DEI & Religionem Catholicam extant beneficia, cum Sereniſſima Archiduciſſa Auſtriæ Anna, Auguſtiſſimi Romanorum tum Regis Ferdinandi primi filia.

Sub initium Germanici tumultus & belli ciuilis plusquam nefarii, ad ſuperos conceſſit, rerum humanarum ſatur ac laboribus feſſus, *D. Leonhardus Marſtaller*, Doctor Theologus & Profeſſor. Præfuit ſuæ lectioni magna cum laude & fructu, quia iam ſtudia renata videbantur ſe humo tollere, & durum Barbariei iugum

ingum excutere. Succeſſit autem in ea docendi prouincia *Thomæ Ramelſpach*, Doctori Theologo, qui anno 1518. Patauium diſceſſerat. Mortuo Domino *Ioanne Eccio* anno 1543. profeſſioni ſuæ Vicecancellariatum, beneficio Epiſcopi Aichſtadiani, & Canonicatum in eadem Eccleſia Cathedrali addit. Rectoratu quartò, Prorectoratu aliquoties, & Decanatu Theologico multoties eſt perfunctus. Anno vero 1546. ſub initio pernitioſiſſimi belli Germanici, ſeu Schmalcaldici, cum grauiter ex deſtillatione cæpiſſet ægrotare, quam ex nimio, vt opinor, ſtudio, nocturnisque contraxerat vigiliis, Friſingam diſcedit, vt ibi a laboribus reſpiraret, & collapſas recrearet, inſtauraretque vires. Verum quia nihil remittebat morbus, ſed indies magis magisque inualeſceret, tandem morbo ſuccumbens, 17. Martii pie in Chriſto obdormit. Cadauer Ingolſtadium eſt relatum, & ad D. Mariam Virginem in Sacello trium Regum, quorum antiſtitem egerat, (*i. e. Beneficiatum, vt hodie vocant*) honorifice terræ eſt concreditum, habetque lapideum ibi ad parietem monumentum, cum eiusmodi inſcriptione & elogio: A. 1546.

Reuerendus Pater ac Dominus Leonardus Marſtaller, Vrbis Norinbergæ Alumnus, S. Theologiæ Doctor, eiusdemque Lector Ordinarius, & Procancellarius Academiæ Ingolſtadianæ eximius, cum annis 26. literas ſacras, publica docendi prouincia profeſſus fuiſſet, atque Vicecancellarii munia, donec lucis vſum Cælites indulgerent, plauſibiliter adminiſtraſſet, mors atra, cui nihil non cedit, ſupremum viuendi limitem, & fatalem diem ei attulit Friſingæ 17. Martii, anno 1546. poſtridie vero eius diei hic ante Sacellum regiorum Magorum, quorum aliquot annos ſacrum egerat Antiſtitem, honorifice tumulatus eſt. Vixit annos 57. menſes 2. dies 21.

Habet idem *Marſtallerus* etiam in Auditorio Theologorum Epitaphium, eiusdem Facultatis opera & impenſis procuratum, ex quo pleraque deſumpſi: Itaque adſcribere nolui.

* Hæc Engerdus: ego vero, cum in Inſcriptionibus atque monumentis publicis præcipuum quoddam decus, ac omnem fere Hiſtoriarum auctoritatem poſitam exiſtimem, illud ipſum Epitaphium ex actis Theologicis huc transſcribam. *Leonardus Marſtaller ſacrarum literarum cognitione in nobili Pariſiorum Lutetia inſtructus, atque Viennæ Auſtriæ Doctoris inſignibus ornatus, anno Chriſti* 1520 *Theologiam publice profiteri cæpit Ingolſtadii, cui prouinciæ præfuit, donec militibus do-*

Gg meſti-

A. 1546.

meſticis, & bello, quod inuictiſſimus Cæſar Carolus V. cum Schmalcaldicis geſſit, fatigatus ob contractum morbum, recreandi ac reſpirandi gratia Friſingam migrauit. Verum ibidem inualeſcente in dies ſæua deſtillatione obdormiuit in Domino 17. Martii anno Domini 1546.

Chriſtian. Gottl. Schwarzius in Schediaſmate de quibusdam Norimbergenſibus in Academia Ingolſtadienſi inclareſcentibus, *Marſtallerum* Friſingæ atque Eichſtadii Canonicum fuiſſe affirmat: Quod quam verum eſt de Eichſtettenſi, tam nihil nobis conſtat de Friſingenſi Canonicatu.

Natus fuit *Marſtallerus* anno 1488. patre *Leonardo Marſtallero*, matre *Vrſula* ex nobili *Voitiorum de Wendelſtein* familia.

Procancellarius Academiæ quintus *Oſualdus Fiſcher* Arnſpergerus; ſuccedens in locum Domini *Leonardi Marſtalleri*.

* Menſe Auguſto obſidio cœpta eſt, qua MAVRITIVS Saxo & PHILIPPVS Landgrafius Haſſiæ Schmalkaldici fœderis capita cum ingenti octoginta millium virorum exercitu vrbem noſtram cinxerunt, diſpoſitis non ſine immenſo bellicæ rei apparatu Gaimershemium inter & Gerolfingam caſtris. Cæſar exercitum ſuum altero quidem tanto minorem ita hoſti oppoſuit, vt Schutera tantum omne ab eodem diuideretur. Opprimi tum poterat CAROLVS, ſi, vt viribus ita animis fœderati valuiſſent. Sed hi, cum præter velitationes, & immiſſos bis mille globos in caſtra cæſarea nil porro auderent, tempus reliquere CAROLO, vt adductis ex Belgio ſubſidiis vires iam fere pares obiicere hoſtibus poſſet. Et vero territi

pridie nonas Septembris ſoluerunt obſidionem Saxo & Landgrauius, qui modo terras & cælum ſuis territabant armis, Cæſarem iamiam ex tota Germania eiiciendum apud confœderatos fruſtra iactitarunt, multis amiſſis militibus, cum ineffabili rerum omnium iactura & æterno ſuo dedecore, & iniecto prius igne caſtris & vicino pago Gerolſingo, in fumo, vt trita Germanorum cantio habet, turpiter ab Ingolſtadio, fugientibus ſimiles, diſceſſerunt: relicto item poſt tergum fortiſſimo Imperatore, qui fugientes inſequebatur. Aſſerit Dux quidam militaris, haud obſcuri nominis, ſed etiamnum ſuperſtes autoritatis maximæ, nunquam tormentis bellicis, vehementius, acrius, & inſtantius eſſe fulminatum, quam maioribus apud Ingolſtadium a Schmalcaldicis, minoribus vero Tuneti a Turcis, quum vtrobique Imperatoris caſtra per integrum triduum continua bombardarum euacuatione, ac tonitrubus infeſtarentur, quæ tamen ille fortiter, ſine magna ſuorum iactura pertulerit.

In obſidione ex Italis inſignes quidam, & bellicoſi viri, peditum, equitumque ductores, in velitationibus, ſeu præliis tumultuariis interierunt, quorum alii ſua arma apud D. MARIAM Virginem, alii apud D. Mauritium, agnatorum & contribulium opera ac ſtudio, habent ſuſpenſa. Illos ego cum in gratiam & honorem Italicæ nationis, tum vero in memoriam fortitudinis & fidei ipſorum in Cæſarem, qui pro eius Maieſtate vitam profuderunt, præterire non potui. A. 1546.

In Sacello D. Trinitatis monumentum habet, Italico, vt reor, more parieti affixum, cum ſubſcriptione, *Ioannes de Nicellis equitum leuis armaturæ Ductor. Poſuerunt Melchior & Ioannes Ludouicus de Nicellis, agnati.*

In Sacello D. Virginis *Hercules Bornates* eques S. Petri & Iacobi, Farneſii Ducis Pincerna.

In D. Chriſtophori Sacello monumentum habet, ſed vetuſtate iam pene obliteratum, armaque cum vexillo ſuſpenſa, *Hercules* cognomento *Langinus*, Patria Peruſinus, ex nobili familia *Gratiana* oriundus, & Italorum peditum Ductor, occidit pridie Cal. Sept.

Ibidem etiam Germanus quidam nobilis, *Simon a Schönberg*, puer 13. annorum habet lapideum monumentum, cui in caſtris Cæſaris caput globo plumbeo eſt abſciſſum.

E regione vero iuxta Sacellum cereuiſiariorum μνημόσυνον ſcriptum habet *Alexander Tingulus* Ariminenſis.

Epitaphium itidem *Ioannis Iacobi Proſinger a Sternenberg*, Germani, columnæ affixum ab occaſu tale cernitur:

Cæſareas acies dum fulmina bellica terrent,
Heſſiaci e Caſtris plurima miſſa Ducis.
Occidit hic miles primo ſub flore iuuentæ,
Sulphureus fregit fortia membra globus.
Nunc quamuis doleant crudelia fata parentes,
Solatur luctus vnica cauſſa graues,
Quod magni auſpicio, & quod Cæſaris arma ſecutus,
Vulnere non turpi fortiter occubuit.
Obiit Cal. Sept.

Apud D. Mauritium ſuſpenſa cernimus arma, aut monumenta parieti inſcripta:

A. 1546.

CONSTANTII MALESPINÆ EPITAPHIVM.

Hic Malſpina iacet, Latiæ Conſtantius oræ
Nobile, qua florent Aeſcula rura, decus.
Hic ductor peditum pugnans conſtanter in hoſtem,
Cæſaris & Fidei, fortiter occubuit.
Virtutis merito ſocii monumenta locarunt,
A Patria propere quæ potuere procul.

EPITAPHIVM IOANNIS THOMÆ BIZARI.

Molliter hoc Iani Thomæ tegit oſſa ſepulcbrum,
Aeſcula Bizarum quem ſua terra vocat.
Non minus hic virtute fuit, quam ſanguine clarus;
Dum vixit, Patriæ gloria magna ſuæ.
Pro Carolo Ductor peditum ſic Principe fortis
Dimicat, vt vitam negligat ille ſuam.

PETRI LAVRENTII CORNICIS EPITAPHIVM.

Dum Petrus Laurentius a cognomine Cornix
Pro CAROLO pugnat, victus ab hoſte cadit.
Hic generisque fuit clari, ductorque cohortum,
Et genuit præſtans Aeſcula terra virum.
Huic tumulo ſocium mandarunt oſſa, Deoque
Permittunt animam viuere CHRISTE tibi.

Occiderunt omnes in præliis interfecti ab hoſtibus quarto Calend. Septembrium, & in Choro Parochiæ Mauritianæ habent ſua Epitaphia.

Rurſus ſæuiebat peſtis, ex obſidione, vt eſt credibile, Saxonica enatá, cum trucidata & hominum & iumentorum cadauera paſſim iacebant, & fœtore ſuo aërem inficiebant.

Obiit excellens Organicen in feſto D. Nicolai, *Leonardus Waldeiſen*, ſepultus apud D. Virginem, cum Epitaphio, coniugis meæ ſecundæ auunculus. Eius Frater Ratisbonenſis aliquando Suffraganeus fuit.

* Fuere ex ciuibus Ingolſtadienſibus, atque ex ipſis Profeſſoribus nonnulli, qui ad euitanda hoſtilis obſidionis incommoda Eichſtadium, quaſi ad aſylum quoddam profugerant. Hi ergo cum bello remittente Ingolſtadium repeterent, *Ioannes Veldmillerus* Medicinæ Profeſſor, qui

eo

eo ex numero erat, neſcio quo caſu a ſodalitio auulſus, ab hoſtili Duce comprehenſus, captusque eſt. Sed paulo poſt effugiendi nactus occaſionem, ad ſuos rediit. Vid. an. 1552. A. 1546.

ANNO DOMINI M D XLVII. A. 1547.

Rect. CXLI. FABIVS ARCAS *de Narnia* Romanus &c. VII.

Rect. CXLII. M. PAVLVS PRVNNER, Profeſſor.

Inſcripti 201.

Nobiles, *Ioannes a Streitberg.*
Hugo a Kreyt.
Albertus de Redwitz, Can. Bamberg.
Vitus ab Aw.
Vdalricus } *Ioannes* } *Casparus* } *Dreyling* ex Schwatz.
Wolfgang. a Taufkirchen, Can. Ratisbon.
Ioan. Adam. a Muckenthal.
Caſpar Zeller, Can. Bamberg.
Pangratius Neuſtetter, Can. Bamberg.
Melchior Haberkorn, Can. Herbipol.
Wolfgang. Carol. de Wenkhaim.
Ioan. Guilielm. Reyffenſtain de Stolberg.

Nou. Prof. *Paulus Aemilius*, Romanus, Prof. Ling. Hebr.

Nou. Doct. *Valentinus Fabri*, Mindelhaimenſis, *Theol.*
M. Hieronymus Herold, Lipſenſis } *Medic.*
Iacob. Feyrer, Chryſopolitan. i. e. Ingolſtat. } *Medic.*
Leonard. Caſtner, Kelheimenſ. } *Medic.*
Iacob. Camerarius, Crenerzhuſan. } *Medic.*

Fabius Arcas adminiſtrauit Rectoratum vſque ad *decimum* tertium diem Iunii, reſignauitque, atque eo ipſo die ingreſſus eſt iter Portugalliam verſus, ad Scholam Conimbricenſem recens inſtitutam a potentiſſimo Luſitaniæ Rege IOANNE vocatus.

* Inde ab anno 1529. adeoque integris octodecim annis noſtra in Academia verſatus eſt *Fabius*, Profeſſor legum primarius; geſtoque ſepties Rectoris

A. 1547. ctoris officio, Iurium ſcientiam tanta cum laude profeſſus eſt, vt eius fama in remotiſſimas Occidentis plagas, ad Ioannem vſque Regem peruaſerit; qui non tantum propoſito ampliſſimo ſtipendio illum conduxit, ſed miſſo etiam, Ingolſtadium vſque, celebri comitatu in Luſitaniam deduci curauit. Pappendrechtius in Analectis Belgicis duos adſtruere *Fabios* videtur, Ingolſtadienſes Profeſſores; *Romanum* vnum, *Narnienſem* alterum. Scilicet ex verbis *Viglii Zwichemi* hoc coniectat, ad *Nicolaum Euerhardum* anno 1538. 17. Ian. ita ſcribentis: *Fabius ſerio abitum parat, ac Viennæ conditionem ſuſcepit, rudes illic Pannonas ſubtile ius docturus. Vereor, ne parum ex ſuo commodo, nam iſtic non ex iure manu conſertum, ſed mage ferro* &c. Inde ſtatuit *Fabium Romanum* ſub aduentum *Viglii* Ingolſtadium reliquiſſe, ſubrogato in eius locum *Marco Antonio Caymo*; *Fabium* autem *Narnienſem* anno 1540. quo *Caymus* Ingolſtadio Ticinum migrauit, eidem in Iuris cathedra ſucceſſiſſe. Ex Pappendrechtii igitur ſententia ab anno 1529. ad 1538. in Schola noſtra floruiſſet *Fabius Romanus*; ab anno 1540. ad 1547. *Fabius Narnienſis*. Sed huius diſtinctionis ita nullum deprehendi poteſt veſtigium, vt potius certum & manifeſtum ſit ex albo Vniuerſitatis, ſolum & vnicum *Fabium Arcadem de Narnia Romanum* anno 1529. die 10. Septembris eidem inſcriptum, & deinceps ad hunc vſque annum eodem ſemper modo eius nomen expreſſum fuiſſe. Interea abitum parauerit Viennam, vt ſcribit *Viglius*; ſed nunquam ſcilicet abiuit.

Profecto Domino *Fabio* in Scholæ gubernatione ſucceſſit *Oſualdus Arnſperger* Doctor Theologus, &c.

Inter inſcriptos erant I. *M. Valentinus Fabri* Mindelhaimenſis Presbyter, Ordinarius Profeſſor Friburgenſis, & illis diebus in Doctorem Theologiæ creatus. II. *Apollinaris Kirſer*, Pforzenſis, Studioſus Iuris & Doctor itidem factus. Eſt vir valde conſultus, etiamnum in viuis, Canonicus & Decanus Baſilienſis, mortua coniuge factus. Meo tempore, cum Friburgi Briſgoiæ literis darem operam, Cancellarii munere apud Reuerendiſſimum Principem Ordinis D. Ioannis in Hettershaim, fungebatur.

III. *Ioannes Cochlæus*, alias *Dobeneck* (*Wendelſteinenſis*) Magiſter Colonienſis, & Theologiæ Doctor Ferrarienſis, Canonicus Eccleſiæ Vratislauienſis Cathedralis, & Chori D. Wilibaldi Aichſtadii. Eum eſſe reor, cuius mentionem in Catalogo teſtium veritatis facit Guilielmus Eiſengreinius, & Decanum Franckhfordianum apud D. Virginem appellat. Cuius ibidem ſcripta ad longum enumerantur.

* No-

A. 1547.

nomen in temporum illorum hiſtoria; cum enim a theologicis ſeſe impendiſſet, ſemper *Luthero* nnibus, quæ in eius cauſſa celebrabantur, tienſibus; anno 1526. Ratisbonenſibus; anno 1546. iterum Ratisbonenſibus, vbi ide, vt ego quidem coniicio, Ingolſtadium am Scholam præſentia & nomine ſuo conde- fortaſſe fuit, vt vna cum *Oſwaldo Fiſchero* no- heologiæ Doctorem crearet; id quod ſeptima actum eſt.

Prunnero vide plura, anno Rectoratus eius. de *Sebaſtiano Reiſachero* (*Oettingenſi*) viro in- dicam, cum in annum obitus illius incidero, ore (*anno* 1548.) ad Academiam venit. VI, omanus, Profeſſor linguæ Hebraicæ,

Baccalaureum eodem anno apud nos promotus. De *Aemi-* d annum 1575. quo ex hac vita migrauit.

uit circa hæc tempora in Bauaria *Ioannes Chryſoſtomus* Abbas Schirenſis, quod cænobium tribus lapidibus ab io verſus Monacum iacet, præter conſuetudinem eius honeſtis literis & Theologiæ Studio excultus: Monaci *Volfgangus Sedelius*, Ordinis Auguſtiniani profeſſus, Sere- ni Ducis ALBERTI Concionator grauiſſimus: de quorum oque Guilielmus Eiſengreinius in citato loco. Fatis vero fun- *Sedelio* ſucceſſit in concionandi munere *F. Ioannes Greſſenicus*, Dominicanus, vir vitæ integritate, eruditioneque clariſſimus, ita Illuſtriſſimo noſtro Principi gratiſſimus acceptiſſimusque: ſe- ceſſit ad quietem laboribus & ſenio feſſus Auguſtam Vindeli- corum, ibique ante quadriennium, aut circiter obiit.

Fuit & alter *Hirſpeckhius*, nomine *Paulus*, frater *Ioannis Chry- ſoſtomi*, Theologiæ Doctor, & Ratisbonæ in ſumma Baſilica Ec- cleſiaſtes, cuius extant quædam ſcripta, Ingolſtadii excuſa.

Liceat mihi in vnum congerere locum Sereniſſimi noſtri Principis ALBERTI liberos. CAROLVS primogenitus natus eſt anno 47. in arce Starenberg, 6. Sept. intra horam 5. & 6. matu- tinam in geminis: Compatris vices, nomine Cæſareæ Maieſtatis geſſerunt *Mauritius a Schellenberg*, & *Comes a Montfort*, obiit in- fans. GVILIELMVS natus eſt Landishutæ, anno 1548. die 29. Sept.

A. 1547. Sept. hora prima pomeridiana in Virgine. FERDINANDVS naſcitur Landishutæ, anno 1550. die 29. Ianuarii hora ſexta matutina in Aquario: Compater erat Epiſcopus Patauienſis *Comes a Solms.* MARIA MAXIMILIANA naſcitur anno 1552. die 3. Iulii, media nocte in Sagittario: Suſcepit eam ex baptiſmo nomine MAXIMILIANÆ Imperatricis, nobilis *a Zaltting.* FRIDERICVS naſcitur anno 1553. die 26. Iulii, hora tertia poſt mediam noctem, in Piſcibus: Compater erat OTHO Cardinalis Auguſtanus & FRIDERICI Septemuiri coniunx: Obiit anno 1558. die 18. Aprilis intra horam 6. & 7. antemeridianam. Sepelitur in Monaſterio Sacri montis. ERNESTVS naſcitur anno 1554. die 17. Decembris, hora 5. antemeridiana; Compater erat ERNESTVS Dux Bauariæ, & Archiepiſcopus Salisburgenſis.

A. 1548. ANNO DOMINI M D XLIIX.

Rect. CXLIII. BARTHOLOMÆVS ROMVLEVS, nobilis Florentinus, LL. Doctor & Profeſſor.

Rect. CXLIV. M. ERASMVS WOLFIVS Landiſpergenſis, Regens noui Collegii, II.

Inſcripti 220.

Nobiles, *Ioan. Adam. Fraunberger.*
Ludouicus a Bernhauſen.
Henric. Steinheuſer a Reichenberg.
Wolfgang. Staudinger, Fridburgenſ.
Ioan. Stephan. de Pyrching.
Vitus ab Halleg, ex Carinthia.
Ioan. Maurit. a Wenkhaim, Can. Ratisbon.
Theodoric. } *Ioachim.* } *a Freyberg.*
Gaſpar a Wiſendau.
Iudas Macbabæus Khölderer.
Wolfgang. } *Clemens* } *Münich*, fratres.

Georg.

A. 1548.

Georg. Ecker de Kreuling.
Hieronym. } *Alexius* } *Thurzo*, Auguſtani. *Chriſtophor.* }

Nou. Prof. *Balthaſar Fanneman*, Ord. Præd. *Theol.*
Bartholomeus Romuleus, vt ſupra.

Nou. Doct. *Michael Wagner*, Gerolfing. Rhœtus, *Theol.*
Gregorius Lopez, ex vrbe Tauro, Hiſpan. } *Medic.*
Petrus Lopez, ex oppido Madrigal, Hiſpan. }

* Vix die 15. Martii Vniuerſitati nomen dederat *Bartholomeus Romuleus*, Patritius Florentinus, I. V. Doctor & LL. Profeſſor Ordinarius, cum mox die 24. Aprilis eiusdem anni in magnificum illius Rectorem electus eſt.

Inſcripti ſunt ſub eius regimine inſignes quidam viri; I. *Geruaſius Fabricius*, Archiepiſcopi Salisburgenſis poſtea Cancellarius. II. *Gregorius Lopez*, Hiſpanus ex vrbe Tauro, Medicus iam antea cæſareus; & *Petrus Lopez* itidem Hiſpanus ex oppido Madrigal, qui & ipſe ſex annis in aula Cæſaris, & alibi duodecim annis Medicinam factitauerat, ambo in Doctores Medicinæ (non Legum, vt Rotmarus ſcribit) hic promoti ſunt, ſub *Ioanne Veltmillero*, Facultatis medicæ tunc Decano.

III. *Balthaſar Fanneman* Miſienſis Epiſcopus Suffraganeus Hildeshaim. S. Theologiæ Doctor & Profeſſor, & Scholæ Procancellarius. De *Balthaſare Fannemanno*, quando ſit mortuus non conſtat. Illud ſcimus Ordinis eum fuiſſe Prædicatorum, Scholæ Vicecancellarium & Paſtorem apud D. Mauritium, tandem ad Suffraganeatum Moguntinenſem vocatum ibidem diem ſuum clauſiſſe.

IV. *Auguſtinus Paumgartner* Monachienſis, poſthac Cancellarius, & Legatus ad Concilium Tridentinum.

V. *Ionas Adler*, qui poſt beneficio ſummi Pontificis Romæ Doctor Theologiæ ſalutatus, Parochus Strubingenſis obiit.
VI. *Georgius Apianus* Landishutæ obiit anno 1554.

Sub hoc ipſo Rectore (*Romuleo*) Calendis Iunii lectionum reformatio eſt a Sereniſſimo Boiorum Duce GVILIELMO facta, ac tum temporis profeſſores erant, Theologiæ, *D. Balthaſar Fanneman*, Procancellarius Academiæ. Elapſo anno mortuus erat *D. Leonardus Marſtaller*. Expectabantur & alii ex Italia Doctores Theologi; In Iurisprudentia docebant *Franciſcus Zoannettus*,

 Bo-

A. 1548. Bononienſis: (*acceſſit ad Academiam anno* 1549.) *Bartholomeus Romuleus* Florentinus: *Nicolaus Euerhardus*, Fryſius: & *Wolfgangus Hungerus* LL. DD. Medicinam profitebantur, *Ioannes Veldmillerus*: & *Ioannes Agricola*, DD. Matheſin *Petrus Apianus*, Philoſophiam Ariſtotelicam *Vitus Amerbachius* vna, & altera hora Oratoriam: *Ioannes Pedioneus* poëſin docebat. Linguam Græcam profitebatur *Ioannes Lorichius* Hadamarius. Hebræam vero *Paulus Aemilius*: Cæterarum vero ingenuarum artium Profeſſores erant, *Eraſmus Wolfius*, *Wolfgangus Gotbardus*, & *Wolfgangus Zettelius*. Ex quibus omnibus vnus adhuc *Zoannettus* in viuis eſſe dicitur.

* Sereniſſimus Dux Gvilielmvs cum videret Theologiæ Facultatem inde ab obitu *Ioannis Eckii* ita iacere, vt vix vnum haberet idoneum Profeſſorem, ſcripſit hoc anno ad Pavlvm III. Pontif. Max. vt in Scholam ſuam Ingolſtadienſem, quam inſtauratam & optimis Profeſſoribus egregie inſtructam cupiebat, ex Italia mitterentur eximii probatique Theologi, qui eo tempore, turbatis ſcilicet rebus Religionis, maxime deſiderarentur. Negotium hoc Principis Romæ commiſſum eſt Cardinali Pontificis Nepoti, *Alexandro Farneſio*, qui cum *Ignatio de Loyola* Societatis Ieſu Præpoſito ſic egit, vt tres in Bauariam Theologi mitterentur, de quibus anno ſequenti.

Reſignauit Parochiam D. Virginis *Oſualdus Arnſperger*, Friſingam ad Suffraganeatum vocatus, cui ſucceſſit *M. Georgius Theander* (*Gottsmann*) ab inſtituta Parochia decimus quintus, Academiæ vero vndecimus.

Hoc anno *Wolfgangus Hungerus* Iurium Profeſſor hinc ad ſummum Imperii tribunal, & Cameræ iudicium, poſt reformationem a Carolo V. factam, ab eodem poſtulatus eſt & conſtitutus. Quo perfunctus munere Bauariam repetiit, & Reuerendiſſimorum & Illuſtriſſimorum Principum, primo Henrici Comitis Palatini, Ducis Bauariæ, deinde Leonis *Leſchii* Præſulum Friſingenſium factus eſt Cancellarius. Tandem obiit Auguſtæ in Comitiis anno 1555. quo anno frater eiusdem *Ioachimus Hunger* Ingolſtadii obiit, de quo anno 43.

Illuſtris ſane ille, ſi quæ alia eruditionis & virtutis & nominis ſui monumenta poſteritati reliquiſſet nulla, hiſtoria *Cuſpiniani*, quæ illius opera tum emendata, tum doctiſſimis annotationibus aucta in lucem prodiit. Deinde illuſtrior multo tribus filiis, & præſertim *Alberto*, & tribus filiabus ex ſe natis,

Albertus SS. Theologiæ Doctor & Profeſſor, Scholæ noſtræ Vice- A. 1548.
cancellarium agit & inſpectorem & digniſſimum & meritiſſimum, Academiæ lumen clariſſimum. *Wolfgangus* LL. Doctor, Illuſtriſſimi Principis PHILIPPI Marchionis Badenſis Conſiliarius eſt. *Leo* adhuc in ſtudiis occupatur. Filia grandior natu *Anna*, clariſſimo viro ac Domino *Ioanni Lonæo Boſcio* etiamnum in viuis exiſtenti, Doctori Medico & Profeſſori cum Medicinæ, tum Matheſeos, iuncta eſt matrimonio. Media, quæ *Maria* dicitur, Veſtalis virgo apud D. Ioannem Ingolſtadii, CHRISTO nupſit. Minima, quæ *Ioanna* eſt, in matrimonio Excellentiſſimi viri Domini *Michaëlis Weſtermarii*, Illuſtriſſimi Principis PHILIPPI Marchionis Badenſis Cancellarii, etiamnum cum cæteris viuit ſororibus.

Habuit ſibi copulatam matrimonio *Annam*, *Georgii Bohemi Cuſpinii*, Iuris vtriusque Doctoris & primum Epiſcopi Friſingenſis, deinde Patauienſis Conſiliarii filiam, dictorum liberorum matrem. Scripſit idem *Georgius Bohemus* elegantem Odam ad Sereniſſimos & Optimos Principes OTHONEM HENRICVM & PHILIPPVM, Comites Palatinos Rheni &c. pupillos, ſub tutela LVDOVICI Electoris patrui, cum Haidelberga rediiſſent, quam adſcribere tum in ipſius *Bohemi*, tum etiam nepotum honorem omnino volui.

Tollant Pierides laudibus inclytam
Rudberti ſobolem, magnanimi Ducis,
Immatura parentis
Natam fata rependere.
Annos heu virides ſæua benignius
Traxiſſet Lacheſis, tempus in vltimum,
Si non prole ſuperſtes
Manſiſſet gemina Pater.
Tutelam facili pectore Principum
Orborum patruus ſuſcipit impigram,
Quos & nota tuetur
Et conſtans procerum fides.
Fœlix illa dies, o ter & amplius,
Quæ Boiis Dominos reſtituit ſuos
Aulæ ſub Budorinæ
Nutritos penetralibus.

A.
1548.

Hac nil Bauaricis luce penatibus,
Nil fido populo gratius accidit,
Plaudit cum ſeniore
Geſtu, voce, virens puer.
Tandem priſca ſalus reddita cernitur,
Affulſit populo vultus vbi Ducum,
Et iam lætior annus
Lucent ſidera clarius.
Iis pars Bauarici magna ſoli ſubeſt,
Rhætos Danubius qua pater alluit,
Et rauco Neoburgam
Radit flumine regiam.
Eſt & vera Deûm religio, piis
A patrum placitis nil mouet impius,
Quamuis pectora ſancta
Tentat mille Vafer modis.
Nabus pinifero miſſus ab arduo
Nigro per Salices flumine Noricas
Flumine cum ſocio fert
Vilſo ſceptra palatia.
Tutæ iam pecudes rura perambulant,
Fructus almus ager procreat vberes,
Durant inuiolatæ
Pax & Iuſtitia & fides.
Nec iam finitimis gentibus acrior
Boemus bella parat Martia, qua nemus
Ingens Norica ſcindit
Terris arua Bohemicis.
Macti eſtote igitur muneribus Deûm
O clara ſoboles orta propagine,
Vos veſtigia patrum,
Aeternumque manet decus.

Hæc tum ſcripta ſunt Lyrica, cum adhuc Palatinatus ſuperior eſſet Catholicus: id quod ex octauo ſtropho licet colligere.

Fuit idem *Georgius Bohemus* ſextumuir Ingolſtadii. Sed profecto, neſcio quid ille ſextumuiratus fuerit. Hoc ſatis colligo, prærogatiuam fuiſſe quandam, de qua ſæpe Philoſophi ſunt

ſunt digladiati, & profeſſionem ex iis citius reliquiſſet quisquam, quam Sextumuiratui renunciaſſet. A. 1548.

* Cum ſex primarii Artium Magiſtri in Collegio veteri ſeu in ipſa æde Vniuerſitatis ordinariam habitationem, atque annuum etiam ſtipendium ex ærario academico haberent, *Collegiati* dicebantur & aliquoties etiam *Sextumuiri*. Videtur hoc nomen inde ab anno 1526. obſoleſcere cœpiſſe, cum ſcilicet reliquis etiam Humanitatis Præceptoribus fixa in annos ſingulos ſtipendia numerarentur.

Fuit hic *Georgius Bebam* cognominatus *Spies*, *Salicetus*, eo quod erat oriundus *von der Weyden* Palatinatus ſuperioris; & Decanatum geſſit Iuridicæ Facultatis anno 19. Ad eundem vidi literas *D. Ioannis Auentini*, manu ipſius ſcriptas, quæ & *Auentini* referunt ſimplicem candorem & vetuſtatem ſimplicem. (*Vid. an.* 1516.)

* Scripſit *Wolfgangus Hungerus* præter memoratas ſupra *Notas in Cuſpiniani Caſares*, *Apologiam pro* LVDOVICO IV. *Imperatore*, quam diligentiſſimus *Finauerus* anno 1772. ex Manuſcripto editam, Tomulo II. Bibliothecæ Bauaricæ inſeruit; *Excitatorium Aulicorum*, ex Italico verſum; & *Tractatum de Teſtamentis*. Curauit item aliorum quorundam Auctorum editionem, vt *Bartholomei Bologuini*, *Bouilli*, ac præcipue *Bernederi*. Epitaphium quoque *Hungeri*, quod Friſingæ habet in Xyſto Cathedralis Eccleſiæ, quoniam huius loci eſt, ex eodem *Finauero* huc transſcribam.

WOLFGANGVS HVNGER. I. V. D. CANCELLARIVS EPI. FRIS. OB. AN. 1555. 26. IVLII.

D. O. M. S.

Wolfgango Hungero Waſſerburgenſi Iuris Conſ. Eximio, quia ab ineunte ætate ſumma cum laude in omni diſciplinarum genere verſatus, atque annis VIII. Ius ciuile in Academia Ingolſtadiana publice profeſſus, Illuſt. Bauariæ Ducem Albertum auditorem habuit: indeque a Carolo V. Imperatore ad ſupremum Germaniæ tribunal Spiram vocatus, annis III. innocentiſſime cauſas Aſſeſſor audiuit, donec a Reuerendiſſ. Præſule Henrico Palatino huius Epiſcopatus & Vrbis Antiſtite digniſſ. maximis præmiis reuocatus, Conſiliariusque deſignatus, eoque mortuo apud Reu. Principem Leonem Lœſchium in Epiſcopatu Succeſſorem. Dum Cæſar Ferdinandus Comitia Imp. Auguſtæ Vindel. ageret, in legatione ibidem morbo correptus, Ao. Officii IIII. ætatis vero XLIIII vitam morte commutauit. Anna Bohemin Coniux mæſtiſſ. X. Liberorum ex eodem Parens P. poſuit, obiit vero anno a Chriſto nato M. D. LV. VII. Kalend. Auguſt.

Emigrauit ex hominum conſortio Reuerendus & præſtantiſſimus vir ac Dominus *Sebaſtianus Linckbius* Stutgardianus Wirtenbergenſis. Primum in Academia noſtra Oratoriæ Profeſſor,

A. 1548. ſæpius Decanatus officium geſſit, & anno 40. Rectoris dignitate perfunctus eſt. Poſt Doctor Theologiæ creatus, Friſingam ad Eccleſiaſtæ manus euocatus, diſceſſit. Scholam hanc ſingulari ſua eruditione non parum ornauit. Extat eiusdem Oratio in laudem S. Theologiæ non inelegans, in primo tomo Orationum Ingolſtadienſium edita, quæ noſtra opera anno 71. in lucem prodierunt, proditurus fortaſſis eſt & tomus ſecundus. Obiit Friſingæ, poſteaquam multo tempore cum aduerſa valetudine conflictatus fuiſſet, 16. die Decembris.

* Vidi præterea eiusdem *Linckii Epithalamion in nuptias nob. Iuuenis Oſwaldi ab Eck & caſtæ Virginis Annæ a Benzenau*, anno 1544. typis Weiſſenhornianis impreſſum; Item Carmen manuſcriptum de re herbaria.

* Ex Artiſtarum Collegio, ſimulque ex Academia Octobri menſe diſceſſit *Paulus Prunnerus* dialectices Cæſareanæ, vt tum vocabant, Profeſſor, conditione alia apud Reuerendiſſ. Principem & Epiſcopum Pataujenſem accepta. Sed rediit anno 1558. cum *Ernfrido Comite Ortenburgio*, cuius Præceptor erat.

A. 1549.

ANNO DOMINI M D XLIX.

Rect. CXLV. M. GEORGIVS THEANDER, S. Theologiæ Baccalaureus Formatus, & apud D. Virginem Parochus.

Rect. CXLVI. FRANCISCVS ZOANNETVS Bononienſis LL. Doctor & Profeſſor &c.

Inſcripti 181.

Nobiles, *Craft Georg. Perler*, de Rotenburg cis Tuberim.
Ioan. Chriſtophor. Fuchs.
Albertus ab Hobeneck.
Iacob. Chriſtoph. Schenk de Caſtel.
Eberhardus a Stain.
Ioan. Georg. Marſchalcus a Pappenhaim.
Ioan. Landſchad a Stainach.
Andreas Kettnit, Ambergenſ.
Paulus Stiber a Püttenheim, Can. Herbipol.
Ioan. Chriſtoph. Paumgartner.
Abraham } *Matthæus* } *Deutzell*, ex Schwatz.

Da-

A. 1549.

Daniel, } *Ioan. Dieteric.* } *a Wang.*
Ioan. Erhard. Petſchner.
Ioan. Georg. Vberacker zum Sichertſtain.
Ioannes } *Huldricus* } *Herbart*, Patritii Auguſt.
Ioan. Georg. a Tirlingen, Can. Ratisbon.
Georg. Wolfgang. Notbafft.
Michael Gabriel Soiter a Vinda.
Philipp. ab Adelzhauſen in Weichertshofen.
Nou. Prof. *Claudius Iaius*, Allobrox. S. I. } *Alphonſus Salmeron*, Toletanus S. I. } *Theol.* *Petrus Caniſius*, Nouiomag. S. I. }
Franciſcus Zoannettus. &c. vt ſupra. *Iur.*
Nou. Doct. *Ioannes Leſſeladius*, Onolzbach. *Medic.*

In numero Inſcriptorum erat I. *Franciſcus Zoannettus*, nobilis Bononienſis, Iuris vtriusque Doctor, Sereniſſimi Ducis Bauariæ Conſiliarius, & LL. Profeſſor primarius. II. *Eraſmus Vendius*, nunc temporis Sereniſſimi Boiorum Ducis ALBERTI Conſiliarius ſecretior, & extra vrbem in profectionibus Cancellarii vicem gerens: vir ſingulari eruditione præditus, induſtrius, quique tanta fide, tantaque diligentia Principis negotia exequitur, vt & charus ſit vnice Principi, & admirationi ſit plurimis, incomparabilis Muſarum Patronus, & in ſoluta oratione vix ſecundus alteri, in ligata non infælix: de quo plura & ſupra ſcripſi, & nunc quoque dicerem, niſi & crimen adulationis vererer, & quod iuſto orationis ornatu eius laudes poſſem proſequi, diffiderem. Viuat quam diutiſſime DEO, Eccleſiæ, Studiis honeſtis & omnibus bonis.

* Fuit *Eraſmus Vendius* patria Ambergenſis, id quod Acta Facultatis Philoſophicæ aperte oſtendunt, dum ad annos 1552. & 1553. inter Artium bonarum Baccalaureos atque Magiſtros *Eraſmi Vendii Ambergenſis* nomen commemorant. Fugerant certe hæc perſpicaciſſimum alias *Oefelium*, qui neſcio vnde ſeductus *Eraſmum Vendium in agro Pollingano tenuis fortunæ parentibus editum* ſcribit. Edidit *Vendius* Carmen in laudem ALBERTI Boiorum Ducis; Opus item ineditum *Auguſtini Kœlneri* de Bello Boico in Epitomen redegit ſub hoc titulo: *Ephe-*

A. 1549. *Ephemerides Belli Palatino Boici* quas e Codd. MSS. in lucem edidit *Felix Oefelius*, Tom. II. Script. Rer. Boic. p. 469. & ſeqq.

* III. *Claudius Iaius* Sabaudus, *Alphonſus Salmeron* Hiſpanus & *Petrus Caniſius* Belga, omnes tres Societatis IESV Doctores Theologi die 13. Nouembris Ingolſtadium tenuerunt, *Henrico Schweickero* Sereniſſ. Ducis Secretario eos comitante. Cœnarunt eo die in hoſpitio Schoberiano, ac cum illis Rector Vniuerſitatis *Zoannettus* & Profeſſores omnes; quorum nomine *Georgius Theander* orationem gratulatoriam ad illos habuit. Reſpondit mox *Caniſius* pro ſe, ſuisque Collegis, egitque gratias pro tam amica gratulatione & tractatione. Poſt hæc aſſignata ipſis in Collegio veteri habitatio; cibi autem bis quotidie ex nouo ſeu Georgiano Collegio ſubmiſſi ſunt. Die 26. Nouembris *Salmeron* & *Caniſius* ſuæ quisque Lectionis, præmiſſa oratione, principium, quod dicimus, ſolenne fecere; ille quidem in Paulum ad Romanos, hic in quartum Magiſtri Sententiarum. *Iaius*, qui ad tempus tantum, vt ſcilicet initia recte conſtituerentur, ceteris duobus adhibitus erat, Pſalterium interea profiteri cæpit.

Hoc anno die 4. Ianuarii valedixit humanis rebus, induſtrius & præclarus vir *Alexander Weiſſenborn* ſenior, Typographus Ingolſtadienſis, relictis duobus filiis *Alexandro* & *Samuele*, qui parenti bene de re literaria merito, pari officiorum genere, parique diligentia ſucceſſerunt.

A. 1550.

ANNO DOMINI M D L.

Rect. CXLVII. M. ERASMVS WOLFIVS, Regens noui Collegii, III.

Rect. CXLIIX. PETRVS CANISIVS, Doctor Theologus & Profeſſor, Societatis IESV Collega.

Inſcripti 234.

Nobiles, *Iacob. Baro Villinger*, Caroli Villingeri Bar. in Scheneberg filius.

Gaſpar Fleckhamer, Patrit. Monacenſ.

Georg. Polander de Polandten.

Iacob. Fugger de Kirchberg & Weiſſenhorn.

Ioan. Theodoric. Hünderskircher ab Obernvilsleren.

Zacharias Scharfſeder in Kollersaich.

Ernest. a Rechenberg.

Ioan.

A. 1550.

Ioannes a Kuedorf, Francus.
Sefridus de Egloffſtein, Can. Bamberg.
Chriſtoph Hund a Lauterpach, Can. Eichſtettenſ.
Ioan. Chriſtoph. Leſch.
Iacob. Stainacher de Stainach.
Ioſeph. Sigbart a Leonpach.
Conrad a Rechenberg, Can. Eichſtett.
Sefridus Vrſchenpeck.
Ioan. Georg. Sinzenhofer.
Ioan. Diepold. de Güſſenberg in Prens, Can. Conſtantienſ.
Ioan. Matthæus Hundpiſs de Waltrams, Can. Conſtant.
Chriſtophorus } *Relinger*, Patrit. Auguſt.
Guilielmus }
Hieronymus } *Welſer*, Patrit. Auguſt.
Emanuel }
Chriſtophor. Loſnizer, Hochburg.
Conradus ab Ebenhaim, Geirenſ.
Vergilius Ibrecker (Vberacker) zum Sighartſtain, Can. Salzburgenſ.
Nicolaus Cromerus, Polon.
Ioan. Conrad. de Stain, Can. Auguſt.
Ioachim. a Freyberg.
Caſpar. Hiers, Sileſius.
Henricus de Fraunhofen.
Frideric. von der Dann, ex Puchnia, Can. Herbipol.
Alexander Houer de Caſtro Duini apud Forum Iulii.
Ioan. Ioachim. de Hirnhaim.
Nou. Prof. *Nicolaus Gaudanus*, Hollandus S. I. *Theol.*
M. Petrus Schorichius, S. I. *Phil.* & *Ling. Græc.*

Inſcriptos inter erant I. *Iacobus Fuggerus*, generoſi Domini *Antonii Fuggeri* filius, qui etiamnum in viuis eſt, *Marci*, Auguſtanæ vrbis præfecti, & *Ioannis Fuggerorum* frater germanus, habens in matrimonio filiam Domini *Illſungi*, præfecti Sueuiæ. II. *Hieronymus Nadler*, Noricus, filius *Eraſmi Nadleri*. Is Piſis anno 65. doctorali titulo in vtroque Iure inſignitus eſt; inde reuerſus in numerum Conſiliariorum Ducalium Monaci cooptatus

A. 1550. eſt. Quo munere etiamnum, cum hæc ſcribimus, magna cum laude fungitur, atque inſuper etiam fæderis Landiſpergenſis eſt Cancellarius. III. *Ioannes Matthæus Humpis* (*Hundpiſs*) de Waltrams, qui etiamnum in viuis, Præpoſitus eſt Eccleſiæ Cathedralis Conſtantienſis.

Die 6. Martii h. a. mortalium relinquit commercia Sereniſſimus & Illuſtriſſimus Princeps ac Dominus, GVILIELMVS Comes Palatinus Rheni vtriusque Bauariæ Dux &c. parens ALBERTI V. Ducis Bauariæ, ALBERTI IV. filius. Princeps pius, prudens, literarum Mecænas, & armis, paceque clarus.

* Patriæ Patrem paulo poſt, die ſcilicet 17. eiusdem menſis Martii ad vitam immortalem ſecutus eſt Vniuerſitatis noſtræ Patronus, *Leonardus ab Eck, Wolfseck, Randeck & Eiſenhofen*, GVILIELMI Ducis Conſiliarius primum, tum Cancellarius, ac fere Familiaris; ita vt vitam ſine illo acerbam ſibi fore non ſemel ſit profeſſus. Natus fuit *Leonardus* Kelhemii in Bauaria, nobili genere, anno 1480. Ad noſtram Academiam acceſſit anno 1489. Principi a Conſiliis eſſe cœpit circa annum 1520. Tum vero grauiſſimis Reipublicæ negotiis adhibitus, tantam ſibi apud omnes Germaniæ Principes conciliauit auctoritatem, vt ipſe CAROLVS Imperator eius opera in bello Schmalkaldico vteretur. Et vero illud de ipſo quaſi adagium circumferebatur, *incaſſum ab aliis agi, quod actum ab Eckio non fuiſſet.* Quantum in re literaria tum ipſe profecerit, tum aliis præſtiterit, noſtra maxime Academia teſtis eſt, cui per annos ferme tricenos Patronus & Curator præfuit. Viros certe doctiſſimos ex omni Europa ingentibus præmiis ſolicitauit, ad Scholam Ingolſtadienſem vt venirent. Qua re id effecit, vt teſte *Viglio Zwichemo* homine extraneo nulla tunc in Germania exiſteret Academia, noſtræ præferri quæ poſſet. Quam autem ſolicite & diſciplinam academicam, & diligentiam Præceptorum curauerit, Acta Facultatis Artiſticæ ſingulis fere paginis teſtantur. De cetero laudatur tanquam æui ſui Cato, iuſtitiæ cultor, rigidus ſeruator honeſti, & inconcuſſæ mentis vir, qui ſuum conſtanter tenebat curſum, nihil fauori, nihil odio vnquam tribuere viſus. Auitæ Religionis catholicæ propugnator erat acerrimus; adeo, vt filio ſuo *Oſwaldo* amplas ſuas poſſeſſiones eo ſolum pacto ſupremæ voluntatis tabulis ſaluas eſſe voluerit, ſi eandem perpetuo religionem foueret. Bibliothecam ſuam libris præcipue ſacris inſtructiſſimam teſtamento legauit Patribus Societatis IESV, quorum eximius erat fautor, ac primarius poſt GVILIELMVM Ducem patronus. Curator Vniuerſitatis in *Leonardi Eckii* locum ſuffectus eſt *Georgius Stockhamerus a Liechtenhag*.

Eo-

A. 1550.

Eodem anno commigrarunt Ingolſtadium Patres de Societate IESV, a Sereniſſimo Boiorum Principe ALBERTO acciti: inter quos primi fuere, *Nicolaus Gaudanus* Doctor & Profeſſor, obiit Louanii anno 60. *Petrus Caniſius* Nouiomagus D. Theologus & Profeſſor Ordinarius. *Ioannes Baptiſta Brancacius* Neapolitanus.

* Perperam hic pleraque *Rotmarus ſcripſit*; quod ex ſuperioris anni hiſtoria patet: certiora dabo. *Claudius Iaius*, quem non tam ad docendum, quam ad conſtituendum Societatis IESV Collegium cum *Salmerone* & *Caniſio* Ingolſtadium acceſſiſſe ſupra retuli, cum cerneret poſt obitum Ducis GVILIELMI ac *Leonardi Eckii* circa negotium illud nihil ſerio iam agi, ad Cardinalem Auguſtanum rediit. Inde porro miſſus Viennam, poſt erectum ibi primum in Germania Societatis Collegium, paulo poſt in Domino quieuit. Eius laudes *Engerdus* his verbis deſcripſit:

Claudium Gayum Allobrogem fuiſſe & Doctorem ac Profeſſorem, & de Societate Ieſu, teſtatur monumentum, quod illi in Schola ſua poſuere Theologi, quorum teſtimonium tanti apud me eſt, vt omnibus actis & ſcriptis anteferam. Placidiſſimorum perhibetur morum fuiſſe, vt qui non eruditione ſolum excelluerit, ſed & pietate, & cum pietate doctrinam, & cum doctrina parem coniunxerit pietatem, atque adeo, vt ſi quisquam alius in noſtra Academia, certe ille cum apud infimos medioſque, tum etiam ſummos & prudentiſſimos certam quaſi ſanctitatis opinionem ſibi compararit. Factus eſt omnibus omnia, iuxta D. Paulum, omnibus ſalutaris & charus. Vnus ex illis primis decem fuit, qui SS. Societatis Ieſu autores & fundatores extiterunt: Venit Ingolſtadium anno 1548. (1549.) & intra primum annum abiit, hinc euocatus Viennam Auſtriæ: ad ea quæ ſemper in pectore tenuit, & ob oculos habuit, æterna migrauit gaudia, anno ſalutis humanæ M. D. LII. Grandæuæ hunc virum ætatis fuiſſe auguror, quanquam in actis Theologorum fiat *Claudii Gaii* mentio, ſine vllo Epitheto, anno 43.

* *Alphonſus* quoque *Salmeron*, intra primum ab aduentu ſuo annum, cum Epiſcopo Veronenſi *Aloyſio Lipomano*, qui legatione apud Cæſarem functus hac tranſibat, relicta Academia in Italiam diſceſſit. Summam is, quamdiu quidem apud nos fuit, cum in legendo tum in diſputando laudem obtinuit; quanquam ſemel duntaxat diſputauit, cum Hiſpanus quidam e Sacellanis Cæſareis promotore *Fannemanno*

A. 1550. *manno* doctoralem lauream eſt conſecutus. Iuuat hic addere, quæ Ioannes Engerdus in Academiæ Ingolſtadianæ Parte VII. de *Salmerone* adnotauit.

Alphonſus ille *Salmeron* Hiſpanus D. Theologus, vnus fuit ex primis decem Societatis Ieſu Patribus, qui vna cum *Claudio Gayo* Allobroge, ac *Petro Caniſio* Belga, Doctoribus Theologis, Anno Domini 1548. (1549.) ad Academiam noſtram venit, publiceque SS. Theologiam legit; ſed alio vocatus, intra primum abiit annum. Quanta vero huius tam excellentis viri ſit eruditio, & dicendi flumen, ex illo facile apparet, quod Venetiis, cum ampla rerum & verborum vbertate, ac ſingulari eruditione in Eccleſia, de verbo Dei concionaretur; alter vero illius collega *D. Iacobus Lainetz* & docte & dilucide, ſed magis accommodate ad popularem intelligentiam; magnus vterque merito fuerit æſtimatus atque in pretio habitus, adeo vt in prouerbium illis abierit, a *Lainetzio* ſplendida Chriſtianis auditoribus exhiberi conuiuia, & in iis fercula ſuauiter condita, & bene conciſa ac præparata ſimul apponi; ab *Alphonſo* autem conuiuia perquam magnifice ac ſplendide ornari, eaque non ad cuiusuis guſtum communem inſtitui, neque ſine aliquo labore a quouis deguſtari poſſe.

Fuerunt inſuper hi duo ex primis Theologis in Concilio Tridentino, Viri longe doctiſſimi, cuius rei peramplum & graue teſtimonium hic adferre libet; cum enim *Lainetz* ille ſuam aliquando ſententiam in Concilio dicturus, grauiter exorſus eſt, nullum a ſe Patrem atque doctorem Eccleſiæ Catholicæ allegatum iri, niſi quem integrum iam tum legiſſet; multis deinde citatis, S. Auguſtino, S. Ambroſio, S. Hieronymo, aliisque clariſſimis Eccleſiæ luminibus, allegauit tandem etiam Toſtatum Abulenſem, admirabilem illum tot grandium librorum ſcriptorem. Hoc profecto omnes Oecumenici Concilii Patres ſumme fuerunt admirati, quod vnus ſcilicet homo tantæ & tam abundantis eſſet lectionis. Viuit ille *Salmeron* prouectioris iam ætatis etiam nunc hoc anno 1581. in Regno Neapolitano, & Eccleſiæ Catholicæ ſalutarem nauat operam.

* De libris editis *Salmeronis* & aliorum vid. Bibliotheca Scriptorum Soc. Ieſ.

* Pro

A. 1550.

* Pro Doctore *Alphonſo*, collega *Caniſio* additus eſt *Nicolaus Gaudanus* Doctor Bononienſis, paulo ante Rector Collegii Veneti, qui Paulum ad Romanos proſequutus eſt, vt compleret lectionem decedentis *Salmeronis*. Priuatim quoque adoleſcentes & Theologiæ Studioſos pleroſque inſtituit, & in diſputando exercuit. *M. Petrus Schorichius*, qui cum Doctore *Gaudano* acceſſerat, alternis lectionibus Philoſophiam ac linguæ græcæ præcepta explanabat; verum & ipſe eodem adhuc anno Viennam abiit. *Ioannes Baptiſta Brancacius*, de quo Rotmarus meminit, Patribus ad tempus miniſtrabat; ſed paulo poſt Romam, unde venerat, remiſſus eſt.

Ex primis igitur tribus Societatis Ieſu Theologis ſolus iam reſtitit *Petrus Caniſius*, qui die 18. Octobris h. a. renunciatus eſt Rector Vniuerſitatis.

De hoc Magnifico Domino Rectore neſcio certe, quid ſcribam, *ait Rotmarus*; nam ſi tantum eius ponam nomen, multis & præſtantiſſimis illius viri, & de Catholica Eccleſia optime promeriti, virtutibus fit iniuria: Si Encomiaſticon inſtituam, luci intulero tenebras. Quid igitur faciam in eo, qui laudari neque a me, neque a diſertiſſimo quoque poteſt condigne. Remitto lectorem ad illius opera & diſerte & erudite & catholice hactenus edita. Si quis meliora & maiora, quam ego poſſum, ſe præſtare confidit, is viderit, quomodo de tanto heroë, tam pio viro, tam forti Eccleſiæ Catholicæ Athleta bene poſſit dicere. Ego vnum dixero: Lumen eſt noſtro tempore inter Doctores Eccleſiæ. Viuat ſibi, viuat Eccleſiæ & Religioni Catholicæ annos Neſtoreos.

Procancellarius ſeptimus, *Eraſmus Wolfius*, Doctor Theologus, Parochus apud D. Mauritium, quanquam anno 52. Vicecancellariatus officio functus ſcribitur in actis Theologorum Dominus *Petrus Caniſius* D. Theologus, & *F. Ioanni Fabri* Haylprunnenſi Licentiæ & Doctoratus gradum contuliſſe.

* Circa finem huius anni, aut certe ad initium ſequentis, Academiæ atque omnibus in illa muneribus valedixit *Balthaſar Fanemannus*, de quo *Engerdus* ſequentia:

De *Balthaſare Fanneman* pauca quæ dicam habeo, tum quia exiguo temporis ſpacio apud Ingolſtadienſes commoratus eſt, tum quod præter vnam *Michaëlis Wagner* promotionem, quæ ab ipſo adminiſtrata eſt, nihil aliud in acta de eo relatum eſt, neque quicquam etiam alii annotarunt. Fuit autem Epiſcopus Miſienſis, & Suffraganus Hildesheimenſis, Ordinis Præ-

A. 1550. dicatorum, & S. Theologiæ Doctor ac Profeſſor. Succeſſit in Procancellariatu, & lectione Domino *Marſtallero* anno 48. quo Ingolſtadium venerat, & ſolus tum erat Profeſſor, cum & *M. Michael Wagnerus* iamiam inaugurandus eſſet, & alii ex Italia expectarentur Theologi, id eſt Reuerendi Patres de Societate. Mauritianæ quoque Parochiæ per biennium præfuit. Auocatur tandem Moguntiam; quæ omnia ex Epitaphio, quod illi in Schola ſua ſtatuere Theologi, vberius intelligi poſſunt, idque tale eſt:

Balthaſar Fanneman Ordinis Prædicatorum, SS. Theologiæ Doctor, cum Cathedram ſacram aliquot annis hic rexiſſet, nec non Scholæ noſtræ Vicecancellarius extitiſſet, & D. Mauritii Paſtor oues ſuas verbo Dei paviſſet, rebus ſuis aliter conſulens, ad officium Suffraganei Metropolitanæ Eccleſiæ Moguntinenſis ſe contulit, vbi ſacras cæremonias, conſecrationes, & alios pios ritus fœliciter obeundo, ex hac vita ad immortalem translatus eſt.

Quando ſit mortuus, ignoratur. Pulſum autem ego Hildesheimio arbitror, feruente adhuc Lutheraniſmo; alioquin conditionem & locum mutare vix illi conceſſum fuiſſet.

* Siqua fides haberi poſſit libello Scriptoris anonymi, *Hiſtoire Eccleſiaſtique d'Allemagne, à Bruſſelles* 1724. *Tom. I. p.* 155. factus eſt *Fannemannus* Hildeſienſis Suffraganeus anno 1540. & obiit anno 1561. In Catalogo autem Suffraganeorum Moguntinorum, ibid. p. 22. eius nomen ſilentio prætermittitur. Sed plane hoc ipſo in puncto corrigendus videtur ille Catalogus; cum enim certum ſit ex actis noſtris *Fannemannum* Moguntiam abiiſſe ad Suffraganei officium; ex altera autem parte in dicto Moguntinenſium Suffraganeorum catalogo ab anno 1548. quo *Michael Heldingus* ad Merſeburgenſem Epiſcopatum promotus eſt, ad annum vſque 1569. quo *Stephanus Weberus* Suffraganei Moguntini munus ſuſcepit, nullus alius notatus ſit Suffraganeus, extra omne dubium videtur poſitum eſſe, *Balthaſarem Fannemannum* Moguntiæ eo temporis interuallo Suffraganei egiſſe partes, ac *Stephanum Weberum* habuiſſe ſucceſſorem; qui & Eccleſiæ Miſienſis, per *Fannemanni* obitum vacantis, titulum poſt eundem quaſi hæreditario accepit.

Parochiæ Mauritianæ in locum *Fannemanni* præfectus eſt *Eraſmus Wolfius*, hactenus Collegii Georgiani Regens, qui ipſo hoc anno ſacerdotio initiatus, primum Sacrum in academico S. Catharinæ Sacello, aſſiſtente *Petro Caniſio*, ſupremo Numini litauit.

Procancellarius Vniuerſitatis eidem *Fannemanno* ſubrogatus eſt, non *Eraſmus Wolfius*, vt Rotmarus adnotat, ſed *Petrus Caniſius*; quod

A. 1550.

quod acta Facultatis Theologicæ & Collegii Societatis Ieſu apertis verbis indicant.

* Die vltima Nouembris h. a. obiit *M. Ioannes Pedionaeus*, de cuius quidem vita nihil nobis reliquum eſt, niſi Epitaphium & quædam ipſius ſcripta. Epitaphium, quod ad D. Virginem in exteriori Templi pariete orientali viſitur, eiusmodi eſt:

D. O. M. S.

Ioanni Pedionaeo Poetae, Oratoriae Facult. Profeſſori quondam celebri, Amicus virtutis commendatae cauſſa PP.

Quis, cuias, qualis iacet hic? dic vmbra! Viator
Siſte pedem, paucis accipe, cuncta dabo.
Conditus hoc tumulo eſt Ioannes Pedionaeus,
Ex Argentina qui dabat vrbe genus.
Ingenio memori clarus, fandique peritus,
Orator felix, atque Poeta grauis.
Ille Arpinatem retulit ſermone ſoluto,
Sublimem cultu carmine Virgilium.
Principis hic docuit meliores ſumptibus Artes,
Gratus ob id populo, diſcipulisque fuit.
Tandem illi ante diem fatalia ſtamina Parcae
Ruperunt huius qui decus vrbis erat.
Quod mors in corpus tenuit ſua iura, quid obſtas!
Ingenio haud potuit dura nocere tamen.
Viuit adhuc etenim celeberrima fama Poetae,
Diuini viuunt & monumenta viri.
Manibus his tu funde preces, pacemque precare,
Et diſce in Domino viuere, diſce mori.
Obiit vlt. Nouembris anno M. D. L.

Scripta *Pedionaei*, quæ quidem in publicam lucem edidit, hæc fere ſunt: *de claris Oratoribus libri duo. Elegiae. De Bello germanico* Liber, carmine heroïco. *Hymnorum liber. Odae ſeptem. Oratio de Ciceronis & Eloquentiae laudibus. Hymnus ad D. Stephanum.*

A. 1551.

ANNO DOMINI M D LI.

Rect. CXLIX. BARTHOLOMÆVS ROMVLEVS LL. Doctor & Profeſſor &c. II.

Rect. CL. M. GEORGIVS THEANDER, S. Theologiæ Baccalaureus Formatus &c. II.

In-

A.

1551. Inſcripti 289.

Nobiles, *Philipp. Schinle* zu Vnterreutenhagen, Rauensburgenſ.
Ioan. a Schwende, Can. Salzburg.
Ioan. Conrad. ab Hernau.
Ioan. Rupert. Paumgartner a Fraunſtein.
Wolfgang. de Schmiben.
Henric. de Preyſing, Can. Friſing.
Chriſtian Szoie, Liuonienſ.
Ioan. Georg. Auer, de Linz.
Ioan. Thomas Muſſel de Erenreit.
Valentin. Truchſes de Henneberg, Franco.
Leonard. Zeilhofer de Starzhauſen.
Ioan. Adam. de Grünbach, Can. Herbipol.
Ioan. Melch. Zobel de Gibelſtatt.
Ioan. Ioachim. Hundbiſs.
Ioan. Albert. a Preyſing, Can. Patauienſ.
Ioannes a Maxen.
Carol. Fugger de Kirchberg & Viana, *Ioan. Iacobi* filius.
Henric. a Nazmaiz, Pomeran.
Carolus a Schwending, Sueuus.
Nicolaus Sarlo, Baro Polonus.
Ioannes Bockaroſchi, } Poloni.
Andreas } *Pferemſchi*, } Poloni.
Petrus } *Pferemſchi*, } Poloni.
Iacobus Witdeſchi, } Poloni.
Georg. Poludoſchi, } Poloni.
Ioan. Vdalricus a Luttmansdorf.
Wernerus a Pienzenau a Kemlet, Can. Eichſtett.
Ioan. Wolfgang. Khozauer.
Gulielm. a Redwitz.
Chriſtophor. de Choyſeut, Mireuallenſ. Gallus.
Hieronym. } *Ebinger* a Balzhaim, Vlmenſ.
Vdalricus } *Ebinger* a Balzhaim, Vlmenſ.
Carol. Reichlin a Meldeck.
Simon von Berg, Can. Bamberg.
Chriſtoph. Georg. Giſs a Giſſenberg.
Philipp. a Droë, Can. Moguntin.

Pan-

A. 1579.

Pangratius de Rabenſtain, Can. Bamberg.
Benedictus a Stozingen.
Sigismund. a Rott.
Pallas ab Oberſtain, Can. Spirenſ.
Ioannes, } *Valentin. Matthias*, } a *Deutenhofen.* *Ioan. Mattheus*, }
Sigismund. a Than.
Ioannes a Sandt, Can. Herbipol.
Nou. Prof. *M. Abraham Löſcherus*, Ling. Græc.

Inter inſcriptos præcipue memorandi: I. *Carolus Fuggerus*, *Ioannis Iacobi Fuggeri* filius; annum circiter 71. Præfectus Stipatorum regis Hiſpaniæ, & tumultuantibus Belgis dux militum pro eodem rege, tandem captus a Statibus Belgicis, ſed libertati nuper hoc ipſo anno 79. DEI ſingulari beneficio reſtitutus. Heros proceræ ſtaturæ. II. Frater *Aegydius Carl*, Ordinis D. Benedicti Salisburgi ad S. Petrum, eiusque Monaſterii Prior, qui ſingulariter a Sereniſſimo Principe commendatus erat. III. Reuerendus D. *Ioannes Fabri* Hailprunnenſis, Ordinis S. Dominici: vir ſingularis eruditionis, qui fortiter contra hæreticos pro fidei Catholicæ incolumitate pugnauit, cum ſcriptis, tum viua voce. Multos enim annos in Eccleſia Auguſtana apud D. Virginem concionatus eſt. Friburgi Briſiacorum laureas in Theologia, Ingolſtadii vero doctoralia recepit inſignia.

* Initio ſcilicet anni ſequentis, promotore *Petro Caniſio*, qui eidem poſtea in Cathedra eccleſiaſtica Auguſtæ Vindelicorum ſucceſſit.

IV. *Martinus Pegius* ex Pillingretz Carniolanus, apud Ingolſtadienſes in Doctorem promotus, poſt Reuerendi Capituli Salisburgenſis Syndicus, nunc vero Reuerendiſſimi ibidem Archiepiſcopi iam multis annis Conſiliarius, & in Conſiſtorio aſſeſſor. Tranſtulit multa in iure in ſermonem Germanicum, impreſſa Ingolſtadii, & de Schematibus iuſtum edidit librum, vir, quod admiratione dignum, tam in Theologia, quam iure periciſſimus, ac pene etiam αὐτοδίδακτος

* V. *Pallas de Oberſtain*, Canonicus Spirenſis, tempore ſtudiorum hic mortuus, & apud Patres Franciſcanos ſepultus.

A. 1551. Hoc anno Studioſorum omnium computus eſt factus, & qui tum literis dabant operam Ingolſtadii, ſunt reperti numero 660.

Anno eodem, 4. Cal. Martii, Regens noui Collegii eſt conſtitutus *M. Ioannes Spreterus* Rotwillanus, & a nobili ac magnifico viro ac Domino *Georgio Stockbamero*, Sereniſſimi Principis Conſiliario & Scholæ Patrono confirmatus. Deſignatus eſt hic ipſe *Spreterus*, nouo quodam exemplo, cum non eſſet presbyter, quemadmodum nec anteceſſor eius fuerat, Regens dicti Collegii; præfuitque eidem laudabiliter annos 4. Inde Rotwilam profectus per complures annos in Iudicio ſeu Conſiſtorio Imperiali Cancellarium egit, cui officio nuper renuntiauit, eique in munere Cancellarii ſucceſſit vir optimus, idemque doctiſſimus, & poëta inſignis Dominus *Ioannes Hildeprandus Meckherus*, Rotwilanus LL. Doctor.

* *Wolfgangus Gotthardus* & *Wolfgangus Zettelius*, ambo de Schola noſtra optime meriti, ille Grammaticæ latinæ & Ciceronis; hic Dialectices & Philoſophiæ Ariſtotelicæ Profeſſor ordinarius, conqueſti hoc anno ſunt, ſtipendium annuum vigiliis & laboribus, quibus quotidie in bonum ſtudioſæ iuuentutis deſudarent, minime reſpondere, nec in tanta annonæ ac rerum omnium caritate alendæ familiæ ſufficere; auctarium igitur petiere; quod ipſis Patres Facultatis concordibus ſententiis conceſſere, decem ſcilicet quot annis florenos, ex ærario Facultatis interea ſoluendos.

Hoc ni fallor anno, aut forte ad finem ſuperioris, *Zoannettus* noſter Iurium Profeſſor Romam profectus eſt, ab ALBERTO Duce miſſus ad IVLIVM III. Pontificem, vt triennales decimæ ex bonis Clericorum a PAVLO III. Duci WILHELMO conceſſæ, de nouo confirmarentur; atque inſuper Monaſteriorum quorundam prouentus Vniuerſitati ita vnirentur, vt Profeſſores inde annua ſtipendia acciperent. Circa decimarum Clericalium renouationem negauit IVLIVS ſuum conſenſum: Quod ad Monaſteriorum vnionem cum Studio Ingolſtadienſi; reſpondit, ſe cum Epiſcopis Salisburgenſis Prouinciæ ſuper eo negotio conſulturum. Hæc *Laurentius Hochwartus* in Catalogo Epiſc. Ratisbon. Lib. III. apud *Oefelium* Script. Rer. Boic. Tom. I. pag. 237. Præterea vid. Append. diplomat. ad hosce Annales an. 1551.

AN-

ANNO DOMINI M D LII.

A. 1552.

Rect. CLI. FRANCISCUS ZOANNETTVS, LL. Doct. & Profeſſ. II.

Rect. CLII. IOANNES SPRETERVS Rotwilanus, noui Collegii Regens.

Inſcripti 158.

Nobiles, *Georg. Balthaſ. a Ramſchwag.*
Ioan. Albert. Muffel.
Chriſtoph. } *Ernestus* } *Ranchenperger*, de Salzburg.
Franciſcus de Eltershouen.
Ioan. Chriſtoph. Herbartus, (*Herwart*) Patrit. Auguſt.
Chriſtophorus de Auffeſs, Can. Eichſtett.
Rainaldus Szoye, Liuonienſ.
Henricus a Stockheim.
Nicol. Georg. de Egloffſtain.
Wernerus Hector a Freiberg, Can. Auguſt.
Ioannes Schenk a Schenkenſtain.
Ioan. Sebaſt. a Parſperg, Can. Eichſtett.
Henric. a Langenmantel, Patrit. Auguſt.
Sigismund. de Auffäſs zum Freyenfels.
Chriſtophor a Seckendorf.
Henricus a Waldenfels.
Ioan. Sigismund. Muffel.

Nou. Doct. *Petrus Vabe*, Presbyter Treuirenſis, *Theol.*
Ioannes Fabri, Hailbrunnenſ. Ord. S. Dominic. Conc. Cathedral. Auguſt. Vind. *Theol.*
Ioannes Albinus de Ionnsdorf, Sileſius, *Medic.*

* Ex nouis Academiæ noſtræ alumnis fuere hoc iterum anno complures, qui ſubſequentibus temporibus præclaros in viros euaſerunt. I. Nobilis *Chriſtophorus Ranchenberger* Salisburgenſis, ſupremus poſtea Archiducis FERDINANDI Camerarius Oeniponti. II. *Sigismundus Viehauſer* Landauienſis, I. V. Doctor, ALBERTI primum Ducis Conſiliarius, ac demum Imperatoris RVDOLPHI Vicecancellarius. III. *Ioannes Hegenmüller* Auguſtanus, ipſe quoque a RVDOLPHO II. ad Cancellarii dignitatem euectus. IV. *Henricus Langenmantel* Patritius Auguſtanus, Prætor poſtea Ingolſtadienſis, vir doctus ac prudens. V. *Thomas Seld*, Eichſtadianus, I. V. Doctor, Conſiliarius Epiſcopi Auguſtani, & Academiæ Dilinganæ Gubernator.

A. 1552. VI. *M. Ioannes Roth* Naumburgenſis, in Iuris vtriusque Doctorem creatus, vna cum *M. Ioanne Synapio* Wismonenſi in petitione Doctoratus & promotione Collega. VII. *M. Nicolaus Reiſchner* Halberſtatenſis, in Doctorem iuris promotus. VIII. *Ludouicus Chriſtophorus Reinher* Haidelbergenſis, & *M. Caſparus Marchardus* Wormatienſis, ambo ſimul Doctores creati.

* *Petro Caniſio* & *Nicolao Gaudano* Theologiæ Profeſſoribus noua hoc anno migratio indicta eſt; cum enim FERDINANDVS Rex Auſtriam magis, quam Bauariam periclitari, atque nouis his ſubſidiis indigere Pontifici perſuaſiſſet; & ALBERTVM quoque Bauariæ Ducem generum ſuum, qui ægre Patres dimittebat, tandem ad conſenſum permouiſſet, miſſo cum literis nuncio regio, Viennam illos deſcendere juſſit. Fuit vero *Caniſii* maxime, ſumma apud Ingolſtadienſes exiſtimatio; quippe quorum animos non ſolum docendo in ſchola ſibi conciliauit, ſed frequenter ſacris etiam adhortationibus ad pietatem & profectum ſpiritualem excitauit. Primum latinos ſermones habuit ad Academicos in Collegio Georgiano, ubi *M. Eraſmus Wolfius* tunc Regens nouum illi ſuggeſtum poſuit; deinde ad conciones germanicas, quæ plus vtilitatis apud populum polliceri videbantur, conuertit animum; ac initium quidem fecit in ſacello Leproſorum; tum in ædicula S. Crucis, extra portam ab eadem S. Cruce dictam; aliquoties etiam in Templo Diui Mauritii, magno vbique populi concurſu. Semel habuit diſputationem publicam de Communione ſub vtraque ſpecie, cum ſcilicet *Ioannem Fabri* Doctorem crearet. Plura de *Caniſio* Engerdus:

In deſcriptione Domini *Balthaſaris Fannemanni* dictum eſt anno Domini 1548., cum reformatio ab Illuſtriſſimo Principe ALBERTO quinto, in Schola fieret, vnum tantum eo tempore fuiſſe Theologum, Dominum *Fannemannum*, expectatos autem alios Theologos ex Italia. Mea opinione illi ipſi fuere expectati Reuerendi Patres de Societate Ieſu, qui ſecundo anno poſt, hoc eſt, 50. ab Illuſtriſſimo Principe ALBERTO, mortuo parente anno 49. petiti & vocati Ingolſtadium aduenerunt.

* Corrigenda hæc ſunt ex dictis anno 1549.

Inter primos autem fuerunt Theologi Reuerendus Pater *Petrus Caniſius* Nouiomagus, & *Nicolaus Gaudanus*, Doctores Theologi & Profeſſores. Quorum aduentu, reliquis Theologis ſuam conferentibus operam, Domino *Wagnero* & Domino *Theandro*, & quaſi coniunctis viribus vnum omnibus enitentibus, quan-

quantum S. Theologia caput extulerit, nec poſſum, nec volo dicere, cum nec priora dormitarint tempora. A. 1552.

Hoc tamen, citra veterum Doctorum, atque ipſius etiam Domini *Eccii*, Theologi & doctiſſimi, & in diſputando, religionemque propugnando fœliciſſimi & fortiſſimi Hectoris, iniuriam facile affirmaro; longe & elegantius, politiusque, & compendioſius nunc pene omnes tradi docerique literas, quam apud maiores noſtros fieri eſt ſolitum. Idque ego ſeculi potius illius barbariei, quæ in omnes ſcientias vim ſuam exeruit, quam ipſis Doctoribus, quos acute, ſubtiliter & docte ſcripſiſſe & diſputaſſe conſtat, tribuo.

Hoc itidem ſine iactantia dixero, noſtram Scholam nulli alteri Germaniæ Academiæ, quantum ad Theologos attinet (nam de reliquarum Facultatum doctoribus nunc non ago, dicturus de iisdem poſtea) facile ceſſuram, tum eorum ratione, qui iam olim docuere, & partim diem vitæ ſuæ clauſere ſupremum, partim adhuc in Eccleſiæ & religionis Catholicæ incolumitatem & ſingulare ornamentum viuunt, tum etiam (abſit & inuidia, & adulatio dicto) adhuc docent.

Sed ad propoſitum, & incomparabilem virum *Petrum Caniſium* diuerto, cui tamen Encomiaſticum minime polliceor, ſed id tantum præſtiturum, vt eum obliuione apud poſteros vindicem, & is qualemcunque inter Theologos poſſit habere locum: dicam tamen, quod ſentio: Vir eſt diuini propemodum ingenii, & eruditionis incomparabilis, Philoſophus eximius; quod illi pene cum omnibus Patribus de Societate commune eſt; Theologus profundus, & lectionis infinitæ, quod cum plurimis, ſed quod illi neque omnino cum multis, neque omnino paucis eſt commune, Orator valde eloquens, Eccleſiaſtes pariter grauis & iucundus.

Probauit & eruditionem ſuam & eloquentiam & in dicendo prudentiam (namque eloquentia ſine prudentia & eruditione eſt inanis garrulitas) ſæpius Illuſtriſſimo Duci Bauariæ ALBERTO quinto, cui iure ſuo & merito ſemper fuit gratiſſimus; tum etiam multis annis Eccleſiæ & vrbi Auguſtanæ, vnde diſcedens tanquam ſui amoris quoddam pignus reliquit Dominum *Gregorium Roſetum* (*Roſeſſum*). Quorum vterque quid inter medios hæreticos profecerint, quantum religionem promouerint, ipſi

A.
1552. Templi ſummi parietes etiamnum teſtantur, qui auditores concionum vix poſſunt capere. Dominus *Gregorius* adhuc magna cum nobiliſſimorum virorum frequentia & applauſu, maximo vero hæreſiarcharum cum dolore, concionatur.

Noſtri quoque, ſi qui Schmalcaldicum recordantur bellum, Dominum *Caniſium* in Templo D. Crucis extra portam, antequam deiiceretur, concionari meminerunt; ſed nec ipſius, nec Societatis nomen tum innotuerat. Rectoratus dignitatem geſſit anno 49. (1550.) quod officium ex Patribus, cum ipſimet, quam res incommoda eſſet Societati, publicis diſtrahi negotiis, intelligerent, vltroque ſeſe publicis abdicarent muniis, poſt eſt impoſitum nulli. Procancellarii officio, ſemel atque iterum, digreſſo *Pannemanno*, ex delegatione Reuerendiſſimi & Illuſtriſſimi Principis Aichſtadiani, & commiſſione eſt perfunctus.

Quantum itidem Eccleſiæ & religioni ſuis pulcherrimis libris præſtiterit, totus pene Chriſtianus nouit orbis, nec ignorant hæretici. Scripſit egregios libellos precarios, ad pietatem & deuotionem excitandam aptiſſimos: Item Martyrologium: Inter omnia vero eius ſcripta, primas facile obtinent, liber de D. Maria Virgine, D. Ioanne Baptiſta, contra Magdeburgenſes, & Catechiſmus.

In eo denique pietatis & eruditionis, vitæque integritatis, omnisque virtutum generis, quæ in eiusmodi virum cadere ſolent, quæ Eccleſiaſticos ornant & commendant, illuſtre ſtatuimus exemplum. Et quanquam iam laboribus exhauſtus, ſenioque feſſus, quieti ſeſe tradidit; illud tamen de eo vere dici a me poteſt, quod Scipionem Aphricanum de ſe dicere ſolitum ſcribit Cicero, quod nunquam ſit minus otioſus, quam cum eſt otioſus, minus ſolus, quam cum ſolus eſt, minus denique quietus, quam cum maxime quieti ſeſe tradidit. Nam & in otio & quiete de Eccleſiæ Dei negotiis, & religione Catholica apud ſe cogitat, & in ſolitudine ſecum ipſe loquitur.

Deus Opt. Max. tantum virum, tam fortem Eccleſiæ ſuæ propugnatorem, tam bene de religione meritum, lumen denique Doctorum Eccleſiaſticorum ampliſſimum & clariſſimum, quam diutiſſime ſeruet incolumem, & poſt hanc vitam, pro exantlatis eius in Eccleſiæ & religionis incolumitatem & incremen-

mentum laboribus, æternam illi æternæ vitæ coronam benigne largiri dignetur. A. 1552.

* Vid. an. 1597. quo *Caniſius* ex hac vita migrauit.
* *Nicolaus Gaudanus*, per duos fere annos *Petri Caniſii* Collega, quis fuerit, quidue hac in Academia præſtiterit, iterum ex *Engerdo* diſcimus.

Vno & eodem anno, paucis interceſſis diebus, ad Academiam acceſſit *Nicolaus Gaudanus*, de Societate Ieſu, Doctor Theologus, Collega *D. Petri Caniſii* & Legatus in Comitiis Wormatienſibus Imperatoriis: Qui quidem, quantus vir fuerit, etſi vnum mihi Imperatoris FERDINANDI primi, qui eius opera potiſſimum vti voluit, ad cuius etiam petitionem anno 1552. Ingolſtadio Viennam abiit, de eo iudicium ſufficeret; tamen & Facultatis Theologicæ teſtimonium, quod illi in ſua Schola Ingolſtadii conſtituit, placet adſcribere:

Nicolaus Gaudanus Doctor Theologus, Reuerendæ Societatis Ieſu; Vir fuit ſummæ moderationis, & qui cæteris viuendi norma rectiſſima præluxit. Hic, vt conſuleret profectui iuuenum, Ethica Theologicis iunxit, & fontes actionum moralium, & politicarum ex ſacris literis deprompſit. In quibus omnibus, cum fructus auditoribus ter maximos attuliſſet, & innumeros humanitate, & dexteritate docendi inuitaſſet, Viennam Auſtriæ ſub obedientia conceſſit, atque inde legatus Imperatorius Wormatiam ad Comitia cum ſe contuliſſet, ibi precibus Louanienſium Theologorum euictus, conſenſu Superiorum, Louanium abiit, vbi poſteaquam annos aliquot auitam religionem ſtrenue propugnaſſet, e viuis, omnibus Eccleſiæ Sacramentis rite ſuſceptis, exceſſit, Anno M. D. LX.

Primus inter eos fuiſſe perhibetur, qui Societatem Ieſu recens inſtitutam ſunt ingreſſi.

* Reliquere Patres Ingolſtadium menſe Martio, ſecundo Danubio, non ſine Profeſſorum ac plebeiorum lacrymis iter ingreſſi, aſſumto in itineris atque etiam vitæ ſocietatem *Iodoco Caſtnero*, de quo Rotmarus:

Non poſſum non optimi viri *Iodoci Caſtneri*, ſummi mei amici meminiſſe. Fuit in politiori literatura verſatiſſimus, optimus Poëta, adeo vt cum ipſe carmen ſcriberet, ſimilem ferme ſibi non haberet. Scripſit autem carmen funebre in obitum Domini *Glareani* ſane perquam elegans, cum Patritiorum quorundam adoleſcentum præceptorem Friburgi ageret. Inde reuerſus, Illuſtriſſimorum Principum ERNESTI Ducis Bauariæ & Epiſcopi

A. 1552. pi Friſingenſis: & Philippi Marchionis Badenſis Præceptor eſt conſtitutus. Quo perfunctus munere, cum & aulæ, & mundi eſſet pertæſus, poſteaquam ferme annum Ingolſtadii priuatus tranſegiſſet, Patrum de Societate Ieſu Collegium & Ordinem eſt ingreſſus. Mortuus Halæ ad Oenum, anno LXXVII.

Humanis valedixit *Petrus Apianus*, Mathematicus inſignis & Matheſeos Profeſſor, auguſtiſſimo Imperatori Carolo V. propter eam ſcientiam, cuius ipſemet Cæſar perquam ſtudioſus erat, admodum gratus, & liberaliter ab eodem donatus; Academiæ noſtræ ſingulare decus & ornamentum. Obiit vndecimo Cal. Maii, ſepultus apud Franciſcanos.

* Eius ſepulchri hodie nullum exſtat veſtigium; atque inde tanto quidem æquius exiſtimo, vt viro meritiſſimo dignum ipſius memoriæ monumentum his in annalibus ſtatuamus. Natus erat *Petrus Apianus* (paterno nomine *Bienewitz*) Leiſnikii in Miſnia anno 1495. In Profeſſorum noſtrorum numerum relatus eſt anno 1527. iam tum clari nominis Mathematicus, & a variis Academiis expetitus, vti ſupra memoratum. Poſt Carolum Cæſarem, a quo Nobilibus Imperii adnumeratus eſt, & Gvilielmvm Bauariæ Ducem, præcipuum Mecœnatem expertus eſt *Raimundum Fuggerum*, cuius maxime impenſis ſumtuoſam illam expeditionem literariam ſuſcepit, ad conquirenda ſcilicet monumenta vetera; quæ ſubin vno collecta volumine anno 1534. ſuis ſumtibus, & ſua ex officina, ſocio & adiutore *Bartholomeo Amantio* Poeta Cæſareo & Oratoriæ Profeſſore, publicam in lucem edidit, hoc titulo: *Inſcriptiones Sacroſanctæ Vetuſtatis totius orbis.* Præterea typis euulgauit *Coſmographiam*; *Aſtronomicum Cæſareum*, Carolo V. dedicatum, ac trecentorum aureorum præmio coronatum; *Quadrantem Vniuerſalem*, & alia quædam ad Geographiam & Aſtronomiam ſpectantia. Dicitur idem *Apianus* ex primis fuiſſe, qui nouam orbis partem, *Americam*, in charta exhibuit. *Chriſt. Gottl. Schwarzius* Profeſſor Altdorfinus triginta duo huius *Apiani* Opuſcula cum diuerſis ſuis editionibus recenſet.

In cathedra mathematica defuncto parenti ſucceſſit *Philippus* filius; qui licet infirma valetudine, ac Medicinæ impeditus ſtudio, æquabat tamen patrem in Matheſeos ſcientia; imo ſuperabat fortaſſis. Sed de *Philippo Apiano* alibi erit diſſerendi locus.

Obiit itidem in feſto D. Matthæi Apoſtoli, doctiſſimus vir *M. Caſparus Hermannus* Phyſices Profeſſor, cui eiuſmodi eſt Epitaphium apud Diuam Mariam Virginem poſitum:

Hæc

A. 1552.

Hanc prope, quam cernis, lector moriture, tabellam,
Gaſparis Hermanni mortua membra iacent.
Vir pius & doctus, pulchræ virtutis amator,
Hoc dum faſtoſo vixit in orbe, fuit:
Impiger ad ſummi titulum properabat honoris,
Cum venit in media mors odioſa via,
Et bene propoſiti retrahit veſtigia curſus,
Vt bona non apto tempore multa rapit.
Hoc illi coniunx poſuit gemebunda ſepulcbrum.
Fecit & officii pro ratione ſui.

E viuis exceſſit 8. Iduum Decemb. Reuerendiſſimus in Chriſto Pater, ac Princeps Illuſtriſſimus, Dominus MAVRITIVS *ab Hutten*, Epiſcopus Aichſtadianus vigilantiſſimus, Academiæ Ingolſtadianæ Ordinarius & Cancellarius, de cuius laudibus quia & plurima & excellentiſſima *Ioannes Lorichius*, tum Profeſſor Ingolſtadii, in Oratione funebri, quæ excuſa proſtat, dixit, ego nihil de eius Reuerendiſſima Celſitudine adferam vlterius.

* Ita *Rotmarus* in Annalibus: in Tomo autem Primo Academiæ Ingolſtad. Part. II. pag. 29 b. eidem MAVRITIO ſequens ſcripſit elogium:

MAVRITIVS *ab Hutten* Oſtrofrancus; eligitur ex Præpoſito Herbipolenſi, in Epiſcopum Aichſtadianum Anno Domini 1539. Præfuit ſuæ Eccleſiæ annos tredecim, menſes quinque, dies octo. Obiit anno 1552. octauo Iduum Decembris. Nobilis eſt *Huttenorum* apud Oſtrofrancos familia, belli pacisque ſtudiis præclara, ingeniis præſtantiſſimis, eruditione, & præſertim eloquentiæ facultate ſemper celebris, ſed quibus abuſi ſunt quidam. Ex ea fuit oriundus familia *Hudalricbus Huttenus*, eques auratus, literarum humaniorum & linguarum cognitione, & vtroque dicendi genere, tam equeſtri, quam pedeſtri inſignis, niſi quod in eos, quos non debebat, id eſt in Eccleſiam religionemque Catholicam, & in Pontificem linguam acuerit, & ad calumniandum oppugnationemque Eccleſiæ, diuinis ſuis dotibus abuſus fuerit. Eum morbo Gallico ſcribit conſumptum *Geſnerus*, taleque illi in Tigurini lacus inſula poſitum epitaphium.

Hic eques auratus iacet, oratorque diſertus
Huttenus vates, carmine & enſe potens.

A. 1552. Hæc ego in familiæ illius nobiliſſimæ ignominiam minime ſcribo, cum ſummis etiam loco natis quandoque ſua ſint excrementa: Sed ad Cancellarium noſtrum reuertor. *Bruſchius* illi eximiam virtutem, multiplicem doctrinam, incomparabilem morum ſuauitatem, ac plurimarum linguarum cognitionem tribuit. *Ioannes Loricbius* Hadamarius, tum Profeſſor Ingolſtadianus, qui viuum nouit Epiſcopum, eundem etiam ingenio, doctrina, rerum vſu, grauitate, prudentia, integritate & morum ſanctitate tantum fuiſſe, in oratione ſua funebri ſcribit, vt mortuo CHRISTOPHORO Epiſcopo, nemo in toto Capitulo fuerit, qui illi merito præponi, & ad Epiſcopalem dignitatem, quam inuitus & reluctans acceptare coactus fuit, poſſet euehi. Præfuit ſuo Epiſcopatui in ſumma rerum omnium confuſione, tumultuante tota Germania, prælantibus ad Ingolſtadium Schmalcaldicis, & ex Germania eiectionem Cæſari CAROLO V. ſed fruſtra minitantibus: Cælum, opinor, armis territabant. Ipſe vero Epiſcopus ſuam prouinciam a grauioribus damnis prudenter eſt tutatus: quin & fidum quibusdam Ingolſtadienſibus & præſertim Academicis præbuit refugium & aſylum. Frugalis erat Princeps, aulamque alebat non pompoſam quidem, ſed bene moratam; &, vt plurima comprehendam paucis, veri Epiſcopi officio eſt functus. Summa adhæc prudentia, & in rebus agendis componendisque induſtria clarus, ac proinde omnibus comitiis publicisque Imperii tractationibus intereſſe illum CAROLVS V. Imperator voluit: Tantum decoris, ornamenti, ac dignitatis, multiiuga eruditione ornatum eſſe adfert. Sed de his aliisque pluribus & *Bruſchius* in primo tomo Epiſcoporum, & Oratio funebris *Ioannis Loricbii* conſulatur.

Hoc ipſo anno cum MAVRITIVS DVX SAXONUM, cui Cæſar Septemuiratum contulerat, & ALBERTVS Marchio Brandenburgenſis, communis pacis turbatores, Germaniam ferro igneque vaſtarent, & fœdere cum Gallo inito, CAROLVM V. Imperatorem, nihil tale de iis meritum, ex inſperato, imparatumque inuaderent, Illuſtriſſimus noſter Princeps, quia non longe ab Ingolſtadio exercitus hoſtilis pars conſederat, vt rebus ſuis, ditionique bene conſuleret, & vrbem ſuam totius Bauariæ propugnaculum, ab hoſtium incurſu & impetu redderet tutam, muniit

A. 1552.

niit eam nouem vexillis militum. Fuere tum frequentes inter ſtudioſos & milites tumultus & conflictus; inter omnes vero nobilis quidam *a Seckbendorff*, ſtatura iuuenis procera & criſpis capillis, frequentiſſime cum barbaris militibus dicitur ſine vulnere & ſanguine congreſſus.

Erat tunc temporis Ingolſtadii doctor & Profeſſor Medicinæ, *Ioannes Veldmillerus*, etiamnum apud noſtrates notiſſimus: Is anno 46. (*vt ſupra dictum eſt*) præliantibus ante vrbem Schmalcaldicis, cum ex Aichſtadio, quo vna cum Domino *Zettelio*, coniugibus, aliisque multis, tanquam ad aſylum, ab initio belli confugerat, remittente belli furore, Ingolſtadium repeteret, neſcio quomodo a ſodalitio retractus, forte fortuna ab hoſtili duce interceptus eſt. Verum paulo poſt, & nocturno quidem tempore, vt reor, ex catenis & curru liber factus, fuga ſalutem ſibi quæſiuit. Ille igitur ipſe Dux tunc ad oppidum Naſſenfelſum caſtra habens, miſſo in vrbem caduceatore, captiuum ſuum, iure militari, ſibi reddi, aut ab eodem compenſationem pecuniis fieri, imperioſe petiuit. Quorum vtrumque cum pernegaret Dominus *Veldmillerus*, nec ſeſe hoſti ſiſtere, nec pecuniis ſatis vellet facere, dira ferro flammisque minatus eſt hoſtis. Proinde cum & ipſi Academiæ & ciuitati extra vrbem circumiacentium pagorum incendia & conflagrationes metuendæ eſſent, eo & precibus monitisque, & increpationibus Dominum *Veldmillerum* adegit Vniuerſitas, vt furentem hoſtis animum trecentis florenis pacaret; quam tamen iacturam ſi non e toto, magna certe ex parte Sereniſſimus Boiorum Dux illi compenſaſſe dicitur. Hæc erat fabulæ iſtius Cataſtrophe.

ANNO DOMINI MDLIII.

A. 1553.

Rect. CLIII. BARTHOLOMEVS ROMVLEVS &c. III.

Rect. CLIV. IACOBVS FVGGERVS *Antonii Fuggeri* filius, etiamnum cum duobus fratribus, *Marco* vrbis Auguſtanæ Præfecto, & *Ioanne Fuggeris* in viuis exiſtens.

Prorect. *M. Ioannes Spreterus* Regens Collegii Georgiani.

A.
1553. Inſcripti 184.
Nobiles, *Alexander Secundus Fugger* de Kirchberg & Weiſſenhorn.
Philipp. Adam. Granwyler.
Ioannes van den Dieſſen, Bruxellenſ. Protonot. S. R. Sedis.
Ioannes de Wiſentau.
Martin. de Eyb, Can. Bamberg.
Ioan. Erneſt. ab Harnſtat.
Sigwardus Bolſten.
Ioannes Fortſch, Francus.
Servatius, } *a Seyboltsdorf.*
Vitus Eraſmus, }
Ioan. Maurit. }
Caſpar Baſalich, Roſtochienſ.
Ioan. a Milhaim.
Hieronym. Reſch ex Plawberg, Norimbergenſ.
Helias Standfeſt de Rechelhofen.
Paccifal Zenger in Adelmanſtein.
Ludouic. Thrainer, Landishutanus.
Melchior a Perfall in Greiffenberg.
Martin Nippenburger a Scheckingen.
Ludouic. Nippenburger a Schwibertingen, Can. Spirenſ.
Leonhard. a Küngsberg, Can. Bamberg.
Nou. Prof. *Michael Wagner*, Gerolfing. Rhœtus, SS. Theol. Doctor & Profeſſor.
Nou. Doct. *M. Georg. Dichtelius*, *Medic.*

Inter inſcriptos recenſentur *Martinus Eiſengrein* Iuris Studioſus, de quo in ſequentibus: anno præſertim 78. plura dicemus. *Ioſephus Schütz*, de quo in Rectoratu eiusdem.

Obiit eodem anno, menſe Martio Ambergæ, vir clariſſimus *Eraſmus Nadler*, LL. Doctor, Illuſtriſſimi Ducis FRIDERICI Comitis Palatini ad Rhenum Conſiliarius, & Ambergæ Nariſcorum Procancellarius, ætatis ſuæ anno 46. menſe octauo. Superſunt adhuc tres eius filii, *Hieronymus*, Sereniſſimi Boiorum Ducis ALBERTI Conſiliarius, vir præclarus, & in rebus agendis induſtrius, *Sebaſtianus*, Granarius Ducalis Ingolſtadii, & *Aegidius* Conſiliarius Pataulenſis.

Ele-

Electus eſt in Epiſcopum Aichſtadianum EVERHARDVS *ab Hiernhaim* Præpoſitus Salisburgenſis, & Scholæ Cancellarius quintus. An. 1553.

Deſiit inter viuos eſſe Reuerendus Dominus *Eraſmus Wolfius*, Landiſpergenſis, primum in Academia Profeſſor Philoſophiæ, deinde anno 44. Calendis Maii Georgiani Collegii Regens conſtitutus, cui per ſexennium laudabiliter præfuit; tum vero temporis (*anno* 52. *poſt Petrum Caniſium*) Vicecancellarius, & ad D. Mauritium Parochus, quam Eccleſiam per biennium tantum rexit. Fundauit in Collegio nouo duo Stipendia, ad quæ præſentati fuere primo *Michael Chriſtl* Fridbergenſis, anno 56. & *Ioachimus Chriſteiner* anno 57. Obiit 18. Ianuarii, incredibile ſui deſiderium Academicis poſt ſe relinquens; vt qui pacate, placide & integra erga omnes fide ſemper vixiſſet. Duo habet monumenta in templo D. Mauritii, quorum alterum, quod humi iacet, eiusmodi dimetrum Iambicum habet:

Sub hac humo pius iacet
Et doctus & vir candidus,
Myſtes Eraſmus Wolfius;
Mens huius vt viuat DEO,
Moriture Lector, dic preces.

Alterum parieti affixum, cura, & impenſis *Marci Schellenbergii* Auguſtani Presbyteri, & amici eius ſingularis, cum eiusmodi Tetraſticho Elegiaco:

Hic iacet eximius veræ pietatis amator,
Wolfius ingenio rectus, & arte grauis.
Pauit oues quondam Chriſti; nunc lætior inter
Sidera conſpectu paſcitur ipſe DEI.

Habet etiam in auditorio Theologorum monumentum, quod illi pietatis & amoris ergo Theologica Facultas curauit fieri.

* Fuit *Eraſmus Wolfius* etiam Canonicus ad S. Mauritium Auguſtæ Vindelicorum. Stipendium fundauit vnicum, non duo, vt Rotmarus perperam notauit, ad modum Fundationis Georgianæ. Iure præſentandi gaudent Decanus & Senatus philoſophicæ Facultatis. Siſtitur Candidatus ex familia Wolfiana, vel hac deficiente, ex vrbe patria Landſpergenſi, cenſus ſtipendii annuus ſunt viginti quinque floreni. Hodie fundatio Wolfiana coniuncta eſt cum duobus aliis ſtipendiis Collegii Georgiani;

A. 1553. giani; & ex his tribus conflatum eſt ſtipendium, ſic dictum *Philoſophicum*.

Facultatis Theologicæ Prodecanum primo anni huius ſemeſtri agebat *Ioannes Fabri*, quem Doctorem creatum ſuperiori anno diximus. Huic acceſſit *Michael Wagnerus* tanquam Profeſſor Theologiæ ordinarius, & inde a prima die Octobris ſacræ Facultatis Decanus. Procancellarius Vniuerſitatis in *Wolfii* locum ſuffectus eſt *Georgius Theander* ad D. Virg. Parochus; licet nec Doctor, nec Profeſſor Theologiæ tum eſſet.

M. Sebaſtianus Reiſacherus Oettingenſis menſe Maio huius anni ad gremium Facultatis Artium recipi petiit; quod & propter inſignem, qua pollebat, eruditionem facile obtinuit.

A. 1554.

ANNO DOMINI M D LIV.

Rect. CLV. MICHAEL WAGNERVS, S. Theol. Doct. & Profeſſ.

Rect. CLVI. FRANCISCVS ZOANNETTVS Bononienſis, LL. Doctor & Profeſſor, &c. III.

Inſcripti 181.

Nobiles, *Arſacius Eyſenreich* a Weilbach.
Wolfg. Theodoric. Schieck, Patrit. Auguſt.
Chriſtoph. Hilliprandt, Carinth.
Ioan. Iacob. a Schwangaw.
Hieronym Walter, Patrit. Auguſt.
Benignus a Chaſſoy, Burgundus.
Ludouic. Knebel a Kazenelenbogen, Can. Wormat. & Auguſt.
Wolfg. Chriſtoph. Lung, ex Tandern.
Ioan. Henric. } *a Tauffkirchen*, fratres.
Ioan. Georg. }
Anton. Chriſtoph. Relinger, Patrit. Auguſt.
Georg. Chriſtoph. Rorbeck, ex Hofdorf.
Chriſtoph. ab Adelzhofen.
Euſtach. von Roſs, ex Riettenberg.
Dionyſius Bonieg, Pomeranus.
Reymarus Zaſtrow, Pomeran.
Theobald. a Stain de Landstroſt, Can. Auguſt.

Iulius

Iulius Auer, Can. Patauienſ. A. 1554.
Cuno a Walprun, nobil. Rhenenſis.
Balthaſar Ochſenbach ex Wald.
Franciſcus a Rye Baro Burgundus.
Ioannes Goder ex Reichenhall.
Ioannes Baro de Haſſenſtain.
Marquard. } *a Freyberg*, fratres.
Otto, }
Ioannes ab Harneck. (fort. *Horneck*)
Ioan. Andreas } *Barones a Wolfſtain*, fratres.
Wilhelm. Eraſm. }
Ioan. Wernher. Notbaft ab Hohenburg.
Albardus Gele, Mindenſis.
Nou. Prof. *Georg. Theander* (Gottsmann) SS. Theol. Doct. & Prof. Paroch. ad D. Virg. & Vniuerſit. Procancellarius.
Ioannes Fiſcher, Wembdingan. Medic. Doct. & Prof.
Nou. Doct. *Georg. Theander*, vt ſupra. } *Theol.*
Michael Dornfogel, Möskirchenſ. }
Ioan. Spretter, Rottwilanus, *vtriusque Iuris*.

In numero inſcriptorum præter ſupra memoratos magis præcipui: I. *Wolfgangus Lutz*, Landiſpergenſis, poſt LL. Doctor, & Cameræ Imperialis apud Nemetes aſſeſſor. II. *Henricus Preinning* (*Noricus*) Medicinæ Doctor. III. *Ioannes Hen*, Ordinis S. Spiritus Prælatus, & Magiſter domus hoſpitalis Wimpinenſis, & eiusdem Ordinis admonitor. IV. *Ioachimus Zaſius*, S. Theologiæ Doctor & in Parochia Mauritiana *Eraſmi Wolfii* ſucceſſor; magni illius *Vdalrici Zaſii*, Iurisconſulti inter Germanos primi, & Profeſſoris Friburgenſis filius; *Vdalrici* vero *Zaſii*, Vicecancellarii Cæſarei frater germanus. Renuntiauit Parochiæ neſcio, quas ob cauſſas, rediitque Friburgum: vbi primum Eccleſiaſtæ officio apud Reuerendum capitulum Baſilienſe functus eſt, poſt vero etiam in Canonicorum eiusdem capituli adſcriptus numerum. Multæ ſunt illius auditæ mihi conciones: Fuit pene diuinæ eloquentiæ, ſed ſurdaſter. Obiit Friburgi Briſiacorum.

* *Ioachimus* hic *Zaſius* cum admitti petiiſſet ad curſum, quem tunc vocabant, biblicum, atque ea occaſione admonitus eſſet de temerariis quibusdam ſermonibus, indigne ferens paternam admonitionem, irarum

A.
1554.

rum plenus diſceſſit nemine ſalutato. Poſt aliquot tamen ſeptimanas, neſcio quo ſpiritu impulſus, mutatus rediit, & prima Theologiæ laurea a Doctore *Wagnero* fuit inſignitus. Hæc cum ex actis Theologicis certa ſint, *Zaſius* profecto Theologiæ Doctor nondum erat, cum ad nos acceſſit; quo tamen caractere ipſum Rotmarus notauit.

V. *Ioannes Pfrontner*, Notarius aliquando noſtræ Academiæ, nunc vero temporis LL. Doctor, & Curiæ Ducalis, Cameræque aduocatus Monaci ſupremus. Vir doctus, humanus, prudens, diligens & induſtrius. VI. *Wilhelmus Wiſpeckhius*, (*Hallenſis*) etiamnum inter viuos agens, Profeſſorem Oratoriæ per complures annos in Academia noſtra egit, nunc priuatus viuit Monaci, & propter podagram lecto affixus, interim tamen iuuentutem in bonis literis inſtituens. VII. Tunc temporis Patronus fuit Academiæ D. *Stockhamerus de Liechtenhag*, Conſiliarius Sereniſſimi Principis, cuius itidem filius eſt inſcriptus.

* VIII. *Paulus Fabricius*, Laubenſis Sileſius, qui cum menſe Aprili ad Academiam noſtram veniſſet, a Reuerendiſſimo Epiſcopo EVERHARDO commendatus, & vtramque ex Artibus ac Philoſophia lauream petiiſſet, eodem adhuc menſe ſibi impertiendam; quamuis rarum ac inſolens eſſet per ſaltum quemquam promoueri, obtinuit tamen, quod petiit, poſtquam inſigne prorſus ſpecimen ſcientiæ mathematicæ (hanc enim profitebatur) publice ediſiſſet. Gradu Magiſterii octauo Calendas Maii inſignitus, Viennam Auſtriæ abiit, vbi regio ſtipendio conductus Mathematicam docere iuſſus eſt.

IX. *Philippus Dobereiner*. X. *Georgius Euerhardus*, *Nicolai Euerhardi* ſenioris filius. XI. Amicorum non poſſum non meminiſſe. Inſcriptus eſt eodem anno *Antonius Heckhel*, Strasburgenſis Carinthiacus, qui cum a iuuentute pene in egeſtate vixiſſet, ſeque hinc inde in Scholis triuialibus aluiſſet, tandem arridente nonnihil fortuna, duorum fratrum *Selbherorum* Purckhuſienſium Præceptor factus, Ingolſtadium eſt tranſmiſſus, vbi fæliciter curriculo Philoſophiæ decurſo, Magiſteriique inſigniis acquiſitis, anno 68. eius curæ & diſciplinæ commiſſus eſt Illuſtris Comes *Ioannes ab Ortenburg*, quicum exteras inuiſit regiones: In cuius ſeruitio cum honeſtiſſima conditione etiamnum vitam agit.

* Cum hoc anno *Georgius Theander* & *Michael Dornfogel* Concionator Auguſtanus Doctorum Theologiæ inſignia ex manu *Michaelis Wagneri* reciperent, Procancellarium agebat *Ioannes Fabri*, qui ad eum actum Auguſta aduenerat.

Die

Die 27. Decembris *Ioannes Spretherus* I. V. Doctor a regimine Collegii Georgiani diſceſſit; electusque interea eſt Viceregens *M. Hieronymus Zieglerus*; dum tandem die 18. Febr. ſequentis anni ex conſenſu Sereniſſ. Ducis ALBERTI per Decanum & totum Conſilium Facultatis Artiſticæ præſentatus eſt Regens *M. Ioſephus Schütz* Stutgardianus, ex Ducatu Wirtenbergenſi: præfuit vno tantum anno. A. 1554.

ANNO DOMINI M D LV. A. 1555.

Rect. CLVII. BENIGNVS DE CHAFFOY Burgundio, Biſantinus.

Rect. CLIIX. M. IOSEPHVS SCHYTZ, nobilis Stutgardianus, & Regens Collegii noui.

Inſcripti 167.

Nobiles, *Eleazarus Waldenſperg.*
Achatius } *Wilhelmus* } *a Nuſperg.*
Chriſtoph. Regauer ex Vockling.
Ladislaus Kersdörfer ex Riettenburg.
Caſpar. de Sigershofen.
Hector a Daxſperg.
Ioan. de Viermunden, Weſtphalus.
Otho a Wolmerkhauſen, Weſtphal.
Arnoldus de Viermunden, Can. Paderborn.
Ludouic. Schrenk, Can. Monacenſ.
Ioan. Wilhelm. Reiffenſtein.
Ioan. Beatus de Fay, Alſata.
Valentin. ab Eickſtett, } *Erneſtus Börk*, } *Magnus a Wedel*, } *Theodoricus a Schwerin*, } *Ioachimus Wopersnaw*, } Pomerani.
Wolfgang. Münzer, de Bamberg.
Henricus Velker a Freyberg.
Philipp. Schultheiſs de Hall.
Iſgramus von Achlen, Brabantinus.
Chriſtoph. Herwardus, Patrit. Auguſt.

A. 1555.

Ioan. Pomorzanius, Polon.
Waltherus de Hirnhaim, Can. Eichſtett. & Auguſt.
Ioan. de Hirnhaim.
Conradus de Riedhaim.
Stanislaus Starensky, Boſnonienſ. Polon.
Stephan. a Falsdorf, Can. Ratisbon.
Wolfgang. a Weneckendorf, Saxo.
Carolus Czeyka de Wolbramowitz in Leſchan, Bohem.
Lucas Volpertus a Schwalmpach, Can. Wormat.
Caſpar. Baur, de Waldſee.
Sthephan. Balthaſ. Nothafft, de Neumarkt.
Hermannus von der Malſpurg, Haſſus.
Anton. Comes ab Ortenburg.
Maximil. Comes Fuggerus, *Iacobi* filius.
Chriſtoph. Awer, Bauarus.
Florian. a Seybelsdorf.
Frideric. Baro a Limpurg, S. R. I. Pincerna hæredit. ac ſemper Frey.
Ioan. de Cloſen.
Philipp. Eduard. Comes Fuggerus, *Georgii* filius.
Chriſtoph. Bernard. } *Antonius* } *de Seyboltsdorf*, fratres.
Ioan. Henric. Nothaft.
Wilhelm. Dauid a Nusdorf.
Erneſtus } *Hugo* } *a Rechberg*, fratres.

Nou. Prof. *Martin. Hofmann*, *Comiander* dictus, Buchholzenſ. ex Miſnia, Medic. Doct. & Prof.

Nou. Doct. *Ioannes a Via*, Colonienſ. *Theol.*
M. Martin. Hofmann, vt ſupra. } *Medic.*
M. Ioannes Schauppius, Pforzenſis. }
M. Ambroſius Prechtel, Ratisbonenſ. }
M. Ludouic. Bebelius, Tubingenſ. }

Benignus de Chaſſoy, qui erat ſine Vicerectore, diſceſſit in ipſa Rectoratus adminiſtratione, reſignato prius Academicis Magiſtratu, rationibusque redditis. Subſtitutus eſt *Michaël Wagner* SS. Theologiæ Doctor.

In-

A. 1555.

Inter inſcriptos erant I. *Wolfgangus Holl* (*Halenſis*) nunc temporis Suffraganeus Aichſtadianus, vir apprime doctus, id quod conciones eius in publicum emiſſæ de Indulgentiis, aliaque teſtantur ſcripta, pius & vitæ integerrimæ. Louanii creatus eſt SS. Theologiæ Licentiatus: in Italia vero (*Romæ*) eiusdem Facultatis Doctor. II. *Philippus Eduardus Fuggerus*, *Georgii Fuggeri*, ſummi, dum viueret, Matheſeos Patroni, ex *Vrſula a Liechtenſtain* Tyrolenſi filius, qui adhuc in viuis eſt, habens Baroniſſam *a Khinſeckh* &c. matrimonio ſibi coniunctam.

* III. *Ioannes de Via*, Coloniæ Agrippinæ natus, deinde Presbyter ordinatus Treuiris, ac a maiori Eccleſia Wormatienſi ad concionatoris munus aſſumtus, hoc anno Theologiæ Doctor apud nos creatus eſt.

IV. Inſcriptus itidem eſt *Fridericus Sandbolzerus*, Mecænas meus ſingularis, qui eo ipſo anno, quo hæc commentari incepimus, hoc eſt, 78. in ipſo feſto D. Iacobi, Conſtantiæ, plenus dierum, & laboribus fractus, pie e viuis deceſſit, dignus omnino, qui cum pro ſuis in me beneficiis qualemcunque a me, ſi non mercedem, remunerationemque, cum ſoluendo nunquam fuerim, certe gratitudinis teſtificationem, etiam fato iam functus, reportet, tum vero, propter ſingulares virtutes, quas omnes ſunt in eo admirati, exhauſtosque in Religione Catholica tuenda, honeſtisque promouendis diſciplinis labores, poſteritati commendetur.

Fuit natione Rhetus, Veldkirchianus, *D. Iacobi Ionæ* Vicecancellarii Cæſarei ex ſorore nepos. Cum iam fundamenta Latinæ linguæ iecisſet, ab auunculo miſſus eſt Moguntiam, ibidemque & Magiſterii adeptus eſt inſignia, & publicus factus Profeſſor. Tum etiam Theologiæ operam dare cæpit, cuius aliquando pertæſus, ad Medicinæ ſtudium tranſiit: & in vtroque ſtudio ita fœlices progreſſus fecit, vt æque Medicus, atque Theologus iure ſuo dici potuerit.

Peragrata Italia, aliisque inuiſis regionibus, ad Theologiam regreſſus eſt, & abſoluto Studiorum curriculo, ita & Diuina diſponente prouidentia, & amicis ſuadentibus, ſacris eſt initiatus. Anno igitur 48. cum propter Religionis diſſidium Conſtantienſis Clerus Cellæ Ratolphi, ad lacum Venetum exularet, ibidem Canonicorum Eccleſiæ D. Stephani Conſtantienſis, eſt

 adſcrip-

A. 1555. adſcriptus numero. Cui Collegio per 30. annos laudabiliter & vtiliter præfuit, per viginti vero quinque, tempore periculoſiſſimo, & in ſumma rerum omnium confuſione, vrbisque Conſtantienſis perturbatione, cum jam per Imperatorem reſtitutus eſſet Clerus, domumque rediiſſet, animarum curam geſſit, ſuggeſtuique tanta fælicitate præfuit, vt non Catholicos ſolum, ſed & hæreticos in ſui admirationem pertraheret, & aliquot centum Zwinglianæ hæreſis ſectatores ad gremium Eccleſiæ & Religionem Catholicam labentibus annis reduceret.

Anno igitur 56. ad Ingolſtadianam diuertens Academiam, ſub Decanatu Domini *Michaëlis Wagneri*, 20. die Ianuarii Doctoralia, in S. Theologia recepit inſignia. Fuit ſingularis eruditionis vir, ingenii acutiſſimi, prudentiæ & in rebus agendis induſtriæ admirabilis, miræ humanitatis, conſiliis expeditus, conuerſatione iucundus, in egenos perquam liberalis, Studiorum ſummus Mecænas, domi frugaliter, ſed tamen honeſte nec ſordide viuens, hoſpitalis καὶ φιλόξενος: nunquam otioſus, ne in ſummo quidem otio, nunquam ſolus, etiam cum maxime eſſet ſolus: neque fere vnquam ſolus vel otioſus eſſe poterat, cum præter officium paſtorale, munus concionandi, quod ſuſtinebat, priuataque ſtudia & curam domeſticam, iam conſultum adiretur, vt neque prandendi liberum aut cænandi illi pene concederetur tempus; iam ad tribunal pro interceſſore pertraheretur, iam ad ægrotos vocaretur, iam inuiſeretur ab exteris, aut negotia ſui Capituli & Eccleſiæ tractaret, aut denique Epiſcopi intereſſet conſiliis.

Tantæ fuit apud Senatum ciuicum autoritatis, vt orator accederet nunquam, quin exorator diſcederet (neque enim non niſi re bene penſiculata Oratoris & interceſſoris ſuſcipiebat munus) adeo, vt cum in priuatis petitionibus, tum vero in ſuggeſtu publice docendo, linguam eius a Suadela inſeſſam crediſſes: ita omnia, quæ docebat, Apollinis quaſi oracula cenſebantur ab auditore, qui ab eo, quo vellet ille, dicendo facillime pertrahebatur.

Vixi ego integrum annum 71. Conſtantiæ, illius conuerſatione & auxilio frequenter & mirifice delectatus. Aetatis ſuæ annum 75. attigit, in cuius obitum clariſſimus vir ac Dominus

Phi-

Philippus Menzelius Medicus & Profeſſor Ingolſtadienſis, in gratiam iplius amicorum, vna cum Domino *Ioanne Engerdo* Poëſios Profeſſore, carmen eruditum ſcripſit: & ego iuſtum Epicædium, quod moriturus a me abſente petiit, nuper contexui. Frater eius *Iacobus Sandboltzer* inſcriptus eſt anno 51. die 10. Sept. qui & ipſe obiit. A. 1555.

* *Ioannes Fiſcherus*, Wemdingæ anno 1524. patre Conſule natus, ac Wittenbergæ anno 1548. Artium Magiſter, Bononiæ vero anno 1553. Medicinæ creatus Doctor, cum Norimbergæ aliquamdiu Medicinam factitaſſet, ad anni ſuperioris finem eiusdem Profeſſor publicus hac in Academia conſtitutus eſt. Sed cum de Religione parum catholice ſentire deprehenſus eſſet, ſua iterum ſtatione decedere hoc anno iuſſus, Onolzbachium ad tempus diuertit, dum pro *Leonardo Fuchſio* populare ſuo Tubingæ demortuo, cathedram ibidem medicam obtineret; vbi & ipſe vitam poſuit anno 1587. ætatis 63.

Martinus quoque *Hofmannus*, quem ſupra inter nouos huius anni Profeſſores adnotâui, *eam prouinciam* (vt verbis vtar *Griemwaldii* in Albo Bauariæ Iatricæ) *ob horridum, quod cum Viſchero incurrit*, ἀπο-στασίας *crimen extemplo relinquere coactus*, in patriam, Miſniam, rediit.

Sereniſſimus Dux ALBERTVS quam ægre nuper, anno 1552. in diſceſſionem Patrum Societatis conſenſerat, tam modo ſerio agebat de iisdem reſtituendis, ac plane ſtabiliendis. Res per duos potiſſimum viros, *Wiguleum Hundium* & *Henricum Schweickerum* transacta eſt; ac ille quidem Viennam ablegatus, a FERDINANDO Rege *Caniſium* repetiit, qui Collegium Ingolſtadii ad normam Viennenſis inſtitueret; hic vero Romam miſſus eſt ad *Ignatium de Loyola*, vt totum de nouo Collegio negotium cum ipſo conficeret. In autumno huius anni Doctor *Caniſius* Praga, vbi de inſtituendo Collegio laborauerat, huc aduenit: Adſunt paulo poſt Monachio *Wiguleus Hundius*, Academiæ poſt *Stockhamerum* Patronus, *Simon Eckius* tunc Burghuſii Cancellarius, & *Henricus Schweickerus* cum alio quodam Cameræ Conſiliario. Hi cum diu multumque de loco, & forma ædificii, quod pro nouo Collegio Architectus *Stella* depinxerat, ac de variis aliis conditionibus deliberaſſent, tandem menſe Decembri concluſum eſt, vt habitationi Patrum eadem, quæ nuper, veteris Collegii pars aſſignaretur, donec de loco opportuniore proſpiciendi occaſio ſe offerret; attributis interea iis ſubſidiis, quæ ad geminos Theologiæ Profeſſores alendos ſufficerent, & ad aperiendam ſcholam publicam, in qua pueri tum ex ipſa ciuitate, tum aliunde accedentes gratis erudirentur. Hæc & alia quædam mutuarum conditionum capita mox in tabulas relata, quarum exemplum vnum Sereniſſimo ALBERTO Monachium; alterum *Ignatio a Loyola* Romam transmiſſum eſt, vna cum literis eiusdem Principis, quibus petiit, vt quamprimum fieri poſſet, ſocii mitterentur, qui habitationi Ingolſtadienſi initium facerent.

A. 1556.

ANNO DOMINI M D LVI.

Rect. CLIX. IOANNES BAPTISTA WEBER, Iuris vtriusque Doctor & Profeſſor Inſtitutionum Ordinarius.

Rect. CLX. GEORGIVS THEANDER, SS. Theol. Doct. & Profeſſor, Academiæ Procancellarius & Parochus Academicus. III.

Inſcripti 203.

Nobiles, *Cornelius* / *Hadrianus* } *van der Myl*, Hollandi, fratres.

Ioan. Vdalric. Sinzenhofer.
Ioan. Iacob. de Dondorf.
Otto Henricus de Wemdingen.
Ioannes Aphalter a Rheu, Auſtriac.
Caſpar Schenbeck.
Chriſtoph. a Schönburg.
Iac. Philipp. de Thierhaim.
Guilielm. Comes in Oettingen.
Ioan. Franc. de Gaisberg.
Bartholom. Fluggius, Patrit. Norimberg.
Octauianus Fugger.
Henric. Rembold, Patrit. Auguſt.
Chriſtophor. / *Euſebius* } *Peutingeri*, Patrit. Auguſt. fratres.
Mattheus / *Hieronym.* } *Aufang*, Salisburgenſ. fratres.
Ioannes Baro a Limpurg, S. R. I. Pincerna hæreditar.
Ioannes a Krelshaim.
Leonardus Comes ab Ortenburg.
Hieronym. Birkholz.
Henricus Zobel, Francus.
Philipp. Chriſtoph. Diemar, Can. Wurceburg.
Andreas Lochner, Can. Herbipol.
Ioachim. Preter, / *Thomas Ketzler*, } Patrit. Norimberg.
Ioan. Adam. a Franberg.

Victor

Victor Auguſtus Fugger. An. 1556.
Philipp. Wolfgang. a Sulz.
Ioan. Georg. Zobel, Can. Herbipol.
Nicaſius Magenſreuter in Deiffing.
Wilhelmus] *a Scalis*, Domini in Verona & Vin-
Ioan. Warmund.] centia.
Ioan. Wolfgang. a Wart.
Ludouicus ab Altorf, dictus *Wolſchlager.*
Andreas a Wickershaim.
Nou. Prof. *Ioannes Couuillonius* S. I. Inſulenſ. Flander. *Theol.*
Hermannus Thyreus, S. I. Noueſienſis, *Theol.*
Laurentius Gryllus, Landishutan. *Medic.*
Sebaſtianus Reiſacher, Oettingenſ. *Philoſ.*
Theodorus Peltanus, S. I. *Ling. Græc. ac Hebraic.*
Nou. Doct. *Fridericus Sandelholzer*, Conſtantienſ. Canon.] *Theol.*
Gabriel Thalhamer, Fronhofenſ.] *Theol.*
Dauid Schiferdecker, Plauenſis, *Iur. utr.*
Caſpar Greislin, Babenhuſanus,] *Medic.*
Georgius Marius, Argentinenſ.] *Medic.*
Leuinus Andreas Ceruleus, ſiue *a Plauen.*] *Medic.*
Balthaſar Conradinus.] *Medic.*

* Rector huius anni æſtiuus fuit *Ioannes Baptiſta Weberus*, qui deinceps ducalis Regiminis Landishutani Cancellarius; mox Imperatoris FERDINANDI Conſiliarius; dein Imperatori MAXIMILIANO II. a Conſiliis ſecretis; ac tandem Imperii Vicecancellarius exſtitit.

Inter inſcriptos erant I. *Octauianus Fuggerus*, *Georgii Fuggeri* filius, iuuenis præter ætatem doctus. II. *Leonhardus Comes ab Ortenburg* Bauariæ. Ortenburgenſium in Bauaria ſtirps & familia in vno Comite ab Ortenburg, iam ſene & cui nulla ſpes eſt prolis amplius, conſiſtit, quo defuncto tota Ortenburgenſium familia interit. Filius eius Comitis, qui etiamnum viuit, in migratione ad Ducem Wirtenbergenſem, cuius ſeſe addixerat ſeruitio, mortuus eſt prope Khelhaim oppidum Bauariæ, cum antea domi, (ſi verum eſt, quod dicitur, neque tamen ego affirmo) egregie cum imaginibus Diuorum pugnaſſet, & iis vltimum quaſi vale dixiſſet.

A. 1556. * Loquitur *Rotmarus* de Comitibus *Ortenburgenſibus Bauaricis*, quos in Acad. Ingolſtad. Parte IV. pag. 56. ab *Ortenburgenſibus Carinthiacis* diſtinguit.

III. *Thomas Soll*, nunc vtriusque Iuris Doctor & Syndicus Capituli Aichſtadiani. IV. *Aegydius Nadler*, Doctor Iuris poſtea factus, nunc temporis Conſiliarius Patauienſis. V. *Ioannes Baro a Limpurg*, Illuſtris ſane illa eſt apud Francos Orientales familia, ex qua complures prodierunt Epiſcopi, nempe Georgius Pabenpergenſis, Erasmus Argentinenſis, Gottfridus Herbipolenſis: & quidam alii; ex enumeratis primi duo parentum noſtrorum, & pene noſtra quoque vixerunt memoria. VI. *Victor Auguſtus Fuggerus*, *Ioannis Iacobi* filius, qui nunc temporis Canonicatu Patauienſi & Præpoſitura Ratisbonenſi potitus.

* VII. *Ioannes Georgius Zobel* de Gibelſtat, Canonicus primum Wurceburgenſis, demum anno 1577. Bambergenſis Epiſcopus.

VIII. *Ioannes Offlinger* Salisburgenſis, quem ego, cum adhuc in viuis ſit, veteris commilitii & amicitiæ ergo, tacere non poſſum, Iudicis munere apud Salisburgenſes nunc temporis fungitur in Cœnobio D. Petri. IX. *Guilielmus & Warmundus a Scalis*, Domini Veronæ & Vincentiæ, fratres Germani, quorum parens vrbis Præfectum Ingolſtadii ante annos aliquot egerat.

* In locum *Fiſcheri* ac *Hofmanni*, Medicinæ Profeſſorum, menſe Ianuario huius anni ſucceſſit *Laurentius Gryllus* Landishutanus; qui, cum *DD. Fuggerorum* liberalitate per magnam Europæ partem, pretioſam peregrinationem obiiſſet, eorundem etiam commendatione ad huiatem Medicinæ cathedram vocatus eſt a Sereniſſimo Duce noſtro Alberto. Cumque ſiniſtro quodam caſu, antequam lectionibus publicis initium daret, femur confregiſſet, ne communi ſtudioſorum vtilitati deeſſet, nulla ferme valetudinis habita ratione, fracto oſſe nondum plene obfirmato, munus ſibi iniunctum auſpicatus eſt, & pro recepta conſuetudine, loco ſolennis, vt vocant, principii, orationem *de peregrinatione ſua, ſtudii medicinalis ergo ſuſcepta*, in Muſeo priuatim, multis tamen doctis viris & ſtudioſis iſthic congregatis, e lectulo recitauit, die 10. Ianuarii.

Ioſephus Schützius noui Collegii Regens die 9. Aprilis hoc munere ſe abdicauit; quod poſt ipſum ſuſcepit *M. Stephanus Reittmair* de Rohr.

Ipſo S. Willibaldi feſta die, hoc eſt, ſeptima Iulii, viri religioſi Societatis Ieſu, quos ab Alberto Duce Roma expetitos dixi, Ingolſtadium tenuerunt. Erant numero octodecim, & *M. Thomam Lentulum*, Nouio-

Noniomagenſem Geldrium Rectorem habebant, quem ipſum albo Academiæ inſcriptum reperio. Comiter ac beneuole a Patribus academicis ſunt excepti: adfuere primarii ex numero Profeſſorum, *Weberus* Rector, *Zoannettus*, *Euerhardus* & *Agricola*, qui aduentum gratularentur. Poſt triduum cum ex publico hoſpitio in Collegium vetus immigrarunt, latina oratione ſalutati ſunt a *Georgio Theandro* Vicecancellario. *Couuillonius* & *Thyrrhæus* Theologiæ Doctores & Profeſſores iuſſu Sereniſſimi Principis ad Conſilium mox admiſſi ſunt, præſtito prius iuxta ſtatuta Vniuerſitatis iuramento. Sed cum de aperiendis Scholis artiſticis ageretur, tricæ quædam inter Magiſtros Artium & Patres Societatis exortæ ſunt; ſcilicet hi, cum certis fixisque redditibus gratis alerentur, ad ſuas, quas in Collegio Georgiano inſtituebant, inſtructiones gratis admiſere diſcipulos; id quod multos ex Artium Magiſtris offendebat, illos nempe, qui hypodidaſcali potius, quam Magiſtri, Optimatum, Nobiliumque inſtructiones captabant, vt victum ſibi inde, patrociniumque compararent. Verum cum paulo poſt ipſius ALBERTI Ducis literis nouelli Præceptores commendarentur, quies fuit ad tempus reſtituta. *M. Theodorus Peltanus*, cuius mentionem Rotmarus ingerit, fuit patria Geldrenſis, iam antea linguarum latinæ, græcæ, hebraicæ, atque etiam Rhetorices Profeſſor Neapoli. De reliquis vid. Append. diplomat. pag. 291. A. 1556.

Sebaſtianus Reiſackerus, vir, vt Acta loquuntur Artiſtica, doctiſſimus, cum menſe Octobri h. a. ad Collegium Facultatis Artiſticæ peteret admitti; ac publice etiam, vt moris tunc erat, eum in finem diſputaſſet, absque omni excuſatione & longiori mora ad dictum Collegium receptus eſt.

ANNO DOMINI M D LVII. A. 1557.

Rect. CLXI. GVILIELMVS DE SCALA ex antiqua Veronenſium familia oriundus.

Prorect. *Ioannes Baptiſta Weber* D. &c.

Rect. CLXII. GVILIELMVS COMES IN OETING.

Prorect. *Michaël Wagner*, S. Theologiæ Doctor &c.

Inſcripti 202.

Nobiles: *Gallus a Labenberg*.

Hieronymus Neidhard, *Matthæus Rauchſchnabl*, *Wilhelmus Rauchſchnabl*, } Patritii Vlmenſes.

A. 1557.

Matthæus, *Marcus* } *Hofer* de Vrfarn.
Ioannes a Freiſing, Iunior.
Chriſtoph. Wilhelm. Puſch.
Ioan. Wilhelm., *Simon*, *Balthaſar*, *Nicaſius*, } *Geier* de Oſterberg, Auſtriaci.
Ioannes Roſenberger, Patrit. Auguſt.
Fridericus, *Cyriacus* } *Haydenreich* a Bideneck, Tirolenſ.
Seuerinus Comes Fuggerus, *Ioannis Iacobi* filius.
Carolus Baro de Paumgarten.
Petrus Skotbnizki, *Petrus Herbortt*, *Albertus Warzitzki*, } nobil. Poloni.
Fridericus, *Gebhardus*, *Carolus*, } *Barones a Waldburg.*
Otto Chriſtoph. Giſs a Giſſenberg.
Valentin. Ruſswurm a Predingen.
Ioan. Paul. *Ioan. Frideric.* *Philippus*, } fratres *Herwart*, Patrit. Auguſt.
Carolus, *Raimund.* } fratres *Im Hoff*, Patrit. Auguſt.
Chriſtoph. a Fronhofen, Can. Ratisbon.
Ioan. Nicol. a Pernhauſen, Can. Wimpinenſ.
Antenor de Zoannettis, Bononienſ.
Ioannes Aldenburg, Zuſeldorpienſ.
Ioſephus a Lamberg.
Caſpar Kirchperger.
Ludouicus a Rott.
Georg. Deſider. L. B. in vet. & nou. Fronhofen, Bauar.
Otto Necker von der Scheer.
Wolfg. Wilhelm. a Wildenſtein.
Ioan. Zachreis de Markelhofen.

Georg.

A. 1557.

Georg. Reich, Patrit. Norimberg.
Ioan. Georg. Muffel de Ermreut.
Ioan. Georg. Riederer de Barr.
Ioan. Ludouic. a Gumpenberg in Petmes & Eyrnpach.
Ioan. Chriſtoph. a Seybeltsdorf in Ritterswert, poſtea Can. Ratisbon. & Salisburg.
Lucas Kraſſowiski, ſiue *Craſſouius*, Polon.
Ioan. Albert. a Parſperg.
Eberhard. Schenking, Weſtphal.
Alexander a Iarsdorf, Can. Auguſt.
Philipp. Straſſer ex Salzburg, Parochus Berndorf.
Wolfg. Chriſtoph. ab Elrichíng.
Ioan. Georg. a Tanberg.
Ioan. Gottfrid. a Seckendorf, Can. Bamberg.

Nou. Doct. *Iacobus Noguerra*, Arragonius, *Theol.*

Rector hyemalis, *Guilielmus Comes in Oetting*, adhuc in viuis eſt, multorum iam liberorum parens, & curiam ſuam in arce Wallerſtain prope Nördlingam habet, rerumque, parente nuper mortuo, potitur.

* Ex inſcriptis præter plures ſupra memoratos memorandi veniunt I. *Iacobus Noguerra* Arragonius, FERDINANDO Cæſari a ſacris, Eccleſiæ Viennenſis in Auſtria Decanus, quem Sereniſſimus Dux noſter ALBERTVS ſpecialiter ſacræ Facultati commendauerat, vt ſupremus in Theologia gradus eidem conferretur; quod etiam die 13. Februarii, promotore *Michaele Wagnero* factum eſt.

II. *Fridericus*, *Gebhardus* & *Carolus a Waldpurg*, Barones & fratres germani. Ex iis *Gebhardus* anno ſuperiori 78. in Septemuirum & Archiepiſcopum Colonienſem electus eſt.

* Hic poſtea Lutheranis ſe adiunxit; ductaque vxore *Agnete Mansfeldia*, a ſua ſede expulſus, in Hollandia obiit anno 1601.

III. *Albertus* & *Wolfgangus Hungeri;* de *Alberto* alibi: *Wolfgangus* anno 71. Bononiæ LL. Doctor creatus eſt, nunc temporis Illuſtriſſimi Principis PHILIPPI Marchionis Badenſis agit Conſiliarium. IV. *Rhodolphus Khlenck* Saxo Theologus, de quo anno 78. V. *Georgius Lautherius* (Ehingenſis) de quo alibi. VI. *Abrahamus Strobelius* Ambergenſis: nunc temporis in aula Principis Secretarii interioris munere fungitur: multum ſibimet ipſi debet, ſuisque

 labo-

A.
1557 laboribus; plurimum vero agnato ſuo *Eraſmo Vendio*, cuius opera, promotione ac ſubſidio haud parum emerſit.

* *Sixtus Lebl* de Libenzell, e Diœceſi Conſtantienſi, Modiſta & Arithmeticus.

Inuiſit eodem anno Academiam noſtram, honoris ergo 3. Calend. Aprilis Reuerendiſſimus & Illuſtriſſimus Princeps ac Dominus OTTHO Truckhſeſs, S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, & Epiſcopus Auguſtanus.

* Referuntur hæc in Actis Facultatis Theologicæ ad annum 1558. vbi additur OTTONEM Cardinalem, Viennam profecturum ad Scholam noſtram diuertiſſe, ac diſputationi Theologicæ, quam *Hermannus Thyrrheus* inſtituit, interfuiſſe.

Hoc anno 13. die Septembris obiit vir incomparabilis, pietate, eruditione & vitæ integritate ſummus, quique orbem pene terrarum nominis ſui gloria impleuit, relictis poſt ſe ingenii ſui & admirandæ eruditionis pulcherrimis monumentis, de re denique literaria optime meritus, *Vitus Amerbachius*, ætatis ſuæ anno 54. inſpectantibus parentis mortem tribus filius, & vna filia moniali, qui adhuc omnes ſuperſtites ſunt. Habet monumentum apud D. Virginem ad portam ſuperiorem Borealem. Eius poſtea docendi munus *Sebaſtiano Reiſachero* eſt commiſſum. Viuat vterque DEO.

* De *Amerbachio* anno 1543. quædam præmiſſa ſunt. Iuuat hic Scriptorum illius, quæ mihi quidem innotuere, catalogum deſcribere. *Antiparadoxa, cum orationibus de laudibus Patriæ & ratione ſtudiorum. De Anima. De Philoſophia naturali. Commentarii in Ciceronem de Officiis; in eiusdem libros Topicorum. Paraphraſis in orationem pro L. Archia; in alios Ciceronis libros. Carmina varia, atque Scholia in Poetas veteres. Orationes*, I. *de Natali Chriſti*; II. *de Doctoratu Philoſophico*; III. *Oratio Diui Epiphanii de fide Catholica & Apoſtolica Eccleſia, ex græco in latinum verſa. Præcipuæ Conſtitutiones Caroli M. de rebus Eccleſ. & Ciuil. e Cœnobio Tegernſeenſi prolatæ, cum præfatione & adnotationibus Amerbachii, typis Ingolſtad. anno* 1545. *excuſæ. Exhortatio ad Carolum V. Imperatorem. Querela de corrupto ſtatu horum temporum ex corrupto eruditorum dicto*: Vnicuique in ſua arte credendum eſt. *Epiſtolæ Reuerendiſſimi Epiſcopi Eichſtadienſis Ioannis III.*

Obiit paulo ante, die 20. Auguſti, conſultiſſimus vir *Ioannes Baptiſta Lochner* Auguſtanus, cui in D. Eraſmi Sacello monumentum eſt erectum cum tali Epitaphio:

Tu-

A. 1557.

Terram terra petit, nos qui ſub ſole creati,
Terra ſumus, terram mox ſubiiſſe decet.
En igitur ſolo repetamus corpore terram,
Mentem, quam finxit, ſeruet ab orbe DEVS.
Sic erit impuro contenta cadauere terra,
Sic DEVS & partem poſſidet ipſe ſuam.

Eſt eidem tabulæ & aliud tetraſtichon ſane perquam elegans inſcriptum ex 37. Cap. Ezechiæ deſumptum, quod tale eſt:

Vos ſuper inducam carnes, neruosque cutemque*
Et viuetis, ait DEVS oſſibus, atque ſuper vos
Spiritus exibit, quo me Dominum eſſe ſciatis.
Sic quoque ſurgemus, ſuprema vbi venerit hora
Iudicii, qua nos Chriſti tuba ſacra vocabit.

* Quis *Lochnerus* hic fuerit, neque Rotmarus prodit, neque ego vllo indicio deprehendere potui. Videtur certe ad Academiam non pertinuiſſe.

Sereniſſimus Boiorum Dux ALBERTVS, cum turbari vehementer religionem intelligeret, perquam gratioſas ad Facultatem Theologicam ſcribit literas, quibus ſerio iubet, vt exhortationes fierent per Profeſſores Theologos ad auditores, promittitque eius S. Celſ. omnibus omnem gratiam, qui eruditione, & vitæ honeſtate proficerent. Simul etiam, ſi qui Clerici aut Sacerdotes ab hæreticis profligati Ingolſtadium aduenirent, benigne reciperentur, & liberaliter tractarentur.

ANNO DOMINI M D LIIX. A. 1558.

Rect. CLXIII. FRANCISCVS ZOANNETTVS LL. Doctor & Profeſſor primarius, IV.

Rect. CLXIV. FRIDERICVS DAPIFER A WALDPVRG Baro.

Proreçt. *Georgius Theander*, Doctor Theologus, Profeſſor & Procancellarius &c.

Inſcripti 233.

Nobiles, *Wolfgang. Löchinger* a Trauzkirchen.
Arnold. Wigileus a Seckendorf.

A. 1558.

Ludouic. Has de Lauf.
Henric. von der Lube, Megapolenſ.
Ernfrid. Comes ab Ortenburg in Freyenſtein & Carlspach.
Wilhelm. a Wiſenthau, Can. Wurceburg.
Iacobus / *Ioannes* } S. R. I. Dapiferi, Barones *de Waldpurg.*
Ioan. Iacob. a Burgaw.
Carolus Fourneus, / *Ioan. Bapt. du Boys*, } Bruxellenſes.
Haymeramus ab Haslang, Georgii Præfecti Ingolſt. filius.
Bartholom. / *Christoph.* } *Welſeri*, Auguſtani.
Georg. Stockhamer, Monacenſ.
Ioan. Christoph. L. B. in vet. & nou. Fraunhofen.
Sebaſt. Leonard. Schaumberg a Kroſten.
Antonius Comes Lodroni.
Ioan. Eberhard. a Thyrhaim, Can. Ratisbon.
Andreas Lerchenfelder a Gebelkofen, Straubingan.
Ioachim. Berner de Gœdenradt, Colonienſ. Can. Eichſtad. & Auguſt.
Hermannus Comes a Manderſcheidt, Vernenburg & Blankenheim.
Andreas Perkheiſer, Bauarus.
Ioannes a Notthaim, Can. Argentin. ad S. Petr.
Ioannes Warendorp, Monaſterienſ.
Melchior a Wick, Monaſterienſ.
Maximil. Baro a Paumgarten.
Ioan. Christoph. a Iarſtorff.
Philipp. Landhil, Viennenſ.
Gottfrid. a Wirſperg, Can. Herbipol.
Nou. Doct. *Abrahamus Lœſcherus*, / *Christophor. Grewelius*, Gribswaldenſ. } *Iur. vtr.*

Inter inſcriptos erant I. *Ernfridus Comes ab Ortenburg* &c. cuius Præceptor erat nobilis & doctiſſimus vir *M. Paulus Prunner*, de quo alias plura. II. *M. Petrus Sylvius* Flander, Societatis IESV, qui nuper rude donatus totam pene ætatem in pædagogii miſeriis conſumpſit. III. *Ioannes Wolfgangus Fr...mon* (*Freymann*,

Ingol-

Ingolſtadienſis) rotundi ingenii vir, egregie doctus & eloquens, A. 1558.
qui iam ſcriptis in Iure editis nomen ſuum fecit illuſtre. Aſſeſ
ſoris fungitur officio in Cameræ Imperialis Conſiſtorio, amicus
meus ſingularis.

* Ad ipſum Vicecancellariatus Imperii faſtigium poſthac peruenit.

IV. *Ludouicus Miller* Monacenſis, Licentiatus titulo in vtroque iure Louanii eſt inſignitus: nunc vero temporis a conſiliis eſt in aula Monacenſi, Sereniſſimo Principi ALBERTO perquam gratus, qui & adeo etiamnum Academiæ noſtræ beneuole memor, vt eius negotia, ſi quæ in aula proponantur, prompriſſime iuuet & promoueat, nec intermittat quicquam, quod ad ipſam Academiam facit, ſed etiam omnes & ſingulos Academicos fauore proſequitur, vt an humanitatem, vel bene merendi ſtudium, potius admireris, neſcias. V. *Nicolaus Hamerer* etiamnum in viuis, Doctor Legum, & Reuerendi Capituli Conſtantienſis Syndicus.

* VI. *Caſparus Lagus* (*Haas*) Rainenſis, Iurium nunc ſtudioſus, poſtea Doctor, & in hac Vniuerſitate Profeſſor ordinarius.

VII. *Iulius Micyllus* magni illius *Iacobi Micylli*, Profeſſoris Haidelbergenſis & in literatura politiori quondam celeberrimi, Græcarumque literarum & Poëſios peritiſſimi, qui inſigne de re poëtica opus conſcripſit, filius.

Sub Rectore *Zoannetto* ſex Comites, vndecim Barones, & duo Domini illuſtres Scholam noſtram vno illuſtrarunt tempore, quorum hæc ſunt nomina. *Guilielmus Comes in Oetingen*, *Hermannus Comes a Manderſchait*. *Ernfridus Comes ab Ortenburg*. *Antonius Comes Lodronii*. *Leonardus & Antonius Comites in Ortenburg* Boii. Baronum vero nomina ſunt, *Fridericus*, *Gebbardus* & *Carolus in Waldpurg* fratres. *Iacobus* & *Ioannes in Waldpurg* fratres. *Octauianus*, *Seuerinus*, *Victor Auguſtus Fuggeri*. *Georgius Deſiderius*, *Ioannes Chriſtophorus in veteri & nouo Fraunhofen*. *Ioannes a Limpurg*. Illuſtrium Dominorum nomina ſunt *Guilielmus* & *Ioannes Warmundus a Scala*, Domini Veronæ & Vincentiæ.

Hoc ipſo anno cum habitationes Studioſorum, vt reor, ciuium auaritia ad intolerabile locationis & conductionis pretium aſcendiſſent, adeo vt Sereniſſimi Principis ALBERTI de ea re mandatum, & conſtitutiones iam olim factæ, pene viderentur

exole-

A. 1558. exoleuiſſe, idem Sereniſſimus Princeps pro ſuæ Celſitudinis innata erga Studioſos benignitate, atque etiam officio & iuſtitia, deſtinatis ad eam rem commiſſariis, iterum & de nouo ſingularum ædium habitationes, quæ vel iam eſſent locatæ, vel locari alias ſolitæ, inſpici & perluſtrari mandauit, tolerabilique taxari pretio. Quæ res, licet inuitis quibusdam fieret Euclionibus, vt qui addi potius, quam de pretio adimi cuperent, intra ſemeſtris tamen ſpatium fæliciter peracta eſt, & habitationes ſingulæ iuxta delegatorum æſtimationem vel pretio relictæ priori, vel tolerabiliori ſunt taxatæ: Et taxa etiamnum in Conſiſtorio Academiæ inſcripta tabulæ, quæ a pariete dependet, retinetur.

Eodem ipſo anno CAROLVS V. Imperator faſces Imperii Septemuiris reſtituit; & omni ſcelere immanius & ante hæc ſecula inauditum facinus a nobili quodam Franco tentatum, & ab eius emiſſariis perpetratum eſt. Reuerendiſſimus enim & Illuſtriſſimus Princeps MELCHIOR *Zobel a Guttenberg*, Epiſcopus Herbipolenſis & Dux Franciæ Orientalis, a nefariæ coniurationis ſociis pridie Iduum Aprilis in ponte Mæni, equo inſidens, cum in arcem ad prandium redire cogitaret, ſolitoque ſtipatus eſſet comitatu, cum quibusdam ſtrenuis viris, pilis plumbeis crudeliter & nefarie occiſus eſt. Tam inauditi facinoris autor erat *Wilhelmus a Grumbach*, ex nobili & equeſtri Francorum natus familia, qui præſens tamen in cæde non fuit: Sociorum & latronum Dux *Khretzius* quidam: quamquam vterque iuſto iudicio DEI paulo poſt pænas ſuæ luerunt audaciæ & crudelitatis. Nam *Khretzius* non ita longo tempore poſt captus & Herbipolim ducendus, nocturno tempore ſeſe ipſemet ſtrangulauit, reddens ei animam, qui illam iam dudum irretiuerat, inſederatque. *Grumbachius* vero exul factus & extorris, & in obſidione Gottenſi in quatuor diſſectus partes, dignas ſuo ſcelere pænas dedit. Occiſi ſunt vna cum Epiſcopo *Iacobus Fuchs*, eques Francus & Cubicularius Principis; *Wolfgangus Carolus a Wenkhaim* Præfectus; Vulnerati, *Fridericus Baro a Grafeneck*, *David a Rodt*, *Chriſtophorus Voyt a Reneck*. & *Ioannes Zobelius* eques Francus. Scripſerunt hac de re duo elegantiſſima Carmina, *Caſparus Stiblinus* Heroicum, & Elegiacum *Conradus Dinnerus*, & alius quidam hiſtoriam totam iuſta eſt oratione complexus.

Mori-

A. 1558.

Moritur hoc anno, die 14. Ianuar. Reuerendus & pius vir ac Dominus *Ioannes Hortenſius (Im Garten)* Notarius Vniuerſitatis anno ætatis ſuæ 80. cui ſucceſſit *M. Ioannes Pfrontner.*

Cal. Ianuarii præfectus eſt Collegii Georgiani adminiſtrationi *M. Fridericus Liechtenauer*, confirmatus a Magnifico Domino *Hundio*, præfuit eidem vnum tantum annum.

* Acta Facultatis artiſticæ ſic habent: *Pridie Calend. Febr. Regentis noui Collegii munere ſe abdicauit M. Stephanus Reitmarius, in cuius locum ſubſtitutus eſt M. Fridericus Liechtenauerus.*

Eodem anno & quidem hoc ipſo ſemeſtri (*hyemali*) Sereniſſimus noſter Princeps ALBERTVS, cum Eccleſiaſticam diſciplinam nonnihil apud Clerum labefactatam intellexiſſet, viſitationem per ſingulas Tetrarchias Bauariæ inſtituit. Ad quod genus negotii vndecimo die Nouembris etiam Dominus *Georgius Theander* &c. eſt deſtinatus & Ingolſtadio euocatus. Vicerectoratum igitur reliquo mutationis tempore geſſit *Michaël Wagner* Doctor & Profeſſor.

Obiit Abenſpergæ, oppido Bauariæ, non procul a Neoſtadio, quod eſt infra Ingolſtadium, 28. Decembris, vir clariſſimus ac Dominus *Iacobus Ionas* Rhetus, Iuris vtriusque Doctor & Vicecancellarius Cæſareus, dum afflicta valetudine pro ſua in Imperatorem fide ad comitia Auguſtana ſequeretur. Corpus ipſius delatum eſt Ingolſtadium, quo mire properabat, propterea quod ibi ſingularem habebat amicum Dominum *Nicolaum Euerbardum* ſeniorem, in cuius ædibus ſeu reualeſcere, ſeu mori cupiebat. Sepultus eſt ante altare ſummum in Choro apud D. Virginem, cum monumento æreo, parieti affixo, vbi etiam *Ioannes de Adorf*, *Nicolaus Euerbardus* & *Martinus Eiſengreinius* in contiguis ſepulchris terræ ſunt mandati.

* Inuenio ad hunc annum, geminos ex legum ſtudioſis fuiſſe ſelectos, qui in iudiciali foro ſcholaſtico cauſſas perorarent; quod num ſuperioribus temporibus ſimiliter factum fuerit, plane ignoro.

A. 1559.

ANNO DOMINI M D LIX.

Rect. CLXV. ERNFRIDVS COMES AB ORTENBVRG, Dominus in Hericurt, & Lill.

Prorect. *Nicolaus Euerbardus* Iunior LL. Doctor & Profeſſor.

Rect. CLXVI. ANTONIVS COMES LODRONII.

Prorect. *Georgius Theander* &c.

Inſcripti 204.

Nobiles, *Conrad. de Braittenpach*, Decanus Cicienſis & Can. Erfordienſ.
Chriſtoph. Baro a Schwarzenberg.
Vdalricus a Rechenperg.
Albertus } *Ludouicus* } *a Sigesdorf* ex Klingenfeld.
Ioan. Georg. } *Ioan. Wilhelm.* } *Traupitz* a Lubsdorf.
Ioan. Conrad. a Reſenberg, Franco.
Helias Meichſner, Patrit. Norimberg.
Helias a Schönburg in Oelreching & Rorer.
Theodoric. a Landau in Allmazhauſen.
Carol. Kürgl in Furt & Suesbach.
Burkhard. } *Tobias* } *a Berlingen* in Gelterſing, fratres.
Wolfgang. Ioachim. a Weix, Can. Friſing.
Hannibal de Guidottis, Bonienſ.
Philipp. a Parſperg, Can. Ratisbon.
Wolfgang. a Bobenhauſen.
Albert. Velkerus a Knöringen, Can. Salisburg. & Eluacenſ.
Iacob. Paumgartner ab Hauſen, Patrit. Auguſt.
Sebaſtian. Langenmantel, Patrit. Auguſt.
Sigismund. de Welden & Erelzen.
Thomas Ebemius, Patrit. Auguſt.

Nou. Prof. *Alphonſus Piſanus* S. I. Hiſpanus, *Theol.*
M. Caſparus Macer, Albimœnius, *Oratoriæ.*
M. Hermes Halbpaur, S. I. Carinthius, *Philoſ.*

Nou. Doct. *Michael Schieſtel* ex Pettmes, } *Leonardus Alber*, Aichacenſ. } *Medic.*

Era-

Ernfridi Comitis Ortenburgii virtutes obſcurare dictione eſt facilius, quam abunde ſatis proſequi. Attingere proinde non auſim. Liberalitatem tamen eius in egenos noſtri etiamnum teſtantur ciues, humanitatem, eruditionem & propenſam in literatos voluntatem nondum Academici obliuioni tradiderunt. Certe ego ſingulare in Præceptorem ſuum exemplum in illo ſtatuo, tum obedientiæ, tum obſeruantiæ, vt ad ſeruitia etiam præſtanda illi, ſi paſſus fuiſſet, paratiſſimus fuiſſe dicatur, ſed etiam liberalitatis, qui munificentiſſimus Præceptoris ſui fuit locupletator, adeo vt abdicata iam pædagogia, haberet tamen, vnde ſplendide viueret, & magnam vim pecuniarum ingratis ſuis hæredibus moriens relinqueret. Sed neſciunt Hæretici bene a Catholicis partis recte gaudere.

A. 1559.

Rector hyemalis *Antonius Comes Lodronius* adhuc in viuis, cuius familia bellicis quoque laudibus eſt clariſſima, Canonicatibus Salisburgenſi & Patauienſi fruitur. Archiepiſcopo propter multas eius egregias virtutes non ingratus, doctus & humanus.

Inter inſcriptos erant I. *Adamus Landauus*, de quo anno 74. II. *Petrus Stromair* nuper vrbis Ingolſtadienſis, nunc Fuldanæ in Buchonia Phyſicus. III. *F. Ioannes Naſus* Ordinis Minorum toti Germaniæ Centuriis ſuis, Poſtilla aliisque concionibus & ſcriptis ita notus, vt de eo plura ſcribere ſit pene ſuperuacaneum. Magnus certe eſt Hæreſiomaſtyx, & Schiſmaticorum irriſor & vexator: memoriam in eo diuinam admiramur. Concionatur nunc temporis Brixiæ.

* Fuit *Naſus* natione Franco, opificio ſartor; cumque ex Fratris laici conditione ob ſingularia naturæ ac gratiæ dona ad Sacerdotis dignitatem ſuperiori anno Friſingæ admiſſus eſſet, cœpit hoc anno theologicis diſciplinis noſtra in Academia ſe imbuere. Anno 1580. ad Suffraganei Brixinenſis munus euectus eſt, quod per decem annos tenuit, mortuus Oeniponti anno 1590.

IV. *Alphonſus Piſa*, Toletanus, Hiſpanus, Societatis IESV, Medicinæ Licentiatus & Philoſophiæ ac Theologiæ Doctor & Profeſſor. V. *M. Theodorus Hanckboſchede* Weſtphalus Societatis IESV. VI. *Henricus Arboreus* Perenſis eiusdem Societatis. VII. *Caſparus Statmüller*, qui hoc anno 79. Canonum Doctor, & Officialis Aichſtadianus obiit.

A. 1559.

* VIII. *Hermes Halbpauer* Carinthius, Artium Baccalaureus, qui ex Decreto Principis non compendium aliquod doctrinæ Ariſtotelicæ, qui tunc mos hoc in Gymnaſio receptus erat, ſed textum ipſum Ariſtotelis enarrare ac profiteri cœpit; in quo exercitio annum circiter exegit, Oenipontum auocatus ad Concionatoris officium. Lectionem autem philoſophicam proſecutus eſt *M. Guilielmus Limborgius* S. I.

Cal. Ianuarii Regens Collegii noui deſignatus eſt *M. Paulus Zettelius* Althaimenſis: præfuit tribus annis. Obiit anno 79. Menſe Martio.

* Receptus eſt hoc anno idem *Zettelius* ad gremium artiſticum; *Caſparus* autem *Macer* (*Mager*) Albimænius Oratoriæ Profeſſor receptus eſt ad eiusdem Facultatis Conſilium. Scripſit *Macer* Epithalamium ad nuptias *M. Ioannis Gothardi* & *Eliſabethæ Schwendin* die 4. Octobris h. a. celebratas. *M. Petrus Syluius* Ieſuita ex pago Hauten prope Gandauum oriundus, cum ſuperiori iam anno in Collegium artiſticum recipi petiiſſet; ac reſponſum tuliſſet, moris non eſſe, vt quis illico recipiatur, niſi ſit & maneat in gremio, donec Magiſterium ſuum, ſi aduena ſit, atque etiam natales ſuos probet, & præterea publice diſputet: vehementius hoc anno eidem petitioni inſtitit, teſtificans, ſe ac ſuos hoc priuilegii ac Facultatis habere a ſummo Pontifice, recta collegiis academicis adiungi vt poſſent. Quod cum exiſtimarent Patres Facultatis aduerſari optimis ſuis conſtitutionibus, auctoritate ipſorum Pontificum romanorum, ac Ducum Bauariæ comprobatis, prioris anni reſponſis conſtanter inhæſere.

Ad huius anni finem Ingolſtadio diſceſſit *Hermannus Thyrræus* Theologiæ Profeſſor; de quo Engerdus ſequentia:

Hermannus Tyrræus Noueſienſis Belga, Doctor Theologus, in menſe Iulio Anno 1556. vna cum *M. Thoma Lentulio* Nouiomagenſi, Theologo Societatis Ieſu & Collegii Rectore, *Ioanne Couuillonio* Inſulenſi Doctore Theologo, ac *M. Theodoro Peltano* ad Academiam noſtram venit, & ſub Rectoratu Magnifici D. *Ioannis Baptiſtæ Weberi* I. V. Doctoris ac Profeſſoris, qui poſtea MAXIMILIANI II. Imperatoris Procancellarium egit, Vniuerſitatis Matriculæ inſcriptus, & vna cum Domino *Couuillonio* in Facultatem Theologicam ſuſceptus, inchoauit profiteri: Qui non ſolum publice docendo, verum etiam valde pie concionando Ingolſtadii in æde S. Sebaſtiani iuxta agrum Dei auditoribus fuit gratiſſimus. Ille anno Domini 1562. Collegii Treuirenſis Rector factus, diſceſſit, & ab eo anno ad præſens vſque tempus in diuerſis Collegiis ad Rhenum Vigilantiſſimus fuit Rector, & inſuper

Prouin-

Prouincialem egit. Eius iterum locum in Theologica Facultate occupauit *D. Theodorus Peltanus.*

ANNO DOMINI M D LX. A. 1560.

Rect. CLXVII. BARTHOLOMÆVS ROMVLEVS LL. Doct. & Prof. IV.

Rect. CLXIIX. M. PAVLVS PRVNNER, Illuſtris Comitis Ernfridi ab Ortenburg Præceptor. II. de eo vide annum 70.

Inſcripti 164.

Nobiles, *Ioannes Frölich*, Tirolenſ.
Ioan. Georg. Eiſenreich de Aicha.
Chriſtoph. Carol. Romungius, Monacenſ.
Paulus / *Caſp. Carol.* } *a Welſperg.*
Martin. Widerinus a Zara, Sileſius.
Ioan. Hector Schad de Mittelbibrach in Warthauſen, Bau.
Georg. Chriſtoph. Langenmantel, Patrit. Auguſt.
Eberhard. Sturmfeder, Can. Auguſt.
Gundaker Tanner ex Millhaim & Hagenau.
Wolfg. Henric. Lemlin, Robertshofenſ.
Thomas / *Mattheus* } *Laſſer*, Salisburgenſ.
Laurent. a Sinzendorf, Auſtriac. Can. Salisburg.
Ferdinand. Baro Fuggerus de Kirchberg & Weiſſenhorn.
Ioan. Theodoric. Rüellius, Rhenanus.
Frideric. Pitrich de Stegn.
Hileprand. de Stain, Can. Eichſtad.
Gaudentius de Rechberg.
Godfrid de Stain.
Godefrid. Saylerus, nobilis Auguſtanus.
Wolfgang. Steinhauſ a Schinchendorf.
Erhard. Vöblin a Frickenhauſen, Sueuus.
Ioannes Ecker, Bauarus.
Georg. Kuling a Threſtorf, Auſtriac.

A. 1560.

Reimer vom Wolde, Pomeranus.
Hermannus Comes in Holſtein, Schauenburg & Sternenburg, Dominus in Gemmen, Can. Colonienſ.
Adolphus a Münchhauſen.
Bertramus Quad, Montenſ.
Georg. Truchſeſs a Wetzhauſen.

Nou. Prof. *Ioannes Lonæus Boſcius*, Brabantinus, *Medic.*

Ex inſcriptis meminiſſe me oportet I. *M. Ioannis Widmeri* Salisburgenſis. Is vnus ex primis Collegii Aichſtadiani profeſſoribus fuit, vbi magna cum laude Oratoriam per triennium docuit. Reuerſus Ingolſtadium anno 68. die vero 13. Auguſti, Dialectices Profeſſor eſt declaratus. A qua profeſſione neſcio quo infortunio deturbatus, priuatam cœpit agere vitam & propriis expenſis etiamnum Viennæ Auſtriæ viuit. Erant in iisdem II. *Sebaſtianus Frantz*, nunc Theologiæ Licentiatus, Canonicus Friſingenſis, Decanus Monacenſis apud D. Virginem, & Illuſtriſſimi Boiorum Ducis ALBERTI Conſiliarius Eccleſiaſticus. III. *Philippus Menzelius*: de quo infra ſuo loco plura.

Rectore *Romuleo* factus eſt iuſſu Sereniſſimi Ducis ALBERTI ſtudioſorum, tum Ingolſtadii commorantium computus, & reperti numero ſunt circiter 500. aut vltra. Eodem quoque tempore, cum frigidior nonnihil ſtudioſorum in lectionibus viſitandis deprehenderetur aſſiduitas, ſtatuta de lectionibus audiendis renouata ſunt, & ternas lectiones ſingulis diebus ſingulis viſitandas eſſe decretum eſt: in negligentes facta eſt inquiſitio.

Obiit (*die 4. Iulii*) Reuerendiſſimus & Illuſtriſſimus Princeps EBERHARDVS *ab Hiernheim* Epiſcopus Aichſtadian. & Præpoſitus Salisburgenſis, ex nobiliſſima, clariſſima, ditiſſimaque Rhetiæ familia, patre *Waltbero*, pacis & præcipue belli ſtudiis inclyto heroe progenitus. Eligitur in Epiſcopum Aichſtadianum Anno Domini 1553. rebus Epiſcopatus pene omnibus vehementer acciſis. Acceſſit enim ad rerum gubernacula, nondum penitus pernitioſiſſimo per Germaniam ſuperiorem tumultu, & bello pene inteſtino compoſito, ſedatoque, cum ſuperiori anno 1552. non Epiſcopatus tantum Germaniæ, ſed & tota Germania

A. 1560.

mania (nihil enim in rabiem verſis ſanctum) incredibilia eſſet ab iis damna perpeſſa, qui ſe libertatis Germanicæ vindices, & patronos iactitabant, & contra Cæſarem, a quo ad ſummos erant euecti honores, arma nequiter ſumpſerant. Ipſe quoque Epiſcopatus, & vrbs Aichſtadiana iniquam emens pacem, vt ſe ſuosque ſaluaret ſubditos incolasque, ingenti ſumma pecuniæ dicitur per Marchionem ALBERTVM multata. Quinimo ne ipſo hoc quidem anno, & initio regiminis Epiſcopi EVERHARDI ſæuire contra Epiſcopos deſitum erat, & plurimum negotii, tum Epiſcopis, tum cæteris quibusdam Germaniæ Principibus, adhuc faceſſebat Marchio ALBERTVS: Veruntamen Epiſcopus EBERHARDVS ita prudenter, ſapienterque, ita moderate & æquabiliter, tum ſua adminiſtrabat omnia, tum ſeſe erga alios exhibebat, vt ab omni pene periculo & diſcrimine ſuos tutaretur ſubditos, & quaſi ſartos ac tectos redderet, ita vt minimum pene inter Eccleſiaſticos detrimentum paterentur: cum præter intolerabiles pecuniarum exactiones reliqui circumiacentes, & præſertim Franconiæ Epiſcopatus, & Norinbergenſis Resp. ferro flammisque ab eodem Marchione eſſent afflicti. Liberaliter domi ſuæ, etiam tum, cum adhuc præpoſitus eſſet Salisburgenſis, vixit, ita tamen vt frugalitatis legitimæ terminos non tranſiliret. Summum in eo erga literas & literatos viros amorem commendat alicubi *Ioannes Loricbius* Profeſſor Ingolſtadianus. Humanitate mira præditus, & omni genere virtutum præclarus fuiſſe dicitur, adeo vt ab omnibus tanto honorum faſtigio digniſſimus haberetur, & quicquid triſtitiæ, mærorisque ex optimi Præſulis Domini MAVRITII immatura, vt quibusdam videbatur (quanquam nulla mors immatura, quæ pia & naturæ conſentanea eſt) morte boni omnes contraxiſſent, id omne in huius Epiſcopi virtute, bonitate, pietate, humanitate ac clementia ponerent, cum pro eo, quem amiſerant, non tutorem modo, ſed plane alterum parentem ſibi diuinitus conceſſum intelligerent.

Obiit Anno Domini 1560. qui ſane funeſtus erat annus, propterea quod duos optimos Epiſcopos, Aichſtadianum, & circa Octobrem Salisburgenſem, confratres olim in eadem Eccleſia & Capitulo, e medio & hominum conſortio tolleret.

Ex

A. 1560. Ex hac (*Hiernbaimiorum*) nobiliſſima & vetuſtiſſima, tamque belli ſtudiis, quam pacis clariſſima familia vnus adhuc reſtat, vltimus in ea proſapia, cum virili careat prole, *Ioannes ab Hiernbaim* eques auratus, heros multarum virtutum, & quod ſingularem in eo meretur laudem, religionis Catholicæ amantiſſimus, & ſtrenuus propugnator.

Subrogatur in defuncti Principis locum Reuerendiſſimus & Illuſtriſſimus Princeps MARTINVS *a Schaumberg*, ſextus Academiæ Cancellarius.

* Accidit eo tempore, quo Eichſtadiana vacabat Sedes, vt licentia pro gradu Magiſterii impertienda eſſet. Diſputatum igitur fuit a Patribus academicis, quid Vicecancellarius mortuo Cancellario in Vniuerſitate poſſit. Re pleno in Concilio propoſita, concluſum fuit a maiori parte, licere in eo caſu Procancellario omnia, quæ ſuperſtite Cancellario licuiſſent.

Aduenit eodem anno ad noſtram Academiam *Fridericus Staphylus*, literis Illuſtriſſ. Principis noſtri Vniuerſitati commendatus, & inſpector Scholæ conſtitutus, cum conceſſa ab eodem Principe vel hiſtorias, vel bonas literas, vel res Theologicas docendi facultate, de eo anno 64. plura; & cum eodem duo inſcripti filii *Albertus* & *Fridericus*, quorum ille iam dudum obiit; hic vero menſe Maio anni 79. Doctoralia in vtroque iure inſignia recepit apud Ingolſtadienſes, cum iam antea in numerum Conſiliariorum Monaci a Sereniſſimo Principe ALBERTO eſſet aſcitus.

* Ampla illa, quaſcunque ſcientias docendi facultas, *Staphylo* conceſſa, Theologos præcipue pupugit: *Georgius* certe *Theander* ſacræ Facultatis Decanus eam rem conſultandi cauſſa ad Collegium Theologicum retulit, ne forte, ſi homo coniugatus contra Facultatis priuilegia res Theologicas tractaret, Schola Ingolſtadienſis male audiret. Verum poſt maturam deliberationem adquieſcendum eſſe voluntati Principis cenſuerunt; præcipue quod *Staphylus* ab ipſo ſummo Pontifice Theologiæ Doctor, ſplendido accepto diplomate, eſſet renuntiatus.

Obiit 14. die Martii clariſſimus vir & in arte Medica nulli ſuo tempore ſecundus, *Laurentius Gryllus*, Medicinæ Doctor & Profeſſor, vixit annos 76. Menſes 7. & dies 7. Sepultus apud D. Mariam in Sacello cereuiſiariorum,

* Cum

A. 1560.

* Cum ſequenti epitaphio; quod geminum Rotmari errorem manifeſtat, circa diem ſcilicet mortis, & ætatis annos: *Laurentius Gryllus Medicinæ Doctor & Profeſſor vixit annos XXXVI. menſes VII. & dies VII. Mortuus anno MDLX. die IV. Martii. Cuius anima viuat Deo.*

Vir magni etiamnum apud Ingolſtadienſes nominis, Medicus felicisſimus, qui artis illius perdiſcendæ gratia totam Italiam, Galliam & Germaniam peragrauit, & cum præſtantiſſimis quibusque Medicis, Chirurgis, Rizotomis & Pharmacopæis eſt conuerſatus, perquam curioſus & diligens in variorum medicamentorum conquiſitione. Fundauit Stipendium pro Medicinæ ſtudioſo 70. floren. in ſingulos annos. Reliquit poſt ſe vnicum fratrem, qui adhuc Landishutæ cauſſarum patronum agit.

* Scripſit *Laurentius Gryllus de Sapore dulci & amaro* libros duos. *Orationem de peregrinatione, ſtudii medicinalis ergo ſuſcepta*; quam *Grienwaldius* in Albo Bau. Iatric. p. 41. & ſeqq. fere integram deſcripſit, pro compendio ſcilicet Gryllianæ hiſtoriæ ſeruituram; *Tractatum de componendis medicamentis*; *de Thermis*; *Commentaria in Dioſcoridem*, quæ inchoaſſe quidem, ſed morte præuentus non abſoluiſſe a *Grienwaldio* dicitur. Narrat idem *Gryllium* CAROLO V. Imperatori, podagra in Bauaria decumbenti medicinam feciſſe; ac remunerationis loco ſcyphum argenteum inauratum multis numis aureis grauem recepiſſe. Errat vero *Griemwaldius* cum Landishuti natum fuiſſe, atque annos vixiſſe ſex ſupra ſeptuagenos ſcribit; cum patriam habuerit Althemium pagum, milliario circiter Landishuto diſſitum; atque annos nonniſi triginta ſex viuendo expleuerit; quod inſcriptio inprimis ſepulchralis demonſtrat, & acta Vniuerſitatis confirmant, in quibus *Laurentium Gryllum* Altheimenſem anno 1541. albo academico inſcriptum, anno autem 1543. Artium Baccalaureatu inſignitum fuiſſe inuenio; quæ certe notæ chronicæ cum annis ſex & ſeptuaginta ætatis conuenire haud poſſunt.

Die 13. Martii huius anni Clariſſimus I. V. Doctor *Wiguleus Hundius* Sereniſſ. Principis noſtri Conſiliarius congregato Vniuerſitatis Concilio *Ioannem Loneum Boſcium* Brabantinum, Profeſſorem Medicinæ in locum defuncti *Gryllii* præſentauit, qui die 26. eiusdem menſis Profeſſionis ſuæ initium fecit.

A. 1561.

ANNO DOMINI M D LXI.

Rect. CLXIX. GEORGIVS THEANDER S. Theologiæ Doctor & Profeſſor, & Academiæ Procancellarius, IV.

Rect. CLXX. IOANNES LONÆVS BOSCIVS, Medicinæ Doctor & Profeſſor Ordinarius.

Inſcripti 188.

Nobiles, *Ioan. Bapt. Brief*, Franco.
Albert. a Padnieno, Præpoſit. Ilſenſ. & Can. Gneſnenſ.
Albertus Żerniezki, Polonus.
Leonard. Chriſtoph.
Claudius Carolus } *Peuttinger*, Patrit. Auguſt.
Claud. Chryſoſtom.
Ioan. Iacob.
Petrus } *Renz*, Patrit. Auguſt.
Wilhelmus
Vdalricus Kobolt, Patrit. Auguſt.
Conrad. a Danhauſen.
Iac. Chriſtoph. de Pernhauſen, Can. Auguſt.
Conradus,
Ioannes,
Chriſtoph. } *a Stadion*.
Wolfg. Dieteric.
Ioan. Georg.
Ioan. Conrad. Kremp a Freidenſtein.
Chriſtophor.
Zacharias } *a Bolſtatt*, fratres.
Hieronym. a Demenſtein.
Maurit. de Altmanshofen.
Henric. Adelmann de Adelmansfelden, Can. Elvacenſ.
Bartholom. Kobolt, Patrit. Vlmenſ.
Georg. Pömerus, Patrit. Vlmenſ.
Wolfg. Ioſeph. Höhenkirchner.
Wiguleus Hofer, Monachienſ.
Haupt Marſchalkius a Pappenhaim, Can. Ratisbon.
Iuſtinus,
Iuſtinianus, } Ducis ERNESTI filii naturales.

Carol.

A. 1561.

Carol. Wolfg. Vilseckerus, Vilshofienſ.
Ioan. Chriſtoph. } *Hund* a Lauterbach & Falkenſtein,
Wolfg. Theodor. } fratres.
Vitus Schiltl, Patrit. Ratisbon.
Antonius Baro in Spaur & Vallôr, Pincerna hæredit. Comitat. Tirolenſ.
Balthaſar Koſsla, Cracouienſ.
Ieſua, } *Magenſreuter* in Teiſing.
Ingramus }
Iodoc. Ludouic. a Razenried.
Nou. Prof. *Adamus Landauus*, Islebienſis, *Medic.*
Vitus Iacobæus, Norimbergenſ. Poeta Laureatus, *Poetic.*
Nou. Doct. *Ioannes Zeidel*, *Theol.*
Ioan. Georg. Kern, Villinganus, *Medic.*

Inter inſcriptos erant I. *Sebaſtianus Knab*, anno 74. Ethices Profeſſor apud Ingolſtadienſes factus, qua profeſſione etiamnum perfungitur. Superiori anno ſcilicet anno 78. menſe Maio Iuris vtriusque Doctor factus, & anno 76. (*fortaſſe* 79.) Conſiliarius Principis apud Ingolſtadienſes conſtitutus.

Multum ille & terris, multum iactatus & alto,

dum iuuenis eſſet, illa tamen præcipua, quod cum occaſione data miles eſſet, ab immaniſſimo Turca captus in piſtrinum detruſus eſt. Liberatus ex ſeruitio, ſub duce *Balthaſare a Lamberg* iterum a piratis captus, & trabi nauis alligatus per triduum eſt circumuectus. Quin etiam annis aliquot poſt, tumultuantibus Belgis, inferiorem inuiſurus Germaniam a militibus Vranicis non ſpoliatus tantum, ſed & peſſime atque etiam ad necem vſque tractatus. Tandem tamen poſt multos errores beneficio DEI, mutata nonnihil fortuna, Patriæ redditus, & in eo, in quo nunc conſoicitur, eſt conſtitutus flore.

II. *Wolfgangus Scherelius*, etiamnum Latinæ linguæ Profeſſor. III. *Caſparus Khirchmair*, qui ſuperioribus annis in artium Magiſtrum eſt creatus; vir Græcæ linguæ valde peritus, anno 78. miſere in vinculis, fame ſordibusque enectus periit. Cauſſam aut norunt multi, aut noſſe tantum ſe arbitrantur. IV. *Vitus Iacobæus* Poeta Laureatus, de quo anno 68. V. *Hector Wegman*, de

A. 1561. quo anno 72. VI. *Marcus Stattmüller*, vir humanus & induſtrius, Epiſcopi Aichſtadiani Secretarius, eiusdemque Reuerendiſſimæ Celſitudini propter fidelia ſeruitia perquam gratus. VII. *Iodocus Oetheus* Northuſianus, Magiſter artium Erdfordianus; nunc LL. Doctor, & Reuerendiſſimi Epiſcopi Aichſtadiani Conſiliarius. VIII. *Leo Hungerus*, *Wolfgangi Hungeri*, Iuris vtriusque Doctoris & Profeſſoris filius, frater *Alberti* Vicecancellarii & Profeſſoris. IX. *Vitus Seitz* Müldorfenſis LL. Doctor, & Conſiliarius ducalis in regimine Burckhuſiano, obiit.

* X. *Philippus Menzelius* Sandſeenſis, poſtea Medicus excellentiſſimus, ac per viginti annos in hac Vniuerſitate Profeſſor.

Vigeſimo primo Iunii miſit Reuerendiſſimus in Chriſto Pater ac Dominus *Zacharias Delphinus* Legatus Apoſtolicus, ex Monachio nuntium ad Ingolſtadienſes Doctores Theologos & Canoniſtas cum literis S. D. N. Domini Pii quarti Pontificis, quibus illos S. P. ad defenſionem fidei Catholicæ hortabatur, & Doctorem Theologum & vnum Iuris Canonici ad Concilium Tridentinum mittendos poſtulabat. Senatus ſuo illos præſto futuros tempore promiſit.

* Miſſi autem poſtea ſunt ad ſacram illam Synodum *Auguſtinus Paumgartnerus* ex peruetuſta & illuſtri apud Boioarios familia, vir Iuris pontificii ſcientiſſimus, & *Ioannes Couillonius* Theologiæ Doctor atque eiusdem apud nos Profeſſor.

Petebant præterea eodem anno a Facultate Theologica, Parochum & Concionatorem Egrenſes; & Eccleſia Ratisbonenſis itidem Concionatorem.

* Quid Egrenſibus reſponſum aut conceſſum fuerit, non inuenio: Ratisbonenſes poſt aliquot annos Concionatorem a nobis accepere *Caſparum Macrum* Albimænium Artis oratoriæ Profeſſorem. Hic certe, cum poſt annum 1563. ab Academia noſtra diſceſſiſſet, anno 1570. in geminis opuſculis, quæ contra Lutheranos typis huiatibus edidit, ſe *Iuris vtriusque Doctorem, Suffraganeum & Concionatorem Eccleſiæ Ratisbonenſis* ſubſcripſit. Præferunt autem duo illa opuſcula hunc titulum: *Euangeliſche Fragſtück aus Luthers Büchern*, & *Turcico-Lutherus.* Scripſit idem *Macer*, quamdiu nobiscum fuit Orationes ac Carmina varia; & ſpecialiter hoc ipſo anno Orationem extemporaneam in funere *Andreæ Diethери* Auguſtani Collegæ ſui & Amici ſuauiſſimi.

* Ex Medicorum noſtrorum Collegio morte hoc anno ſublatus eſt *Ioannes Veldmillerus* Ingolſtadienſis, qui anno 1526. creatus Medicinæ Doctor;

A. 1561.

ctor; anno autem 1532. inſtitutus eſt eiusdem Profeſſor. Quod eius in bello Schmalkaldico fatum fuerit, ad annum 1552. relatum eſt. De literariis illius monumentis, quanquam *Khuſnerus* iunior in Oratione anno 1542. publice apud nos recitata eorum meminerit, nihil mihi hactenus inuenire licuit. In vacuam Medicinæ Cathedram die ſexta Octobris eiusdem anni aſſumtus eſt *Adamus Landauus* Islebienſis, Medicinæ Doctor.

* Magiſtri ſeu Præceptores priuati nouas hoc anno querelas per *Wolfgangum Zettelium* ad Patronos Vniuerſitatis Monachium detulere aduerſus Ieſuitas, quod diſcipulos ad ſuas ſcholas pertraherent, magno illorum malo atque incommodo, quippe quibus inde præcipua & lucrandi panem, & altiora ſtudia proſequendi occaſio præcideretur. Hoc cum a *Zettelio* Patronis diligenter atque accurate propoſitum eſſet, nihil tamen in ea re decretum eſt, niſi vt Ieſuitæ ſuos diſcipulos ad publicas quoque mitterent lectiones.

Inter quatuordecim Artium Magiſtros, qui die 2. Ian. h. a. ſuprema laurea condecorati ſunt, memorandi præcipue veniunt *Georgius Lautherius* Presbyter Ehingenſis, *Henricus Arboreus* Leodienſis S. I. Sacerdos, *Hermes Halbpauer* Carnus S. I. & *Ioannes Albertus* Wimpinenſis.

ANNO DOMINI M D LXII.

A. 1562.

Rect. CLXXI. MARTINVS EISENGREIN, S. Theologiæ Licentiatus, Profeſſor & Parochus ad D. Mauritium.

Rect. CLXXII. GEORGIVS LAVTHERIVS, Eccleſiæ D. Virginis Parochus.

Inſcripti 210.

Nobiles, *Iacobus Eyſengrein*, Spirenſis.
Ferdinand. de Roy, Auguſtanus.
Chriſtoph. Baro a Lobcowicz, Dominus Bilinæ, Tachouiæ &c.
Ioan. Georgius Baro a Schawmberg, Dominus Boræ, Ronſpergæ &c.
Michael Radziecowsky Baro Polonus, Caſtellani Goſtinenſis & Magiſtri Curiæ Regis Polon. filius.
Felix Dzialinsky a Dzialin, Polon.
Anton. Ieſowsky, Polon.
Guilielm. Eyſengrein, Spirenſ.

A. 1562.

Ioan. Wolfg. a Preiſing, Can. Paſſau.
Hieronym. Staſskowski a Poliacowicze.
Henricus / *Gabriel* } *Rellinger*, Patrit. Auguſt.
Sebaſtianus / *Ioan. Ludon.* } *a Rottenhan*, Can. Bambergenſ. fratres.
Ioan. Henric. a Nankenreuth, Can. Bamberg.
Buſſo de Britzke.
Ioan. Tezoleski, Polon.
Ioan Hegoldus / *Abraham* } *a Schleinitz*, Miſnenſes.
Ioannes, / *Petrus*, } *Oppaliensky*, Caſtellani Poloni.
Nicolaus Tomitzky, Polon.
Georg. Pomorsky, Polon.
Stanislaus Kraionsky, Polon.
Amandus a Gera, Carinthius.
Ioan. Tottenbeck de Hausbach & Kirchberg, poſtea Can. Paſſau. & Ratisbon.
Ioan. Iacob. Hund a Kaltenberg.
Albertus Hund a Sulzemos, filius D. Hundii Patroni noſtri.
Ioan. Chriſtoph. / *Carolus* } *a Langeneck*, fratres.

Nou. Prof. *Theodorus Peltanus* S. I. Theol.
Henricus Arboreus S. I. Ling. græc.
Alphonſus de Pineda S. I. Philoſ.

Nou. Doct. *Theodorus Peltanus*, S. I. *Theol.*
Chriſtoph. Laymann, Auguſtanus / *Carolus Agricola Hammonius*, Ingolſtad. } *Iur. utr.*
Ioan. Ebinger, Biberacenſ. *Medic.*

Primum in Catholica Religione propugnanda Tyrocinium hoc anno fecit Dominus *Martinus Eiſengrein*, & defenſionem ſcriptis, cum antehac viua tantum præſtitiſſet voce, eſt aggreſſus, edíditque Concionem, cur tam multi a Religione Catholica ad Lutheraniſmum deficiant: Et quomodo hisce temporibus ſit in Re-

Religionis negotio, tentationibus Satanæ reſiſtendum; habita A. 1562.
eſt ab authore Germanice, ſed Latinitate donata a *F. Laurentio Surio*.

* *Martinus Eiſengreinius* iam anno 1553. quo Iurium ſcientiæ operam apud nos dabat, Academiæ adſcriptus, vixdum huius anni initio ad eandem acceſſerat, cum Rector Vniuerſitatis communibus votis ſalutatus eſt. Quod ne mirum cuiquam videatur, dabo viri incomparabilis vitam, quam hactenus duxit, ex *Engerdo* deſcriptam.

Natus eſt in celebri Principis Wirtenbergenſis vrbe ſedeque Ducali Stutgardia, ex nobilibus & opulentis Parentibus, *Martino Eiſengrein*, viro eius vrbis primario & conſulari. Perquam vetus eſt *Eiſengreiniorum* familia, claruitque pacis & belli ſtudiis, & ſedem in Boiaria primitus habuiſſe ſcribitur. Verum variis fortunæ iactata fluctibus, aliquandiu latuit, donec rurſus propria virtute, mutato fortunæ ſtatu, & ad opes & dignitates emerſit, & ad eum ſtatum, in quo nunc conſpicitur, ſuperis fauentibus peruenit. Sed ad *Martinum* reuertor, cuius laudes non tam in familiæ ſplendore, quam propriis virtutibus ſemper conſtiterunt. Conſilio & expenſis prudentiſſimi & literarum amantiſſimi parentis, literis operam dedit, ac primo quidem domi, intra paternos parietes, deinde Tubingæ, poſt Ingolſtadii, vbi anno 1553. in album Vniuerſitatis eſt relatus; quarto denique Viennæ, vbi in Philoſophia Magiſterii, Anno Domini 1554. aſſumpſit inſignia. Anno vero poſt 1555., cum ipſius eruditio tam in Philoſophia, quam in Oratoria non fama tantum innotuiſſet, ſed etiam re ipſa, id eſt frequentibus diſputationibus & orationibus comprobata, Oratoriæ Profeſſor in celeberrimo Viennenſium Archigymnaſio conſtituitur, eaque cum laude & auditorum frequentia & applauſu demandata profeſſione eſt functus, vt inter celebres eius temporis Oratores, in clariſſimi viri ac Domini *Ederi* LL. Doctoris &c. lucubrationibus ſit relatus.

Dabat tum *Eiſengreinius* Iurisprudentiæ operam, quemadmodum pulcherrima de corrupto Iudiciorum vſu & Iurisprudentiæ dignitate, in feſto D. Iuonis ab eodem Viennæ habita oratio teſtatur; necdum, quem puer imbiberat, Lutheraniſmo nuncium remiſerat. Erat autem illi clariſſimus vir Dominus *Iacobus Ionas* LL. Doctor, & Vicecancellarius Imperatorius, ſanguinis vin-

A. 1562. vinculo coniunctus: Is pro ſua in cognatum, in tam egregium iuuenem, & indolem pulcherrimam pietate, & amore plusquam paterno, eum continuo ſollicitabat, nec vnquam aures illius, nondum ad ſalutaria obturatas monita, veluti hæreticorum nunc ſunt temporis, doctrina Catholica perſonare deſtitit, donec voti compos *Eiſengreinium* erroribus agnitis & repudiatis ad Eccleſiam & religionem Catholicam traduceret. In qua re non mediocrem quoque conferebant operam *Laurentius Zadeſius* Decanus Collegii Matickhofenſis Boiariæ, & D. *Georgius Ederus* Iuriſconſultus & Theologus inſignis; Itaque ſingulari Dei præpotentis beneficio, & præclara Vicecancellarii opera, *Eiſengreinius* quibuscunque renunciat in perpetuum hæreſibus, & ad caſtra Eccleſiæ Catholicæ, extra quam nulla eſt ſalus, pro religione militatum tranſit.

Nec multo poſt, cum iam penitus in Religione Catholica eſſet confirmatus, & ab ea neque precio, neque precibus dimoueri amplius poſſe videretur, Canonicorum numero in Eccleſia Cathedrali Viennenſi, Anno 1559. adſcribitur, & ſequenti anno non ſine ſingulari nominis ſui gloria Procancellariatus dignitate & officio, veluti Catalogum Candidatorum de ea re impreſſum vidimus, in Schola Viennenſi perfungitur. Ibi tum etiam, cum paulo ante iuris deſerto ſtudio totum ſeſe *Eiſengreinius* Theologiæ tradidiſſet, & quantopere aliquando Eccleſiæ Dei, religionique Catholicæ prodeſſe poſſet, modo voluntas non deeſſet, piiſſimus Imperator intelligeret, vt perpetuum quoddam ad inceptum curriculum decurrendum haberet calcar, *Eiſengreinium* in ſuam recipit fidem & Patrocinium, eique poſteaquam Ordinibus ſacris Anno 60. eſſet initiatus, Canonicatum ad D. Stephanum Viennæ confert, & ſimul Eccleſiaſtæ munus commendat, quo pene per biennium ea dexteritate, ea dicendi grauitate & facundia perfungitur, vt omnibus admirationi, Imperatori vero eſſet gratiſſimus. Quarum rerum omnium, vt plane arbitror, primarius fuit Dominus *Iacobus Ionas* Vicecancellarius autor, ſuaſor, moderator, director & rector.

* Obiit Vicecancellarius *Ionas* anno 1558. menſe Decembri, quod ſupra ad eundem annum memoratum eſt; vnde patet, hæc *Engerdi* verba tam ſtricte intelligi non poſſe.

Atque

A. 1562.

Atque hæc ſunt, quæ *Eiſengreinio*, dum Viennæ commoraretur, propitio Dei præpotentis numine fæliciter euenerunt. Nunc ad Bauariam & Scholam Ingolſtadianam tranſeamus.

Magna quidem erant, fateor, quæ in Auſtria cum Academia Viennenſis, tum etiam piiſſimus Imperator in *Eiſengreinium* contulit. Maximum ille locauit beneficium, cuius opera e tenebris expeditus in clariſſima luce eſt conſtitutus: Cuius ſtudio ex faucibus orci, & hæreticorum lacunis ereptus, ſanctæ matri Eccleſiæ tanquam ouis perdita reſtitutus eſt, magnos honores exhibuit Academia; benefecit & honorauit Imperator. Longe maiora, dempta vna religione, illi Bauaria & Sereniſſimus Boiorum Dux ALBERTVS eſt largitus.

Anno Domini 1562., cum nominis ſui celebritate, & ſingulari in docendo concionandoque dexteritate Bauariæ quoque innotuiſſet, Sereniſſimus Boiorum Dux ALBERTVS quintus, tanta viri illius fama excitus, concedente illud ipſum Auguſtiſſimo Imperatore, *Eiſengreinium* Ingolſtadium euocat, & opulentæ D. Mauritii parochiæ præficit, cui per decennium pene admiranda diligentia, induſtria & fælicitate, tum concionando, tum etiam animarum curam agendo præfuit. Nec longe poſt, Anno ſcilicet 63. cum Licentiæ gradum in Schola Ingolſtadiana inſignitum videret, magis illum ſibi, pro ſingulari eius virtute, & in Eccleſiam Catholicam meritis, honorandum non inique Princeps cenſuit, ac proinde inter Conſiliarios ſuos *Eiſengreinium* adſcribit, & Præpoſituræ Moſpurgenſi vltro donat. Neſcio enim, quomodo, quaſi occulta quadam vi, omnium atque etiam Principum animos in ſe conuertebat, & in ſui pertrahebat amorem: Erat enim mira elegantia, & ſumma in dicendo ſuauitate præditus; raræ prudentiæ, ingenii rotundi, ſtaturæ denique Heroicæ, vt veriſſimum illum Vergilii verſum eſſe, ſæpe mihi in mentem veniret:

Gratior eſt pulchro veniens e corpore virtus.

Eodem etiam anno Reuerendiſſimus in Chriſto Pater ac Princeps, Dominus *Zacharias Delphinus*, SS. Sedis Romanæ Legatus, qui tum Germaniam peragrabat, Protonotariatus Apoſtolici dignitatem ſponte ſua ac benigne illi contulit. Atque hac ratione, cum ingreſſu *Eiſengreinii* in Bauariam, ipſius etiam ho-

 nores

A.
1562. nores & dignitates illico ſumpſere initium, & indies magis magiſque accreuere.

* Plura de *Eiſengreinio* legere eſt in ſubſequentium annorum hiſtoria, anni præcipue 1578. quo viuere deſiit.

Obiit 28. Ianuarii *Hieronymus Zieglerus* Rottenburgenſis, Poeſios Profeſſor, & hiſtoriarum non imperitus. Plurimum operæ cum in Annalibus *Auentini* transſcribendis, reuidendis, publicandis, tum etiam in aliorum Hiſtoriographorum monumentis euoluendis & repurgandis poſuit, Magiſterii gradum recepit Ingolſtadii Anno 34. Profeſſor Philoſophiæ factus Anno 40. Poeſios vero Anno 54. In deductione funeris Orationem habuit *M. Caſparus Macer* Albimœnius, Oratoriæ Facultatis Profeſſor. Succeſſit defuncto *Vitus Iacobæus* Nornbergenſis, P. L. &c.

* Edidit *Hieronymus Zieglerus* præter dictos *Auentini* Annales, *Hiſtoriam illuſtrium Germaniæ Virorum*; quædam Dramata, vt *de Chriſti Vinea*, ex Matth. Cap. 20. *Abel Iuſtus* Tragædia &c. Item Carmina nonnulla, & verſionem germanicam *Hiſtoriarum Ioannis Boccatii de fortuna præſenti.*

Iacobæus Ziegleri ſucceſſor, cum Magiſterii gradu inſignitus haud eſſet; petiit eundem ſibi iuſſu Sereniſſimi Ducis conferri: ſed inſolitum omnibus videbatur, quod Magiſterium peteret, qui Baccalaureus nondum eſſet. Negarunt igitur Patres Facultatis ſe eius precibus deferre quidquam poſſe, niſi Statutis ſeſe accommodaret. Deliberauit ille aliquot diebus, ac demum Baccalaureatum quoque expetiit, qui priuatim illi collatus eſt.

Cal. Maii ſucceſſit *M. Paulo Zettelio* in adminiſtratione Collegii Georgiani *M. Chriſtianus Khripperus* (Lobeegenſis) Sacellanus aulicus.

* *Georgius Theander*, inde ab anno 1548. Eccleſiæ D. Virginis Paſtor, abdicauit ſeſe hoc anno ſuo munere; quod poſt ipſum ſuſcepit *Georgius Lautherius*, Parochus Academicus *duodecimus*, ab inſtituta Parochia decimus ſextus.

Etiamnum heros ille (*Lautherius*) in viuis eſt, Patria Ehingenſis, & rexit Parochiam duobus tantum annis. Inde auocatus a Sereniſſimo Boiorum Duce ALBERTO concionandi, apud eius Sereniſſimam Celſitudinem, munere per aliquot annos functus eſt. Poſt receptis in Italia doctoralibus inſigniis, Canonicus factus apud Diuam Virginem Monaci, Friſingæ & Patauii in Eccle-

Eccleſiis Cathedralibus. Nuper vero etiam Præpoſitura Monacenſi a Sereniſſimo Principe, pro ſuis multis in Religionem beneficiis, laboribusque eius, Sereniſſimi Principis nomine exhauſtis donatus eſt. Magnæ eſt autoritatis apud Sereniſſimum Principem, cuius eſt Conſiliarius, tum propter eruditionem, tum etiam vitæ integritatem, zelumque in Religione ferventem, & quod Sereniſſimus Dux illius opera in rebus arduis frequenter vtitur. Deus virum illum, viuum pietatis, humilitatis & humanitatis exemplar quam diutiſſime ſeruet incolumem. A. 1562.

* Die 20. Aprilis, præmiſſis pro more veſperiis aliisque adhibitis ritibus Theologiæ Doctor creatus eſt *Theodorus Peltanus* S. I. cumque idem ſucceſſurus eſſet in lectione theologica *Ioanni Couuillonio*, ſequenti mox die per conſuetum iuramentum receptus eſt ad concilium ſacræ Facultatis. Fuit *Peltanus* primus e Patribus Societatis, qui Licentiam & Doctoratum Theologicum in hac Vniuerſitate recepit. De *Couuillonio Engerdus* noſter ſequentia adnotauit:

Inter primos de Societate IESV Patres, qui ad docendum ſunt euocati Ingolſtadium, fuit etiam vnus Reuerendus Pater *Ioannes Couuillonius* Inſulenſis Flander, Doctor Theologus & Profeſſor, anno 1556. a Magnifico Rectore, *D. Ioanne Baptiſta Weber*, Iuris vtriusque Doctore & Profeſſore Inſtitutionum ordinario, in menſe Iulio inſcriptus; & eodem anno poſt diſceſſum *D. Caniſii* & *D. Gaudani*, vna cum *Hermanno Tyrræo*, iuſſu Sereniſſimi Principis in Facultatem Theologicam receptus, profiteri cœpit. Functus igitur aliquoties Decanatu Theologico (nam a Rectoratu gerendo Patres de Societate certis de cauſis, conſentiente & Sereniſſimo Principe & Vniuerſitate, ſeſe abdicarunt) & poſteaquam tam docendo, quam diſputando indefeſſe ſuam operam præſtiterat Academiæ, anno Domini 1562. ad petitionem Reuerendiſſimi in Chriſto Patris ac Domini *Zachariæ Delphini*, Legati Apoſtolici, nomine Sereniſſimi Boiorum Ducis ALBERTI, legato illius deſtinato adiunctus, & ad concilium Tridentinum profecturus, lectionem deſeruit, qui poſtmodum per aliquod tempus, Dilingæ, Romæ & in Gallia verſatus, multis etiam periculis in Luſitania exhauſtis, hac æſtate anno 1581. Romæ pie in Chriſto animam efflauit.

* Eodem anno *Henricus Arboreus* & *Alphonſus de Pineda*, illæ græcæ linguæ, hic Philoſophiæ Profeſſor, vterque Societatis IESV, ad gremium

A. 1562. mium Facultatis Artiſticæ recepti ſunt. *M. Alphonſus Pinedanus*, qui Guilielmo Limborgio ſucceſſerat, cum ob continuam corporis aduerſam valetudinem prælectionibus Philoſophicis ſuperſedere cogeretur, *M. Ioanni Marqueſio* conterraneo ſuo, Hiſpano, in cathedra locum fecit.

Caſparus Macer, Facultatis Artium in ſemeſtri æſtiuo h. a. Decanus, tanquam rem maxime memorabilem in Actis artiſticis conſignauit id, quod ſequitur: *Sub hoc Decanatu meo die 4. Auguſti, in pleno concilio, veſperi hora quarta, obtinuimus in Facultate noſtra, conſenſu aliarum quoque Facultatum, nomen, honorem, titulum & priuilegia generalia Doctorum. Atque inter alia priuilegia de hoc fuit expreſſe dictum, quod poſthac conceſſum eſſe debeat nobis, liberisque noſtris, inſtar nobilium & Doctorum aliorum celebrare nuptias, vulgo* ein Schenk oder geweiſte Hochzeit halten. *Quidam vero exiſtimarunt diſcrimen eſſe faciendum inter Profeſſores & alios Magiſtros vulgares aut noviter promotos. Qua in re nihil tunc fuit deciſum. Acta ſunt hæc ſub Rectoratu Magnifici Viri Domini Martini Eyſengrein, Philoſophiæ Doctore & Paſtore Mauritiano tunc præſente, & ordine inquirente, prout moris eſt.*

In numero inſcriptorum erant I. *Ioannes Lyreſius* Cliuenſis, de quo plura in eiusdem Rectoratu. II. *Ludouicus Schinweiſch* Monacenſis, qui etiamnum viuit, S. Theologiæ Doctor, olim Domini *Eiſengreinii* Sacellanus, nunc vero Parochus apud D. Iodocum Landishutæ.

A. 1563.

ANNO DOMINI M D LXIII.

Rect. CLXXIII. CASPARVS EVERHARDVS, Iuris vtriusque Doctor, Nicolai Euerhardi ſenioris filius.

Rect. CLXXIV. GEORGIVS THEANDER Doct. Theologus &c. V.

Inſcripti 163.

Principes: GVILIELMVS, FERDINANDVS, ERNESTVS, } Duces Bauariæ, ALBERTI filii.

Nobiles, *Albertus a Gumpenberg.*
Viglius ab Holdingen.
Mich. Ioan. Chwalczowsky, Polon.
Ioan. Leonard. a Beckenſtein.

Gai-

A. 1563.

Guilielm. Awer a Tobel, Bauarus.
Carolus Comes de Arnberg, Baro in Seuenberg.
Gerwicus Baro a Schwarzenberg, } Illuſtriſſimorum Principum familiares.
Guilielmus Löſch,
Ioan. Eberhard a Cloſen,
Caſparus Nothaft,
Ioannes Ludouicus Baro de Colowrat, Lypencii, Zerendii & nouæ arcis Dominus.
Henric. Carol. a Kirchberg, Brunſuicenſ.
Chriſtoph. Awer in Bulach & Adelzhauſen.
Wolfgang. Weichſer in Deſing & Griesbach.
Albertus } *de Wildenſtein.*
Frid. Carol.
Ioan. Chriſtoph. ab Hornſtein.
Bruno ab Hornſtein, Can. Conſtantienſ.
Anton. de Sigersdorf.
Achatius Nothaft a Tann, Can. Ratisbon.
Ludouicus Gomezius } *ab Hoyos*, Barones in Stixenſtein.
Ferdinand. Albert.
Ioannes Alphonſus
Nou. Doct. *Rudolphus Clenke*, Saxo, *Theol.*

Menſe Aprili h. a. acceſſerunt Academiam ſuam Sereniſſ. Principes, ac Domini GVILIELMVS, FERDINANDVS, & ERNESTVS, Comites Palatini Rheni, & vtriusque Bauariæ Duces &c. fratres Germani, Patre ALBERTO Duce Bauariæ ex ANNA Diui FERDINANDI primi & Archiducis Auſtriæ &c. filia nati.

GVILIELMVS eius nominis quintus, inter fratres natu maximus, qui poſt fata parentis nunc rerum in Boiaria vtraque potitur, naſcitur Landishutæ, anno Domini 1548. die 29. Septembris, hora prima pomeridiana ſub fælici Virginis ſydere. Anno Domini 1568. menſe Februario celebrauit Sereniſſimus Dux nuptias magnificentiſſimas Monaci cum Illuſtriſſima Principiſſa RENATA, Duciſſa Lotharingiæ. Tranſiit ſponſa pulcherrimo Comitatu Ingolſtadium, ibique diuertit. Excepta vero eſt a Sereniſſ. Principe FERDINANDO Duce Bauariæ. Succeſſit parenti defuncto in regimine anno 1579. menſe Nouembri, Prin-

 ceps

A. 1563. ceps omnibus virtutum ornamentis conſpicuus, omnique laude ſuperior, pius, Catholicæ religionis amantiſſimus, prudens, humanus, mitis & literatorum ſingularis Mecænas, qui etiamnum fælicis ſui regiminis pulcherrima edit ſpecimina, proinde omnes boni de eo, qui maxima præſtat, ſibi maxima pollicentur. Parens eſt Sereniſſimus Princeps, quo hæc ſcribimus, quatuor filiorum, ex quibus ſecundo natus anno 79. in Adminiſtratorem ſeu potius Epiſcopum Ratisponenſem poſtulatus, magno, vt opinor & res ipſa teſtatur, illius Capituli commodo, & aliquot filiarum, quarum natu maxima CHRISTIERNA menſe Maio anno octuageſimo e viuis eſt erepta. Hoc ipſum in deſcriptione primi inter Germanos fratres Boiorum Ducis præterire non poſſum, rem eſſe admiratione dignam, quod trium Bauariæ Ducum coniuges, trium Imperatorum filiæ & Sorores ſimul fuerint, & in hac ipſa linea, vnde noſtri Duces Bauariæ deſcendunt. Nam LVDOVICI ſecundi coniunx MECHTILDIS, filia RHVDOLPHI primi Imperatoris & ALBERTI regis Romanorum ſoror; KHVNEGVNDIS coniunx ALBERTI quarti, filia FRIDERICI tertii, & MAXIMILIANI primi ſoror. ANNA denique ALBERTI quinti coniunx, FERDINANDI primi Imperatoris filia, & MAXIMILIANI ſecundi ſoror fuit. Hæc obiter volui notare. Ingreſſus eſt Princeps GVILIELMVS anno ſuperiori (1580.) vrbem noſtram iuſto cum apparatu, exceptus primo omnium ab Vniuerſitate. Quo munere nomine Academiæ perfunctus eſt Dominus *Albertus Hungerus* Doctor Theologus, Profeſſor & Procancellarius, tam pie, quam prudenter & diſerte. Reſpondit Dominus *Eraſmus Vendius* non minus docte, quam grauiter. Princeps ſummam exhibuit Profeſſoribus humanitatem, ſingulisque dextram dedit. Quin etiam, cum venatui ibidem indulgeret, fere omnibus Profeſſoribus iisque ſingulis integrum ceruum dono dedit.

Sereniſſimus Princeps FERDINANDVS Dux Bauariæ, naſcitur Landishutæ anno 1550. die 29. Ianuarii, hora ſexta antemeridiana, in aquario. Simul cum fratribus Ingolſtadianam Academiam illuſtrauit. Non poſſum hoc loci præterire ſummam Sereniſſimi Principis FERDINANDI humanitatem, ſi ita mihi ipſius venia liceat appellare, quam noſtro Collegio Philoſophico exhibuit. Cum eius Illuſt. Celſitudo anno 1568. menſe Auguſto venandi

nandi gratia cum parente Ingolſtadium conceſſiſſet, 22. die Auguſti, quæ erat Dominica, quaque diſputatio Baccalaureorum, pro veteri Collegii Philoſophici more, habebatur, forte fortuna inuiſura Collegium vetus, patresque de Societate Ieſu, & præcipue *Carolum Vrſinum*, vt dicebatur, diſputationem in aula Albertina vidit haberi, quam vſque adeo non neglexit, vt non puduerit eius Illuſt. Celſ. re intellecta, cum aſſurrexiſſet Decanus, tanquam diſputationis Præſes, in locum eiusdem reſidere, & vſque ad diſputationis finem concertantibus in paleſtra literaria, iuſto cum ſuorum comitatu & admiratione magna, ſingulari Facultatis Artiſticæ honore & diſceptantium, auditorumque delectatione, attentum ſe præbere auditorem. Princeps heroici prorſus ingenii, & naturæ ſagacis, quique ad res maximas gerendas videtur eſſe natus. A. 1563.

ERNESTVS Comes Palatinus Rheni & Bauariæ Dux naſcitur anno Domini 1554. die 17. Decembris hora quinta antemeridiana Monaci. Venit ad Academiam, eamque illuſtrauit anno Domini 63. Electus in Epiſcopum Friſingenſem, & breui temporis interuallo Hildeshaimenſem. Primitias ſuas celebrauit Coloniæ anno 78. Princeps illuſtribus tum corporis, tum etiam animi dotibus admirabilis, vtpote qui ab ineunte ætate præceptoribus vſus eſt optimis, non aliter atque Ariſtotele Philoſophorum Principe Alexander Magnus, & præcipue quidem *Iodoco Caſtnero*, viro literato & Poeſios peritiſſimo, qui poſt ſtatu vitæ mutato, ordinem patrum de Societate IESV eſt ingreſſus, & in ea profeſſione Halæ apud Tyrolenſes mortuus. Deinde *Andrea Fabritio* Canonico Friſingenſi, & poſt Sereniſſimi Boiorum Ducis ALBERTI, fælicis recordationis, in vrbe apud ſummum Pontificem Oratore, nunc vero Præpoſito apud veterem Oetingam. Magna & humanitate & prudendia eſt præditus. E baptiſmo ſuſceptus eſt a Reuerendiſſimo & Illuſtriſſimo Principe ERNESTO Duce Bauariæ & Archiepiſcopo Salisburgenſi &c.

* Videbantur memorati tres Principes ingentem ſplendorem atque frequentiam Academiæ adlaturi, cum triſtiſſimus rumor inualeſcit, peſtiferæ luis ſemina ſpargi. Compulit ea res non ſolum Illuſtriſſimos Principes abitum maturare, verum etiam ſcholam ipſam autumno eiusdem anni penitus fere exhauſit. Hinc factum, vt cuilibet Profeſſorum optio daretur, eum, in quem vellent locum commigrandi.

A. 1563.

grandi. Sed ea fuere conſtantia, vt plerique illorum Ingolſtadii perſiſterent; hinc accidit, vt Collegiorum ſeu Facultatum omnium integer eſſet & honos & numerus. Ita acta Artiſticæ Facultatis *Wolfgango Zettelio* Decano.

Inter inſcriptos erant I. *M. Vdalricus Holtzapfel*, poſt Oratoriæ Profeſſor Friburgi, vir doctus & eloquens, Frater *Alberti Holtzapfel* Medici, noſtro tempore Phyſices Profeſſoris Friburgi Briſiacorum. II. *Ioannes Aſchmann* Biberacenſis, qui nunc temporis LL. Doctor, Illuſtriſſimi Principis PHILIPPI Marchionis Badenſis Cancellarium agit. III. *Ludouicus Gomezius*, *Ferdinandus Albertus*, & *Ioannes Alphonſus ab Hoyes*, Barones in Stixenſtein, fratres germani, quorum poſtremus in Sequana Pariſiis miſere periit, cum Præceptor eius Germaniam negotiorum cauſa repetiuiſſet.

* *Martinus Eiſengreinius*, Parochus ad D. Maurit. menſe Nouembri in ordinem Licentiatorum SS. Theologiæ eſt aſſumtus; *Rudolphus* vero *Clenkius* Saxo, cum ſuperiore iam anno iuſſu Sereniſſ. Principis noſtri, cuius erat ſtipendiarius, gratis in SS. Theologiæ Baccalaureum biblicum, & Sententiarium, vt tum vocabant, fuiſſet promotus; hoc anno, Decembri menſe eiusdem Sereniſſimi voluntate Theologiæ Licentiatus & Doctor renuntiatus eſt.

Acta Philoſophica h. a. geminos maxime Baccalaureos commendant *Egidium Nadlerum* Ambergenſem Iuuenem familia, indole & doctrina eximium, clariſſimi & nobilis *Hieronymi Nadleri* fratrem germanum; & *Georgium Frölich* Vilshouienſem, cuius egregia fuit diligentia, cum ſimplicitate, & antiqua probitate ac fide coniuncta.

A. 1564.

ANNO DOMINI M D LXIV.

Rect. CLXXV. LVDOVICVS GOMEZIVS AB HOYES, Baro in Stixenſtain &c.

Vicerect. *Chriſtianus Kripperus*, Regens noui Collegii.

Rect. CLXXVI. MARTINVS EISENGREIN, SS. Theologiæ Licentiatus, Præpoſitus Mosburgenſis, Protonotarius & Comes Palatinus Apoſtolicus, Sereniſſimi Boiorum Ducis ALBERTI Conſiliarius, ad D. Mauritium Paſtor, & Profeſſor Ordinarius. II.

In-

Inſcripti 244. A. 1564.

Nobiles, *Albertus Wieczowsky*, Bohem.

Albertus Sperlink in Reichnaw, Prutenus.

Eraſmus Lamprechtshaimer ex Schwaben.

Martin. a Schaumberg, Can. Eichſtad.

Georg. Zeilhofer a Zeilhofen.

Ioan. Wernerus Riederer.

Sebaſtian. a Guttenberg, Can. Bamberg.

Stephanus Baumgartner a Baumgarten, Baro in Hohenſchwangen, Erbach & Khenzingen.

Andreas Comes de Tenzin,
Hieronymus Comes in Roſſdrazon.
Stanislaus Cziolek Baro in Zoliechow.
Laurent. Nieborskien.
Andreas Koſczieſſa.
Albertus Bendonskiez.
Stanislaus Suchoropsky. } Poloni.

Ioan. Wolfgang. a Königsfelden.

Ioan. Wernerus
Ioan. Theodoric.
Ioan. Burkhard } *Nittel* a Treppach.

Ioan.
Vitus } *a Sirgenſtein.*

Ioannes,
Euerbardus } *a Schellenberg.*

Andreas Ripparolus,
Vincentius Diaccetus, } Patritii Florentini.

Ioannes
Henricus } *Lerchenfelder*, Straubing.

Petrus Gonzalez ab Hoyos, Baro in Stixenſtein.

Georg. Simon de Weichs in Stürzberg.

Wolfg. Albert. a Wirzburg, Can. Bamberg. & Herbipol. poſtea vtriusque Eccleſiæ Præpoſitus.

Hieronymus a Wirzburg.

Matthaeus
Antonius
Paulus } *Welſer*, Patritii Auguſt.

A. 1564.

Ianus Arnold a Dorneck.
Ludouicus Baro a Maxelrain in Waldeck.
Chriſtoph. Vdalric.
Anton. Wolfgang. } *Ebran de Wildenberg* & Scherneck fratres Germani.
Ioan. Henric.
Ioan. Albert. de Cloſen in Gern, Eccleſiæ S. Mariæ, & Hirſchhorn.

Nou. Prof. *M. Fridericus Landauus*, Fachenſis, *Lit. hum.*
M. Hannardus Gamerius, Hemertenſis, *Lit. græc.*

Nou. Doct. *Ioannes Scheupius*, Officialis Patauienſ. *Theol.*

Inſcriptos inter erant I. *M. Fridericus Landauus* Fachenſis (Baronum *ab Hoyos* Præceptor & hoc ipſo anno renunciatus Literarum humaniorum Profeſſor) de quo in Rectoratu eiusdem. II. *Ioannes Reicholdus* LL. Licentiatus. III. *M. Balthaſar Hoſinger*, nunc Archiepiſcopi Salisburgenſis Conſiliarius. IV. *Michael Hilteprandus* (Grotgauienſis Sileſius) primus ad Stipendium Furtmarianum præſentatus, qui omnia ſua ſtudia & profectus noſtræ debet Scholæ, Magiſterii & Doctoratus titulum: id quod forte ingenue fatetur. V. *Martinus a Schaumberg*, nunc temporis Præpoſitus Eccleſiæ Cathedralis Aichſtadianæ. VI. *M. Petrus Wolfnerus* Carinthiacus, ſingularis meus amicus, nunc temporis Scholæ Rector primarius in Rantzhofen. Habuit id Monaſterium quod iuxta Oenum in Bauaria iacet, iam multis annis celebrem Scholam, opera, liberalitate & diligentia Præſulum ibidem inſtitutam, altam & conſeruatam, qua quidem gloria pene omnia Bauariæ Monaſteria videtur excellere. Neque is etiam, qui nunc temporis Monaſterio præſidet, *Adamus Gensleitner* (quem ego honoris ergo nomino, & vt tam laudabile inſtitutum ad poſteros etiam transmittatur) ſuo deeſt in bonis Studiis iuuandis & promouendis officio, vir cum ob multas præclaras illius virtutes inſignis, tum vero vel hoc vno celebrandus nomine, quod gloriam Scholæ ab anteceſſoribus, quaſi hæreditario acceptam iure, non ſolum non interire paſſus eſt, ſed etiam aliquibus, egregiæ indolis iuuenibus, meo quoque tempore, ad Studia ſumptus in noſtra Academia liberaliter ſubminiſtrauerit. Prodiit ex eodem Monaſterio nuper Præſul Baumbergenſis, quod cœnobium infra Monacum, qua Salisburgum itur, eſt poſitum,

M.

A. 1564.

M. Laurentius Mayr Scholæ Ingolſtadianæ alumnus & Facultatis artiſticæ quaſi filius, a Præſule Rantzhofenſi, ſupra nominato, in ſtudiorum curſu non mediocriter adiutus & altus. VII. *M. Hannardus Gamerius*, Græcarum literarum Profeſſor non indoctus, facetus & comis, Bucolicis a ſe ſcriptis non ignotus.

* *Hannardus Gomerius* Hemertenſis Moſæus, Poet. Laur. & Com. Palat. Cæſar. Sereniſſimique & Catholici PHILIPPI Hiſp. Regis in Hollandia Vaſallus (hunc ſibi titulum ipſus ſcripſit) præter mox dicta *Bucolica*, quæ ad imitationem Theocriti & Virgilii compoſuit, edita Ingolſtadii an. 1565. ſcripſit *Viam Regiam ad Muſas*, editam Monachii an. 1567. *Eccleſiæ Catholicæ Querimoniam de igne purgatorio. Satyram contra Lutherum, Brentium & Schmidelinum de Merito Chriſti* 1566. *Spongiam aduerſus Wolfgangum Marium* 1569. *Apologiam pro Ioanne Auſtriaco.* Turrim Sacram Dilinganam OTHONIS Epiſc. Cardinal. Albani & Auguſtani, héroico carmine, vna cum alio Carmine de Sanctorum Reliquiis, an. 1567. Dedicauit Libellum hunc, Reuerendo & Nobili Viro *Ioanni Egloff a Knöringen* &c. Scripſit dedicationem Scheurenſi in Monaſterio, *Georgio Neupeck* Abbate. Exhibet idem liber imaginem *Hannardi* cum inſignibus & inſcriptione ætatis, quæ tum erat annorum 27. Ex Græco in latinum vertit *Orpheum de Lapidibus*; *Lucani Panegyricum ad Calphurnium*; *Grotii Cynegeticon*; *Ruſi Feſti deſcriptionem Orbis terræ*; *Olympii Bucolicon.*

VIII. *M. Auguſtinus Neſer* Furſtenbergenſis, Eccleſiæ ad D. Virginem Paſtor, domi literis armatus, militiæ armis, facundus Eccleſiaſtes. Etiamnum in viuis eſt, Paſtor Hagenoæ, ad lacum Podmanicum.

* *Lantherio* ſcilicet Monachium euocato *Neſerus* ſucceſſit, Parochus Academicus decimus tertius, ab inſtituta Parochia decimus ſeptimus.

IX. *Valentinus Forſterus* Wittenbergenſis LL. Doctor, qui vltro petiit, ſe ex catalogo ſtudioſorum expungi, &c.

In promptu cauſſa eſt, ſeditioſus erat.

X. *Adamus Schreindl*, quondam noſter diſcipulus Salisburgi, Cooperator, ac deinde aliquandiu Viceparochus apud D. Virginem, nunc Eccleſiaſtes Archiepiſcopi Salisburgenſis, eiusdemque Conſiliarius Eccleſiaſticus, ſtaturæ omnino heroicæ, eloquens pariter ac doctus, magnæque apud Salisburgenſes autoritatis. XI. *Antonius Greiner*, Archiepiſcopi Salisburgenſis alumnus, qui poſtea in diebus canicularibus Magiſterii inſignia recepit. Et cum

A. 1564. aliquandiu iuniorum præceptorem in opulentiſſimo Monaſterio Ebracenſi egiſſet, reuocatus eſt ab Archepiſcopo Salisburgum. Vbi poſteaquam magna cum laude & auditorum fructu aliquot annos Concionatoris officio in Cathedrali apud Salisburgenſes Eccleſia functus fuiſſet, opima & magnifica Parochia, pro ſuis benemeritis, eſt donatus. Iacet ea Parochia infra oppidum Lauffen, ad fluuium Saltzam, apud S. Georgium dicta, vbi etiamnum Chriſti oues fideliter paſcit.

Die quinto Martii emigrauit ex hac mortali vita, vir incomparabilis & inuictus Religionis Catholicæ propugnator poſt immenſos labores pro Eccleſiæ incolumitate exhauſtos, *D. Fridericus Staphylus* Oſnabrugenſis Weſtphalus, S. Theologiæ Doctor, Cæſareæ Maieſtatis & Sereniſſimi Boiorum Ducis ALBERTI Conſiliarius & Scholæ Ingolſtadianæ Superintendens. Cuius ingenium, eruditionem, prudentiam & benemerita cum in literariam Rempublicam, & in Academiam, tum vero Religionem & Eccleſiam Catholicam teſtantur eius monumenta præclariſſima, poſteritati relicta; quibus vir ille perſpicaciſſimi ingenii, & in eodem cum ſectariis edoctus ludo, eorundem fraudes peſtiferas toti propoſuit orbi: Sed & clariſſimorum virorum Orationes funebres Ingolſtadii impreſſæ, ita manifeſte ſingulares illius Herois dotes loquuntur, & demonſtrant, vt neque a me, neque a quouis alio in dicendi palæſtra exercitatiſſimo, quicquam illuſtrius de eo dici poſſit. Multa de eodem ſcribit *Surius*, anno 64. Commentariorum ſuorum.

* Nos ea pro more ſubiungimus, quæ *Engerdus* noſter Acad. Ingolſtad. Parte VII. de *Staphylo* commemorat.

Fridericus Staphylus, natione Germanus, patria Weſtphalus, ex oppido Oſnabrugo, quod eſt Epiſcopi Oſnabrugenſis, naſcitur anno Domini 1512. die 27. Auguſti, ex claris & honoratis Parentibus. Pater *Ludouicus Staphylus* (*Ludecken Stapellage*, patrio & antiquo Saxonum idiomate dictus) Dominorum *de Weſterbolden*, qui primas fere in nobilitate Weſtphalica tenent, per omnem caſtrorum eorundem ambitum Præfectus fuit; tandem BRVNONIS Epiſcopi Oſnabrugenſis Granarii factus magiſter, ibidemque mortuus eſt. Mater erat *Anna* ex celeberrimo Pruſſiæ emporio Dantiſco ſeu Gedano oriunda; conſulari *Birckmannorum*

norum familia prognata. Amiſit Dominus *Staphylus* vtrumque Parentem vix duodecimum ingreſſus annum, & in tutelam Aunnculi *Eberhardi Birkmanni*, viri conſularis Gedani conceſſit. A. 1564.

Domi cum non infælices in honeſtis literis feciſſet profectus, poſt longam peregrinationem, quam partim in Holandia, partim in Saxonia maritima, Pruſſia, & Lithuania confecerat, Vacouiam, (forte Cracouiam) & poſt florentiſſimas quasque Italiæ & Galliæ Academias ſtudiorum cauſa inuiſit. Tandem Vitenbergam fama per id tempus, propter quosdam in religione nouatores, celeberrimam deuenit: vbi pene per decennium honeſte, magnaque cum literatorum admiratione vixerat.

* Hac in Wittenbergenſi commoratione ita ſe *Staphylus Melanchtoni* præcipue probauerat, vt Comitibus *de Gorkà* præceptor datus, conuictu apud eundem vteretur; & eo inſtigante Fragmenta quædam *Diodori Siculi* ex græco in latinum verterit.

Cæterum quia Dux Pruſſiæ ALBERTVS, poſteaquam viri illius nomen factum eſſet celeberrimum, frequentibus ad ſe inuitabat literis, tempore belli Schmalcaldici Vitenberga diſcedit. Vocabatur autem tum temporis in aulas ſuas a Reuerendiſſimis & Illuſtriſſimis Principibus Domino FRANCISCO Oſnabrugenſi, Ducibus Brunſwicenſi & Megalopolenſi, ſed quia Dux Pruſſiæ iam præuenerat, ſuam operam illis præſtare amplius non potuit. Atque ita ſeruitiis prædicti Ducis Pruſſiæ mancipatus, vxorem duxit *Annam*, ex Patricia *Heſſorum* familia Vratiſlauiæ prognatam, coniugali obſeruantia, matronali pudicitia, & viduali pietate præclaram.

Poſteaquam vero in Academia Regiomontana Pruſſiæ aliquandiu Profeſſor fuiſſet, nec illi cum cæteris conuenire poſſet, resque indies magis, magisque diſpliceret, abdicat Profeſſionem, & in Conſiliariorum numerum Ducis Pruſſiæ adſcribitur. Frequentes enim illi cum *Guilielmo Gnaphæo*, acuto quidem & docto, ſed partim Anabaptiſtarum, partim Sacramentariorum errore dementato, contentiones erant, illæque tum moleſtas tum varias ei cogitationes de religione pariebant. Interea quoque *Oſiander* (ſenior) cum religionis ſuæ Wittenbergenſis naufragium feciſſet, deſertoque Lutheraniſmo impiis *Manichæi*, *Neſtoriique* dogmatibus ſubſcripſiſſet, profugus Nornberga, quam non me-

A. 1564. diocriter perturbarat, Pruſſiam petiit, & *Staphylum* tanquam antagoniſtam in odioſum & acerrimum pertraxit certamen. *Staphylus* vero, qui diligenter Lutheranam doctrinam audiuiſſet, cumque eorum fundamenta, vt Apoſtolicum ſuper vtroque doctoratu recipiendo loquitur diploma; percepiſſet, eaque impia & blaſphema eſſe cognouiſſet, iam antea hæreticorum errores abominari cæperat, & de caſtris, terrisque Lutheranorum ad Catholicos tranſire cogitarat.

Itaque eam occaſionem, quam illi *Oſiandrinæ* contentiones ampliſſimam offerebant, minime negligendam arbitratus eſt, quantumuis cum ſumma rerum illius iactura fiebat. Eſt quidam non ineruditus vir, qui eius tranſitus ad Catholicos tres cauſas deſcribit. Et prima quidem ab eo conſtituitur Deus, qui omnis boni fons & origo, qui cunctantem non aliter, quam Aeneam apud Vergilium Mercurius, tacite ſemper inſtigarit, admonueritque. Altera eorum omnium, qui profeſſi Lutheri dogmata, & ex eiusdem progreſſi officina, verum ſibi ac purum vendicabant Euangelium, continuæ inter ſeſe contentiones, diſſenſiones, & in diuerſiſſimas opiniones ſciſſiones, præterquam quod & ipſe partim a *Gnaphæo*, partim ab *Oſiandro*, atque etiam *Funckio* quodam ſubinde impeteretur, exagitareturque. Tertia denique, quod cum & *Lutheri*, & *Melanchtonis* diſcipulus, anteſignani & præceptoris ſui doctrinæ corpus pararet, eamque cum ſanctorum Patrum doctrina accurate conferret, tantum eos a ſanctis Patribus diſtare deprehendit, quantum cælum a terra. Quamobrem ſibi cum Loth eiusque filiabus e Sodoma exeundum cenſuit, & nihil, niſi de transmigratione ad Catholiços, cogitauit.

* Auctor vitæ *Staphili*, eius operibus præfixæ, diſerte affirmat, eundem ex comparatione nouorum dogmatum cum SS. Patrum ſcriptis, Conciliorum decretis & Doctorum ſcholaſticorum dilucidationibus, quas Paduæ exceperat, eum hauſiſſe fructum, vt non tantum in *Lutheri* verba nunquam iurauerit, ſed potius omnem illius impugnandi arripuerit occaſionem. Addit, *Staphilum*, cum ex Academia Regiomontana ad aulam Ducis Boruſſiæ ALBERTI Brandenburgici transferretur, hanc expreſſam adiecisse conditionem, vt ſibi religionis libertas relinqueretur; ex Pruſſia vero eam maxime ob cauſſam, vt *Oſiandrum*, ſeditioſum hominem, & capitalem hoſtem ſuum, qui armatus contra ipſum publice incedebat, declinaret, in vicinam Sileſiam coniugis ſuæ patriam anno 1551. ſeceſſiſſe, neglecto bis mille marcarum,

quæ

quæ ſibi debebantur, & omnis rei domeſticæ irreparabili damno; atque ibi in *Ioannis* primum *Cochlæi*, dein *Georgii* etiam *Logi* Canonicorum Wratislauienſium amicitiam atque interiorem familiaritatem deueniſſe. A. 1564.

Quod ipſum poſteaquam Reuerendiſſimus in Chriſto Pater ac Dominus BALTHASAR (*Prombnitzius*) intellexiſſet, Niſſam eum literis euocat. Impetrata igitur a Duce Pruſſiæ, quanquam difficulter, diſcedendi venia, cum ſuis in Sileſiam tranſit, ſedem ſibi Nyſſæ ac ſuis poſiturus. Ibi cum Reuerendiſſimo Epiſcopo operam ſuam in erigenda Schola fideliter poſuiſſet, ilico tribus magnis innoteſcit Principibus, Auguſtiſſimo Imperatori FERDINANDO primo, Reuerendiſſimo Archiepiſcopo Salisburgenſi MICHAELI *a Khienburg*, religionis Catholicæ & literatorum, omnisque literaturæ amantiſſimo: Sereniſſimo denique Boiorum Duci ALBERO quinto, profligatæ ex multis prouinciis religionis aſylo tutiſſimo fidiſſimoque.

Præualuit inter tantos Patronos Imperator, & *Staphylum* circa annum 1554. Viennam Auſtriæ vocat, ibique Conſiliariorum numero adſcribit. Quæ res cum per Saxoniam innotuiſſet, dictu mirum, quam grauiter Doctores Saxonici, & præſertim *Melanchton*, quicum vixerat amiciſſime, pertulerint. Paulo poſt Colloquium de religione, anno Domini 1557. Wormatiæ Vangionum ab Imperatore FERDINANDO indicitur. Eo etiam ab Imperatore, vt inter primos eſſet colloquentes, deſtinatur *Staphylus*, qui cum videret Auguſtanæ Confeſſionis Doctores inter ſe non poſſe conuenire, mutuisque altercationibus tempus colloquendi protrahere, interim Trimembrem ſuam Theologiam ibidem conſcripſit, qua graphice Sectariorum inter ſe diſſenſionem, & ſententiarum, opinionumque confuſionem depingit. Id tamen opus in publicum emittere, non erat illi animus, niſi amicorum quorundam voluntati potius, quam ſibimet ipſi paruiſſet. Prodiit igitur fæliciter in lucem trimembris illa Theologia *Staphyli*, quæ ita aduerſarios exulcerauit, irritauitque, vt quaſi coniurati eum viciſſim inuaderent. In quibus facile primas tenuit *Melanchton*, primusque cum *Staphylo* congreditur: deinde *Illyricus*, & *Iacobus Andreas Schmidlinus;* quibus etiam *Andreas Muſculus* ſuis ſentibus, aculeisque & calumniis acceſſit.

Eodem

A. 1564. Eodem tempore, cum *Staphylus* & propriis, & aduerſariorum, quos habebat grauiſſimos, innotuiſſet ſcriptis, etiam Sereniſſimus Boiorum Dux ALBERTVS quintus eundem ſummo ſtudio in Conſiliariorum ſuorum numerum adſciuit, vt eius opera in repurganda Bauaria, & religione Catholica tuenda, promouendaque vteretur. Et ſunt ſane, qui eam Viſitationem, quæ poſt a Domino *Eiſengreinio* fæliciter eſt confecta, ante a *Staphylo* delineatam dicant, ſed morte præuentum *Staphylum*, eam proſequi non potuiſſe.

Anno vero 1559. cum ab Imperatore Comitia forent apud Auguſtam Vindelicorum indicta, eo & ipſe *Staphylus* ab Imperatore vocatus eſt, vt in grauiſſimis de religione conſultationibus ſua opera vteretur. Vbi etiam defenſionem trimembris ſuæ Theologiæ, contra prædictos aduerſarios & calumniatores ſuos, fæliciter, & Catholicorum magno applauſu edidit.

In iisdem Comitiis, promouente rem piiſſimo Imperatore FERDINANDO, cum Doctoris gradum, propterea quod vxoratus eſſet, nulla poſſet conferre Academia, ſummus Pontifex honorificum ex vrbe diploma transmittit, eique doctoratum & in iure Pontificio, & in SS. Theologia recipiendi poteſtatem facit, aſſiſtentibus, vt diploma habet, Reuerendiſſimis Epiſcopis, Mersburgenſi, Wormacienſi & Lauantinenſi, item *Alberto Picolomineo* Vradislauienſi Præpoſito, aut tribus ex eis, aut aliis in ſimili facultate doctoribus, ſi votis eorum iuratis & rigoroſo præcedente examine ad dictum Theologiæ & iuris Canonici gradum recipiendum idoneus & ſufficiens repertus fuerit, omnibus conceſſis priuilegiis & immunitatibus, quibus Doctores Theologi frui & gaudere ſolent. Creandi prouinciam Reuerendiſſimo Archiepiſcopo Salisburgenſi, MICHAELI commiſit, & rubrum pileum, quo eundem inauguraret inſigniretque, ſummus Pontifex transmiſit. Rem itaque Reuerendiſſimus Archepiſcopus Salisburgenſis confecit, & præmiſſis præmittendis, aſſiſtentibusque prædictis Epiſcopis, & Doctoribus, *Staphylum* S. Theologiæ, ac Iuris Canonici Doctorem creauit, inaugurauitque.

Anno deinde 1560. clementiſſima vocatione Sereniſſimi Bauariæ Ducis ALBERTI ex Sileſia Ingolſtadium commigrauit, domicilii conſtituendi cauſſa in vrbe, vt ex ea tutius & compen-

dio-

dioſius ad Imperatorem, Archiepiſcopum Salisburgenſem & A. 1564.
ipſum prælibatum Bauariæ Ducem, quorum trium regnorum Principum conſiliarius erat, commeare & remeare poſſet. Adducit vna ſecum coniugem & quinque liberos, *Albertum*, *Fridericum*, *Ioannem*, *Andream*, & filiam *Annam*, ex quibus hodierno die duo tantum ſuperſunt, *Fridericus* LL. Doctor & Officialis Aichſtadianus, & *Andreas*; *Ioannes* primum præterito anno 1580. in Italia Senis magno tum fratrum, tum Patronorum deſiderio moritur.

Staphylus Ingolſtadii Scholæ Inſpector, ſeu Superintendens a Sereniſſimo Principe conſtituitur. Dicendum mihi nunc eſſet, quot & quam graues labores cum in Sereniſſimi noſtri Principis ALBERTI quinti, tum etiam Imperatoris ſeruitiis exhauſerit, quam difficiles, plenasque periculi peregrinationes, & in diuerſas Romani Imperii prouincias profectiones, per media Hæreticorum agmina, ad Synodos prouinciales, Comitia, Colloquia, Tractatus & Conuentus religionis cauſa inſtitutos, in Eccleſiæ incolumitatem ſubierit, confeceritque.

Dicendum præterea de incomparabili ipſius animi magnitudine, ac virtutum ornamentis, zelo religionis feruenti eruditione rara tam in Græcis, Hæbraicis, quam Latinis literis, indefeſſo in oppugnandis Hæreticis ſtudio, & dexteritate ſingulari, maximo rerum vſu & experientia, denique de admirabili prudentia, grauitateque cum humanitate coniuncta, niſi & qui in exequiis eiusdem animæ Orationibus luculentiſſimis litarunt, abunde ſatis, & quidem ampliſſimis verbis præſtitiſſent: & me intra ſeptum & cancellos proprios continere, ingenii mei tenuitas hortaretur.

Illud tamen ſummi viri & inuictiſſimi religionis Catholicæ propugnatoris, Reuerendiſſimi & Illuſtriſſimi Principis STANISLAI *Hoſii* Presbyteri Cardinalis, teſtimonium de *Staphylo* honorificentiſſimum ſilentio præterire non poſſum. Cum is Nuncium aliquando Pontificium apud Imperatorem FERDINANDVM, in primariorum quodam aulicorum conuentu (id Auguſtæ, anno 1559. factum amanuenſis quidam *Staphyli* annotauit) ita fertur dixiſſe: Quod inter omnes eos, qui hactenus Lutheranos impugnarunt ſcriptis, nemo id fælicius præſtiterit, nec vulnus Lutheranorum, quod adeo conantur tegere, magis detexerit, quam *Sta-*

S 2 *phylus.*

A.
1564. phylus. Cui eum inter alios Cæſareos Conſiliarios, qui tum aderat Dominus *Gengerus* veteranus ille & clariſſimus Imperatorum Conſiliarius, *Ioannem Eccium*, opponeret, quod ille idem præſtitiſſet inter omnes fæliciſſime; reſpondiſſe dicitur *Hoſius*, *Eccium*, vt pleroſque alios, collectitio ex Patribus opere, non intellecto ab hæreticis, vſum eſſe, *Staphylum* vero illorummet dictis, factis & ſcriptis in contradictionem poſitis, illos plane confundere, vnde ſudes illis eſt in oculis plus, quam omnes quotquot hactenus contra Lutheranos ſcripſerunt.

Sed pergendum ad reliqua, & quæ ipſius migrationi fuere propinquiora, ſunt explicanda. Interim dum eſt in ſeruitio Sereniſſ. Boiorum Ducis, Prodromon ſcribit *Staphylus* anno 1561. Poſtea vero anno 62. cum ab Imperatore Pragam accitus eſſet, in ea peregrinatione Hyſterodromon euulgat.

Anno Domini 1563. celebratur Synodus Tridentina, ad eam a Patribus Concilii *Staphylus*, *Lindanus*, & *Vicelius*, tanquam lumina eo tempore religionis Catholicæ in Germania ſingulariter, magnis propoſitis præmiis, euocantur, vt ab iis, qui rerum Germanicarum & hæreſum pullulantium cumprimis eſſent periti, informationem caperent, & de remediis, quibus & naſcentibus obuiam iretur, & iam dominantibus mederetur, fieret conſultatio. Et iam *Staphylum* Legatum Cæſareum deſtinarat Imperator, iturusque erat omnino, niſi Dux ALBERTVS, deſtinatis tum ad Imperatorem, tum etiam Patres Concilii petitoriis literis obtinuiſſet, vt remanere illi liceret. Detinetur tamen *Staphylus* integra æſtate a Cæſare, Oeniponte, eiusque opera circa res Concilii vtitur, eæque lucubrationes ſuper plurimas ſeſſiones ad Concilium, nomine Cæſaris compoſitæ, etiamnum apud hæredes dicuntur latitare.

Verum dum apud Cæſarem Oeniponti commoratur, morbum, vt videbatur, lætalem incidit, ac proinde teſtamentum ibidem condidit, ſubſcriptione Imperatoris & diplomate munitum, reuehiturque Ingolſtadium. Et ecce, quod ei grauiſſimum accidit, eo ipſo anno, menſe Decembri, fato quodam ſiniſtro accidit, vt filius natu maximus *Albertus*, quem vnice charum habebat, & de quo ſummam frugis eruditionis, & omnis virtutis ſpem conceperat, Ingolſtadii moreretur. Quæ res eum ita pertur-

turbauit, vt infirmitatis plurimum priſtinæ virium imbecillitati, A. 1564.
animique ægritudini accederet, & ſeſe *Staphylus*, tanquam vates quidam, breui moriturum prædiceret. Nec mora; omnia præparat ad mortem, & quidem locum ſepulturæ apud Franciſcanos ſibi primo omnium deligit. Paulo poſt anno 1564. menſe Ianuario Monacum ſolito more in negotiis ducalibus abit, quibus perfectis redit inde longe infirmior, quam erat profectus. Dum lecto decumbit affixus, fideliſſimo ſuo famulo, ſeu amanuenſi Domino *Prockbelio*, inſtar valedictionis, Germanicum dictat libellum, de vltima defectione intitulatum, in quo omnes Catholicos pie ac ſedulo admonet, hortaturque, vt ne latum quidem vnguem a Catholica religione diſcedant: Libellus ſane ille, a piis omnibus inter omnia ſcripta *Staphyli*, maxime in delitiis habendus, quod quædam quaſi extremi iudicii tuba videatur, qua torpentes excitentur animi, & nutantes confirmentur.

Cum itaque vires corporis indies magis magisque labefactari, morbumque augeri ſentiret, ac proinde ſupremum vitæ diem haud procul abeſſe intelligeret, primo ſuæ prouidet domui, omnia rite diſponendo: deinde 26. die Februarii peccata ſua per confeſſionem expiat, & Miſſam ſibi in ædibus celebrari curat, & ſeſe Chriſti corpore tanquam inuiolabili & indeficienti cibo ac viatico paſcit, munitque. Secunda vero Martii ſacroſancti olei Vnctionem petit & accepit. Habebat autem perpetuo Chriſti Crucifixi imaginem ante oculos ſibi poſitam, quam non fixis tantum intuebatur oculis, ſed etiam oblatam oſculis ſæpenumero excipiebat. Tandem quinta Martii animam exhalauit, & quod quidam dixit Poeta perquam grauiter,

Leniter expirans, placide in Domino obdormiuit.

Coniunx *Anna*, poſteaquam ſuo viduata *Staphylo*, & ad inſtar illius *Annæ* Euangelicæ totos dies templis quaſi affixa, aſſiduos pene fletus, & lachrymas fudiſſet, vix quadrimeſtre ſpacium marito ſuperſtes, ſubſecuta eſt eundem, relictis tribus filiis impuberibus. *Staphylus* libros tres de Chriſtiana Republica dicitur tum inſtituiſſe, qui ſi abſolui potuiſſent, procul dubio totum Chriſtianum orbem in ſui admirationem & feruentius religionis & pietatis ſtudium conuertiſſent. Illud etiam addidero, fuiſſe eundem chariſſimum & PAVLO IIII. Pontifici & Imperatori,

 vt

A. 1564. vt cum Imperator auguſtiſſimis duobus diplomatibus antiqua & gentilitia *Staphyli* inſignia, primo tanquam Rex Romanorum, ſecundo vt Imperator confirmauerit, nobilitaueritque: cum vero Pontifex Comitis & equitis aurati, Palatii Lateranenſis dignitatem eidem per *Zachariam Delphinum* Nuncium Apoſtolicum benigne contulerit. Ipſemet ſibi *Staphylus* eiusmodi fecit Epitaphium, quod monumento lapideo apud Franciſcanos eſt inſculptum.

Vixi, fata tuli Staphylus, curſumque peregi,
Dum leuo ſuppreſſum relligionis opus.
Chriſte tibi fidens, dimitti crimina credo,
Exilium patriæ ſpe releuante meæ.
Eſto memor fati, fatus tria verba, viator,
Quam lex certa mori, quam male certa dies.

Menſem, diem & annum eius natiuitatis hoc diſticho comprehendit *Vitus Iacobæus*, Poëſios tunc Profeſſor:

Naſcitur has Staphylus fragiles mortalis in auras,
Nona ter Auguſti lux vbi clauſa fuit.

Mortis vero annum, menſem & diem alio diſticho non minus artificioſe idem expreſſit.

Extinctus fatis Staphylus conceſſerat arces
In ſuperas, Martii lux vbi Quinta fuit.

Vixit Annos L. Menſes VI. dies X. Sepultus apud Franciſcanos intra cancellos ad manum dextram, verſus meridiem.

* Si, quod ſupra notauit *Engerdus*, anno 1512. die 27. Aug. natus fuit *Staphylus*, vixit meo calculo annos 51. menſes 6. dies 6.

Scripſit *Staphylus Orationem ad Concilium de bonis literis*, an. 1550. *Synodum Patrum contra Oſiandrum*, an. 1553. *Theologiam trimembrem* an. 1557. Eiusdem *Defenſionem*, an. 1559. *Hiſtoriam de Vita & Morte Caroli V.* an. 1559. *Prodromum contra Schmidelinum* an. 1562. *Hiſterodromum* an. 1563. *Vom letzten und groſſen Abfall vor der Zukunft des Antichriſts* &c. an. 1564. *Lucubrationes ſuper plurimas Seſſiones Concilii Trident. Orationem de actis Oratoris Bauari in cauſſa Calicis Euchariſtici Romam miſſi.* Tres *de Republica Chriſtiana* libros abſoluere non potuit. Ex græco in latinum vertit *Diodori Siculi Fragmenta*, & *S. Marcum Anachoretam*, ceu *Catonem Chriſtianum*, pro pueris bene inſtituendis.

Obiit

A. 1564.

Obiit in ipſo feſto D. Iacobi Apoſtoli, piiſſimus & religionis paciſque amantiſſimus Princeps FERDINANDVS I. Romanorum Imperator; cuius anima viuat DEO.

Ampliauit Collegium Georgianum *M. Chriſtianus Kripperus* Regens, verſus Septentrionem in longitudinem, nouo a fundamentis extructo ædificio. In ima parte piſtrinum vna cum collegiatorum habitatione conſtruxit. In media vero & tertia ædificii parte duplatæ habentur habitationes, quarum aliæ verſus Orientem, aliæ vero Occidentem ſpectant.

Erexit, inſtituitque hoc anno ampliſſimum Collegium & literarum ac religionis quaſi ſeminarium Aichſtadii Reuerendiſſimus & Illuſtriſſimus Princeps, MARTINVS *a Schaumberg*, Epiſcopus Aichſtadianus, idque etiamnum liberaliter, & magnis alit ſumptibus. Incorporatum eſt Philoſophico Collegio Ingolſtadienſi. *Vid. P. IV. Cod. diplom. Num. XLVI.*

Anno eodem, die 24. Nouembris obiit vir piiſſimus ac Dominus *Wolfgangus Gothardus* (*Monacenſis*) cum per 32. annos & Profeſſoris Ciceroniani, & Senatoris functus eſſet munere, priuatimque domi in magno diſcipulorum numero, magnos exhauſiſſet labores. Sepultus eſt in Cænobio Franciſcanorum cum tribus Epitaphiis, quorum vnum humi iacens eiusmodi habet inſcriptionem:

Da ligt Wolf Gottbard der frumb man,
Dem und ſeim gſchlecht Gott laſs die Kron,
Des Lebens dort in gnaden Thron,
Hie aber glück und hail angahn,
Zu ſeinem lob vnd preiſs ſortan.

* *Franciſcus Zoannettus* ſub autumnum huius anni Iurium cathedram, quam in ſeptimum decimum annum tenuerat, tandem reliquit, ac Italiam ſuam repetiit, in patria ibidem ſchola, Bononiæ, SS. Canones explicaturus. Die 3. Octobris, cum mox diſceſſurus a nobis eſſet, oratione publica ſcholaribus Germanis valedixit. Aduocauit hunc Sereniſſimus Dux GVILIELMVS ex Italia admodum Iuuenem; ornauitque eundem cum ipſe, tum eius ſucceſſor ALBERTVS magnis honoribus; ac vt *Zoannettus* fatetur, maioribus quam ipſe optarat, ob excitatam ſcilicet aliorum inuidiam. Fuit verò, quamdiu hic verſatus eſt, huius ſcholæ magnum lumen; inde & primi honores, & meliora ſtipendia inter ceteros vel Canonum, vel Iuris ciuilis Profeſſores in ipſum

A. 1564. ipſum ſemper collata ſunt. Vt diſcipulorum ſuorum conatus in ſapientia ciuili proueheret, breues ad calamum dictationes poſt habitam voce lectionem (iuuandæ ſcilicet memoriæ gratia) omnium primus hac in ſchola tradidit; & quæ de publico docuit, ea prælo quoque euulgauit, vt ſua in docendo ſedulitas nemini non obuia eſſe poſſet. Et cum eo tempore habitationum pro ſtudioſis cenſus in immenſum augerentur, ipſe ALBERTI Ducis fauore eosdem moderatus eſt. Hiſce præclaris ſuis meritis omnibus carus, ita ſeſe iam comparauerat, vt diſcedere a nobis nunquam cogitaret; quo etiam fine in Italiam nuper, res illic ſuas diſponendi gratia, profectus erat; cum pænali, vt ipſe ſcribit, ſeveroque præcepto ex ipſa ſua patria adigitur, vt Bononiam redeat, & in celeberrimo illo Gymnaſio Ius canonicum profiteatur. Scripſit *Repertorium legale*, *Tractatum de materia defenſionis*; *de Iuſtitia & Iure. De Rom. Imperio ac eius Iurisdictione in Rubr. C. de Milit. Teſtam. De primatu prioris geniti Regum, magnorumque Principum Rom. Orbis. De triplici Venatione cum generali tum ſpeciali*, cui præmiſſa eſt quæſtio, *de partu Ancillæ* 1563. *Valedictio ad Scholares Germanos publice Ingolſtadii habita* 3. Octobr. 1564.

* Eodem anno initium ſumſere controuerſiæ, quæ inter artiſticæ Facultatis Profeſſores & Patres Societatis Ieſu ortæ, plures deinceps annos durarunt. Duo erant capita accuſationis, quam Artiſtæ contra Ieſuitas apud *Eraſmum Vendium* texebant. Primum: *quod Domini de Societate IESV* (ipſa epiſtolæ verba deſcribo) *neminem ad honores & gragradus ſcholaſticos admittendum cenſeant, niſi qui recta atque repente falſam de pietate* (religionem intelligunt) *opinionem abiurauerit. Qui rigor & aſperitas, cum lenes, modeſtos & tractabiles animos iuuenum potius exulceret, atque obſtinatos reddat, quam mitiget; ſcholariumque & præcipue candidatorum numerum vehementer imminuat, rogamus D. T.* &c. Alterum, quod iidem Patres *M. Ioannem Albertum Wimpinenſem contra omnem conſuetudinem hucuſque ſeruatam Collegio Philoſophico, antequam eſſet in gremio, obtrudere nitantur, eam ſaltem, vt credibile eſt, ob cauſſam, quo aſperi & rigidi ſui propoſiti Patronum, atque defenſorem ſibi comparent.* Hactenus illæ, quas dixi, Artiſtarum querelæ, die 5. Iul. h. a. Monachium perſcriptæ; quibus *Vendius* nona eiusdem reſpondit, atque vnis etiam literis totam tempeſtatem difflauit, non ad vota quidem Artiſtarum; cum inueniam Sereniſſimi Ducis auctoritate alteram lectionem philoſophicam, quæ propter diſceſſum *Reiſacheri* vacabat, Ieſuitis collatam, atque *Henrico Arboreo Ioannem Dominicum* adiunctum fuiſſe.

Sebaſtianus Reiſacherus, Oettinga Boiorum oriundus, Artium & I. V. Doctor, ac Philoſophiæ per plures annos Profeſſor, hoc anno relicta ſua lectione Burghuſium conceſſit, Conſiliarius ibidem ac Aſſeſſor ducalis Regiminis futurus. Commendant hunc Acta artiſtica, quod in expediendis Collegii philoſophici rebus maxime induſtrium

ſe

ſe præbuerit, mireque dextrum & felicem; atque inde omnium voluntates ſibi intime deuinxerit.

ANNO DOMINI M D LXV.

A. 1565.

Rect. CLXXVII. M. CHRISTIANVS KHRIPPERVS Regens noui Collegii.
Rect. CLXXIIX. M. WOLFGANGVS ZETTELIVS, Ethices Prof.

Inſcripti 203.

Nobiles, *Ioan. Georg. a Cloſen* in Armsdorf.
Sebaſtian. de Veſtenberg.
Chriſtoph. Popel Baro a Lobkowitz.
Tergcislaus a Citzwitz in Quackenburg, Pomeranus.
Ioan. Ludou. a Bodmann.
Ioan. Euſtach. de Abenberg, Can.
Georg. Frideric. de Kuttenberg, Can.
Andreas a Vels, Oenipontan.
Michael Püllinger a Wolfersdorf.
Ioannes de Bertii, Bruxellenſ.
Chriſtoph Erlebeck a Sinnigen.
Henric. Burkhard. de Pappenhaim.
Otto Eiſenreich de Weilbach.
Adam. Vbermann, Viennenſ.
Ludouicus Hueber a Trein, Riedenſ.
Ioannes a Schönſtött, Can. Friſing.
Nicolaus a Mornberg, Can.
Ioan. Georg. Ellertshauſer ex Golnſtain.
Ioan. a Redwitz, Can. Bamberg. & Herbipol.
Ioan. Georg. } *de Hegnenberg* & Wiſenfeld, fratres,
Ioan. Albert. } *Ioannis Georgii* Equitis aurati & Locumtenentis huiatis filii.
Ioan. Burchard. a Payer, Acronianus.
Georg. Chriſtoph a Walbrun in Ernſthofen.
Ioan. Guilielm. Geldrich a Sigmershofen.
Georg. Henric. de Gaisberg, Sueuus.

Mau-

A. 1565. *Maurit. Henric. de Otting.*
Octauian. Schrenk, Patrit. Monacenſ.
Bartholom. Popel a Lobkowitz Baro Bohemus.
Wolfgang. Baro a Kolobrat, Bohemus.
Ioachim. Brickner Eques a Bruckſtein.
Daniel Noſſoroſti Eques ab Adlar.
Ioan. Otto a Gemmingen & Mülhauſen, Can. Auguſt. poſtea Decanus.

Nou. Prof. *Raphael Ninguarda* Morbernius ex Valle Telina, Diœceſis Comenſis, LL. Doct. & Inſtit. Prof.
M. Guilielmus Wisbeckius, Hallenſis. *Philoſ.*
M. Georg. Amerbachius, Viti filius, Wittenbergenſ. *Philoſ.*
Ioannes Dominicus, S. I. Philoſ.

Nou. Doct. *Sebaſtianus Faber*, Soretanus, } *Theol.*
Auguſtinus Neſer, Fürſtenbergenſ. } *Theol.*
Michael Benz, } *Theol.*
M. Adamus Myricianus, Kemnizenſ. *Medic.*

Chriſtianus Khripperus Rector æſtiualis multos annos Collegio Georgiano & vtiliter & fideliter, nec Scholaſticæ ſolum diſciplinæ, ſed & Oeconomiæ præfuit. In rebus enim agendis erat ſolertiſſimus, & laborum patientiſſimus, adeo vt feriari nunquam poſſet. Fundauit duo in eodem Collegio ſtipendia, quorum alterum *Khripperianum*, alterum *Salisburgenſe* vocari voluit. Prodierunt ex Collegio Georgiano, tanquam ex equo Troiano, ſub ipſius diſciplina, multi egregii & docti iuuenes, qui in clariſſimos euaſere viros, inter quos ſunt, vt aliquos tantum nominem, *Fridericus Martini*, *Georgius Eques*, *Michaël Hildebrandus*, & *Ioannes Ratzerus*, qui licet diuerſis temporibus, æquali tamen cum laude Magiſterii Lauream aſſecuti, doctoralia etiam in iure vtroque adepti ſunt inſignia; ex quibus *Fridericus Martini* etiamnum Inſtitutionum imperialium Ordinarius eſt in noſtra ſchola Profeſſor. *Michaël Hildebrandus* Canonicatu in Eccleſia Vratislauienſi fruitur, Eccleſiaſtes & Parochus ad S. Martinum in magna authoritate conſtitutus. *Ioannes Ratzerus* vero cum D. *Friderico Martini* in Doctorem Iuris promotus, poſteaquam magna cum laude in curia Ducali Monacenſi cauſſarum egiſſet patronum,

A. 1565.

num, Reuerendiſſimi & piiſſimi Principis & Præpoſiti Elwacenſis CHRISTOPHORI *a Freyberg* Conſiliarius eſt factus. *Georgius* vero *Eques* in ſeruitio Domini Teutonici in Ellingen, anno 1576. extremum clauſit diem.

Laudabili quadam vir ille *Kripperus* laborabat inſolentia, in idque omnes intendebat vires, vt pene in ſingulas Philoſophorum promotiones, vnum vel alterum nobis produceret Candidatum. Quod ſi, qui dignus ei videbatur, inopia ſumptuum premeretur, omnes tentabat vias, & inibat rationes, quomodo eius egeſtas ſubleuari poſſet. Deſerta Collegii Georgiani adminiſtratione, euocatus a Reuerendiſſimo Epiſcopo Patauienſi, ad Suffraganeatum gerendum profectus eſt. Obiit Patauii circa annum 74. teſtamento relinquens Vniuerſitati cantharum mediocrem deauratum, variisque inſculptum figuris, Inſtrumentum Muſicum, & pro Choro noui Collegii Cantionale, vt vocant Muſici. Viuat Deo vir iuſtitiæ ſemper obſeruantiſſimus.

Inter inſcriptos erant I. *Chriſtophorus Poppel a Lobkowitz* Baro Bohemicus, qui multo tempore Collegium inhabitauit, nec cum cæteris cibum ſumere erubuit. II. *M. Georgius Embard* Riedlingenſis, *Ioannis Ludouici nobilis a Podman* præceptor, poſt Profeſſor Friburgenſis. III. *Otthoſ Eiſenreich* de Weilbach nobilis, nunc temporis Pater Societatis IESV, Theologus & Theologiæ Profeſſor Ordinarius, Alumnorum Sereniſſimi Boiorum Ducis Præſes ſeu Regens, & Pædagogii Ingolſtadiani Præfectus, vir ad literas, & iuuentutem informandam, regendamque natus, humanus καὶ πολύπονος, ac prudens,

Qui fœdere certo
Et premere & laxas contra eſt dare doctus habenas.

IV. *Iacobus Sueuus* Schweigerenſis Philoſophiæ & Medicinæ Doctor. V. *Andreas a Vels*, iuuenis rotundi ingenii, & miræ corporis agilitatis. *Velſiorum* familia Tyrolenſis eſt, eaque duplex: ſunt enim quidam *a Vels*, qui ſimplici tantum gaudent nobilitate: Ex ea familia fuit *Andreas* hoc anno inſcriptus: Quidam vero liberorum Baronum titulo & priuilegiis fruuntur. Ex iis eſt anno Domini 1542. relatus in noſtram matriculam *Caſparus de Vels*, Baro. Claruit ea gens bello & pace, & præſertim Dominus

A. 1565. *Caſparus a Vels* bello Neapolitano magnam militaris ſcientiæ & fortitudinis bellicæ laudem ſibi comparauit.

* VI. *M. Tilemannus Bredenbachius* Embricenſis, *Matthiæ* filius, qui poſtea Theologiæ Doctor ſcientiarum fama atque editis etiam ſcriptis Coloniæ inclaruit. VII. *Chriſtophorus Weilhamerus* Landishutanus, Theologiæ poſtea Doctor, & Suffraganeus Paſſauienſis.

Hoc ipſo anno ego *Valentinus Rotmarus*, horum Annalium autor, e Salisburgo Ingolſtadium cum coniuge ac liberis commigraui, profectionemque quarto die Maii abſolui, ſed coniugem lethali oppreſſam morbo eo aduexi. Fuit illa Conſtantienſis, e familia Khempterorum nata, omnibus cum corporis, tum animæ dotibus eximia, & vel illo præclara nomine, quod vterinum habet fratrem *Chriſtophorum Hieblen*, excellentiſſimum apud Acronianos & feliciſſimum Medicum. Obiit ille die 16. Maii, ætatis ſuæ, anno 22. binorum liberorum parens, cum ſesquiquartum annum placide, quiete, & honeſte mecum vixiſſet. Ei Epitaphium in noſtra decuria Apolloniana, qua vna cum Apollonio nihil corruptius vidi vnquam impreſſum, poſui.

Eodem anno, congelato per hyemis vehementiam, intenſumque frigus Danubio, ſubitoque circa Bacchanalia, incidente cæli quodam calore, diſſoluta glacie, tanta fuit apud Ingolſtadienſes aquarum inundatio, vt reſiſtente propter multitudinem glacie, quæ ad arcem, ſua quaſi mole ad fundum vſque Danubii depreſſa, conſederat, & fluminis iter alueumque intercluſerat, in medium vſque ſalinarium forum, vltra theatrum, ſeu Chorearum, aut tripudiorum ædes, Iſter exundauerit, domos circa portam Danubii ita aquis impleuerit, vt iumentis non eſſet locus in ædibus, vbi conſiſterent, & incolæ ad ſuperiores domorum partes refugere cogerentur; pontem diſruperit, Molendinas extra vrbem ad Danubium poſitas auexerit, atque adeo omnibus terrorem incuſſerit maximum. Durauit iſta inundatio per triduum, donec reſoluta nonnihil glacie, alueum ſuum recuperaſſet Danubius.

Illo ipſo anno ædificauit Baccho & Cereri, atque etiam Mineruæ pulcherrimas ædes Senatus Ingolſtadienſis, quas *Stubam potatoriam* appellant, iuxta templum D. Mauritii. In iis ædibus, vt ſane lector me intelligat, conuiuia celebriora, nuptiæque

que ſolenniores, magnificentioresque peraguntur: Item conuentus ſtatuum Bauariæ, quando Ingolſtadii indicitur, & conſeſſus Academicorum & ciuium, ſi quæ inter ipſos ſunt agenda, habentur: iudicium ordinarium per conſtitutum Prætorem ſingulis quatuordecim diebus, & ſi quæ exteræ huc delegantur commiſſiones, celebrantur. A. 1565.

Die 28. Auguſti ſecundas celebraui nuptias (vt & mihi aliquid indulgeam) cum Virgine Ingolſtadienſi *Anna Hofpeurin*, in quarum honorem ſcripſerunt tum aliquot egregii & eruditi iuuenes carmina gratulatoria, *Philippus Menzelius*, *Gabriel Mayrbiſius*, & *M. Simon Schwarz*, Monacenſis, nunc Archigrammateus vrbis Straubingenſis, &c.

* Expetiit hoc anno Sereniſſ. Dux ALBERTVS ab Vniuerſitate conſilium, qua potiſſimum ratione Ciuitas Ingolſtadiana in ſtatu veræ ac catholicæ religionis conſeruari poſſet. Commiſit Senatus academicus id negotii theologicæ Facultati; quæ etiam matura deliberatione adhibita aliquot ea de re capita conſcripſit, lecta ſubin in pleno Senatorum Concilio, approbata, & Monachium tranſmiſſa Septembri menſe.
* Illud vero ad hunc annum inprimis memorabile, quod Schola philoſophica Eichſtettenſis, quam Reuerendiſſ. ac Celſiſſ. Princeps & Epiſcopus MARTINVS maximis impenſis erexerat, eodem petente, a Sereniſſ. Duce noſtro ALBERTO cum Vniuerſitate Ingolſtadienſi ita fuerit vnita, ut qui Eichſtadii vel docerent publice, vel diſcerent Philoſophiam atque artes liberales, membra eſſent dictæ Vniuerſitatis noſtræ, haud aliter, ac ſi Ingolſtadii viuerent; ea tamen conditione, vt priusquam in Collegium & Lectiones ibidem admittantur, Ingolſtadium ſeſe conferant, & Rectori nomen dent, ac ſolitum iuramentum præſtent &c. admittendi ſubin ad gradus etiam & honores academicos, ſi Præceptorum ſuorum teſtimonia Decano Facultatis Artiſticæ afferant, antequam examini ſubmittantur. *Vid. Annal. Acad. Pars IV. ſeu Cod. Diplom. Num. XLVI.*

ANNO DOMINI M D LXVI. A. 1566.

Rect. CLXXIX. GEORGIVS THEANDER SS. Theol. Doct. &c. VI.
Rect. CXXC. GEORGIVS EVERHARDVS, Iuris vtriusque Doctor.
Inſcripti 255.
Nobiles, *Sigiſmund. de Peſſenhauſen.*
Guilielm. Schrenck, Patrit. Monacenſ.
Wolfgang. Hammzberger de Bibereck, Bauarus.

A.
1566.

Rudolphus } *a Schoubach*, Weſtphal.
Henricus
Carolus, } *Curtii* a Senftenau, Imdamenſes.
Iacobus,
Chriſtoph.
Engelbard.
Quirin. Gotfrid. de Hauſen, Can. Eichſtad. Auguſt. & Eluacenſ.
Nicol. Przerembius, Baro Polonus.
Gaudentius de Recbberg, Can. Auguſt. & Eichſtett.
Petrus a Dettingen.
Volmarus ab Ow.
Theobaldus Speth a Schilzburg.
Ioan. Iacob. a Gemmingen.
Iacobus a Stain.
Ioan. Wilhelm. ab Holdingen.
Nicolaus, } *a Trautensdorf.*
Franciſcus,
Ioannes,
Hieronymus a Zedwitz.
Dauid Söll ab Aichelberg, Styrus.
Ioan. Sixtus, } *a Schönen*, fratres.
Sebaſtianus,
Eraſmus a Neuhaus.
Ioan. Frideric. } *Welſeri*, Patrit. Auguſt.
Anton. Felix,
Henricus,
Caſpar ab Hœngen, Can. Traiectenſ.
Adolphus ab Hœngen, dictus *Waſſerburg.*
Vdalricus Gremlich a Iüngingen.
Ioannes Fuchs a Dornhaim.
Ioan. Carol. a Binbach.
Ioan. Chriſtoph. } *ab Haunsberg.*
Sebaſtianus,
Albertus, } *Stiber.*
Georg. Henric.
Pancratius,

Nou. Prof. *Ioannes Marquezius*, S. I. Philoſ. *Geor-*

Georgius Euerbardus, Rector hyemalis, agebat tum temporis parentis in docendo vices, cui defuncto ſucceſſit filius *Nicolaus*, huic vero frater *Georgius*: vir diuinæ memoriæ, ingenium habens in numerato, & centum, ſi opus ſit leges. Etiamnum magna cum laude, iuſtoque auditorum numero docet. A. 1566.

Inter inſcriptos erant I. *Ioannes Oſſanæus* (*ab Oſs* Syluæducenſis) de quo in eiusdem Rectoratu. II. *Ioannes Volumetius*, qui Doctorum Medicorum fauorem meruit, & in Medicinâ examinatus & approbatus eſt, ſed necdum promotus, ſua culpa maxima. III. *Ioannes Gailkircher*, de quo anno Rectoratus eiusdem. IV. *Melchior Fleckh*, qui apud Ingolſtadianos vna cum *Georgio Palma* Nornbergenſi doctoralia in Medicina recepit inſignia: exercet nunc temporis Medicinam Salisburgi non ſine laude. Extat eiusdem de præſtantia Corporis humani Oratio non inelegans in Tomo Ingolſtadiano.

* V. *Conradus Vetter* Engenſis, Artium Studioſus, poſtea Societatis Ieſu Religioſus, multis ſcriptis polemicis clarus.

Hoc anno miſere ac nefarie interfectus eſt nocturno tempore *Andreas Pilgram*, doctoralibus in iure inſigniis proximus, qui e Moguntia, vbi Reuerendiſſimi Archiepiſcopi Secretarium aliquandiu egerat, Ingolſtadium aduenerat, extremam Iuris ſtudio manum impoſiturus. Faber ferarius eius cædis autor & perpetrator fuiſſe dicebatur, incuria quærentium elapſus.

Obtinet a Summo Pontifice Illuſtriſſimus Princeps ERNESTVS, Sereniſſimi Boiorum Ducis ALBERTI filius Epiſcopatum Friſingenſem.

* Poſteaquam ſcilicet MAVRITIVS *Sandizellius* eo munere, quod ſex annis laudabiliſſime geſſerat, ſponte ſeſe abdicarat.

Legati, qui Romam miſſi, erant Reuerendus *D. Martinus Eiſengrein*, Orator, & *Ioannes Pfiſterer*, Canonicus Friſingenſis, &c. Donatus Orator a Pontifice Maximo quingentis Coronatis; de qua legatione hi noſtri in Oratione funebri, quæ in deductione funeris Domini *Eiſengreinii* eſt habita, extant verſiculi:

Data copia fandi
Ipſa ante ora Patris, totus quem ſuſpicit orbis
Romani, ſtupuitque virum, ſtupuitque loquentis

A. 1566.

Ora Sacerdotum Princeps, atque arbiter orbis.
Iuerat Orator, redit exorator ab vrbe,
Et victor reſponſa refert: ſatis omnibus actum
Magnorum impenſis operum: Dux pectore toto,
Accipit heroem, & comitem complectitur omnes
Bonus in caſus.

Non arbitrabantur Romanæ curiæ proceres, tantam vim dicendi, tamque grauem & iucundam eloquentiam in Germano inueniri poſſe Oratore.

* Fuit Sereniſſ. ERNESTO, tunc duodecimum ætatis annum nondum egreſſo, hæc dignitas primus ad altiora gradus; nam & Antiſtes poſtea Hildeſienſis & Leodienſis, ac denique poſt infelicem *Gebhardum Truchſeſſium* Colonienſis Archiepiſcopus & Elector deſignatus eſt.

In dictam *Eiſengreinii* noſtri profectionem romanam Propemptica ſcripſere, typis impreſſa, *M. Vitus Iacobaus* Poetices Profeſſor, *M. Tilmannus Bredenbachius* & *M. Hannardus Gamerius*.

Eodem anno inſtructiſſimus & copioſiſſimus ductus eſt in Vngariam exercitus: frequentes apud nos & Danubio ſecundo præteruecti, & terreſtri itinere tranſierunt milites. In quibus ratis, complures Acronianos ſeu Rhetos vehens, in pontem illiſa eſt, & confracta. Partim ipſimet ſine aliorum ſubſidio enatarunt, & quidam etiam ferreis induti loricis: partim vndis abrepti, deuolutique aliquo vſque a noſtris nautis ſunt excepti. Ex omnibus vnus tantum tribunus militum interemptus eſt, quem trabes ex confracta rate colliſerat. Redierunt ex Vngaria plurimi, ſed perquam miſere, præſertim vero Burgundiones, de quibus ſingulis recte illud Vergilianum dici poterat:

quantum mutatus ab illo Hectore.

A. 1567.

ANNO DOMINI M D LXVII.

Rect. CXXCI. RAPHAEL NINGVARDA Curienſis LL. Doctor & Inſtitutionum Profeſſor Ordinarius.

Rect. CXXCII. M. FRIDERICVS LANDAVVS, Fachenſis, humaniorum literarum Profeſſor.

Inſcripti 280.

No

A. 1567.

Nobiles, *Wilhelm. Reiſſenſtein.*
Pancrat. Brackh ab Asdi, Tirolenſ.
Sigism. Frid. ab Hornſtein, Can. Conſtant.
Ioachim. Hundtpiſs a Waldrams.
Vitus a Rechenberg.
Ioan. Marcus a Buebisbofen.
Adrian von der Straten, Brugenſ. Flander.
Chriſtoph. / *Wolfgang.* } *Hirſchauer*, Ottingenſ.
Andreas Modliſowski, / *Ioannes Troſsniski*, / *Florian. Tarnowski*, } Poloni.
Ferdinand. Baro a Graueneck & Burgberg.
Ioan. Wilh. ab Hegnenberg & Wiſenfeld.
Ioan. Frid. ab Hegnenberg &c. Can. Ratisbon.
Godefridus / *Bernardus* } *Trauelman*, Weſtphali.
Achatius Fronhamer a Melchling, Bauarus, Can. Ratisbon. & Pataueienſ.
Rudolph. / *Vitus* } *a Stain*, in Altenſtain.
Chriſtoph. Wilh. a Fraunberg.
Nicol. Lebezediſchi, Polon.
Tobias a Schönburg.
Iacobus ab Etzdorf, Can. Naumburg.
Ioan. Albert. Schenk a Caſtell.
Balthaſar ab Hornſtein.
Theodoric. a Streitberg.
Ioſua Offenhaimer, Bauarus.
Bero a Rechberg, in Oſterberg.
Martin. / *Caſpar.* } *a Thüngen*, Canonici Herbipol.
Wolfg. Altkouer, Bauarus.
Sigismund. de Turri, Baro in Neuenbayern & Aw.
Achatius de Turri Nobilis in Neuenbayern & Aw.
Wolfg. Henric. Saurzapf nobilis in Schönhouen.
Scipio Clericatus, Vicentinus.

Ioan.

A. 1567. *Ioannes Comes ab Ortenburg*, Baro in Freyenſtein, & Karlsbach, Dominus in Ericurt & Lill.
Ioan. Ioach. Weinzieher Nobilis in Spital.
Anton. Khronnegger Nobilis a Gmündt.
Georg. Frid. a Guttenberg, Can. Eichſtad.
Ioan. Valentin. Wieland, Stutgardianus.

Non. Prof. *Hieronymus Torrenſis*, Catalaunus, S. I. *Theol.*
Carolus Vrſinus, S. I. *Philoſ.*
Albertus Hungerus, Ingolſtadienſis, *Philoſ.*

Non. Doct. *Conrad. Dilher*, Tillingenſ. } *Medic.*
Adam. Schilling, Mariæmontanus, } *Medic.*

Cœpit *Raphael Ninguarda*, poſteaquam Ingolſtadium veniſſet, ex Facultatis Iuridicæ conſenſu primum, magno cum ſtudioſorum concurſu & applauſu, priuatim Inſtitutiones docere, deinde diſputationes etiam priuatas inſtituere. Tandem & dexteritate illius in docendo, & diligentia excitatus Sereniſſimus noſter Princeps Ordinarium Inſtitutionum Profeſſorem conſtituit. Debet certe huic vni, vt cum aliorum Doctorum venia loquar, LL. Studioſa iuuentus, quod diſputandi in iure exercitium poſtliminio, quaſi ab inferis reuocatum ſit, & ab eo vſque tempore ita floruerit, vt & iuuentus ipſa, & Doctores legum, quaſi de palma ac præmio inter ſe certarent pulcherrimo, alacriter in ea palæſtra deſudarint, multique egregie docti iuuenes inde prodierint. Teſtantur cum ipſæ Diſputationes, diuerſis defenſæ temporibus, tum vero Inſtitutionares illæ decem, quæ ſimul & ſemel viri clariſſimi, Domini *Nicolai Euerhardi*, etiamnum Profeſſoris & doctiſſimi & ſolertiſſimi opera in lucem ſunt editæ, & ab eodem publice defenſæ.

Rector hyemalis *M. Fridericus Landauus* humaniorum literarum Profeſſor, ceſſit ea Profeſſione Anno 69 & Oratoriæ prouinciam Sereniſſimi Principis mandato in ſe ſuſcepit. Valedixit demum Vniuerſitati anno 70. reſignata Oratoriæ lectione, a Reuerendiſſimo Principe Fuldenſi euocatus & in numerum Conſiliariorum adſcriptus, cuius Celſitudini, etiam exuli, indiuiduus ſemper fuit comes, bona malaque ferens omnia. Idem ſequenti poſt diſceſſum anno, reuerſus Ingolſtadium eodem die doctoralia in iure inſignia recepit, & actu finito nuptias celebrauit.

In-

A. 1567.

Inter 163. inſcriptos *ſub Rectoratu æſtiuali* erant 44. famuli: Celebriores autem hi I. Reuerendus Pater *Hieronymus Torrenſis*, Societatis IESV S. Theologiæ Doctor & Profeſſor, vitæ integritate, pietate, & eruditione præſtantiſſimus; edidit iuſtum opus Confeſſionis Auguſtinianæ. II. *M. Adamus Schilling* Reuerendiſſimi Epiſcopi Babenbergenſis Medicus, & in Doctorem tum promotus. III. *M. Caſparus Franckh*, de quo poſterius. IV. *Iacobus Feucht* (Pfullendorfenſis) dequo in Rectoratu eiusdem. V. *M. Ioannes Ertlinus* Sultzdorfius. Is nunc temporis SS. Theologiæ hoc ipſo anno 79. creatus Doctor, Concionatoris officio Forchemii in Epiſcopatu Babenpergenſi fungitur, vbi etiam Canonicus eſt. Vir egregie doctus, eloquens, & in dicendo ſuauis. VI. *Ioannes Oliua* Societatis IESV. VII. *M. Martinus Schönlin* Miltenburgenſis, clariſſimi viri Domini *Ioannis Hartungi* Conterraneus & agnatus, nunc temporis Reuerendi Capituli Saliſburgenſis Syndicus, amicus meus ſingularis. VIII. *Ioannes Comes in Ortenburg* &c. Domini *Erenfridi* (de quo anno 1558. & 59.) ex fratre nepos, magnæ iam tum ſpei & indolis optimæ. Venit ad Academiam menſe Decembri h. a. Vſus eſt præceptore viro humaniſſimo & doctiſſimo *M. Antonio Heckbelio* Carinthio, de quo in Annalibus. Geſſit faſces Rectorales anno Domini 1569. ſemeſtri æſtiuali. IX. *Iacobus Oetheus* Northuſanus, Medicinæ Doctor & Profeſſor. X. *Ioannes Brendlin* Veldkirchenſis Rhetus, qui nunc temporis D. Theologus Canonicatu apud D. Stephanum Conſtantiæ fruitur, & ſimul Parochi, Eccleſiaſtæque munere tanta eloquentia fungitur, vt omnibus ſit & admirationi & perquam charus. Fuit olim & Conſtantiæ & Saliſburgi meus diſcipulus. Viennæ ſtudia politiora, & Philoſophiæ cognitionem hauſit. In Italia vero ſtudium Theologicum non ſine fructu & laude abſoluit. Nec dum memor beneficiorum & gratus erga me eſſe deſinit.

* XI. *Vitus Schober*, poſtea I. V. Doctor, Sereniſſimi noſtri WILHELMI Conſiliarius, Vniuerſitatis Profeſſor & Camerarius. XII. *Georgius Iobſt*, Gredinganus, & ipſe cum tempore Iurium Doctor, Conſiliarius Bauaricus, cathedralium Eccleſiarum Paſſauienſis & Ratisbonenſis Canonicus, nec non Sereniſſ. ALBERTI Bau. Ducis Moderator.

Sub Maium menſem *Alphonſus Piſanus*, relicta Academia ac Cathedra Theologica Dilingam abiit. Eius memoriam *Ioannes Engerdus* his verbis commendat:

A. 1567. *Alphonſus Piſanus*, natione Hiſpanus, Patria vero Toletanus Societatis Ieſu Collega. Aduenit ad noſtram Academiam anno Domini 1559. menſe Nouembri, illico numero Profeſſorum, cum iam antea Theologiæ Doctor eſſet; adſcriptus. Dedit operam aliquando Medicinæ, & in ea gradum Licentiatus eſt adeptus: Quo vero id contigerit tempore, non habeo. Eſt mediocris corporis ſtaturæ, ſed ingenii maximi & nobiliſſimi; adeo vt quod de apibus Latinus Poëta cecinit, de eo quoque poſſit dici rectiſſime:

Ingentes animos anguſto in pectore verſat.

Vocem habet exilem, ſed eam vocalem & ſuauem; adeo vt in conuerſationibus ſemper omnibus gratus exiſteret. Singularem ſuam eruditionem in docendo, & quantus eſſet Philoſophus, quam profundus & acutus Theologus diſputando, aliquot annis, ad ſtuporem etiam auditorum, noſtræ probavit Academiæ. Nunc temporis apud Tranſyluanos Vngariæ vitam agit, plenus, vt arbitror, dierum, laboribus & diuturno exhauſtus ſtudio.

* In Schola Theologorum eiusdem honoribus ſequens elogium inſcriptum eſt: *Alphonſus Piſanus natione Hiſpanus, Patria Toletanus, SS. Theologiæ Doctor, ac ſimul iam ante Religionis ingreſſum Medicinæ Licentiatus, poſt Ariſtotelem Romæ præclare expoſitum, anno* 1559. *in Germaniam miſſus, SS. Theologiam in hac Academia annos minimum octo, in Dilingana plures itidem annos non minori fructu, quam plauſu docuit. Hinc in Poloniam profectus, docendo, ſcribendoque (cuius rei illuſtria documenta exſtant) Eccleſiæ Catholicæ diu ſtrenuam nauans operam, plenus meritis & annis ad ſuperos abiit anno* 1607.

Ex ſcriptis illius Theologicis hæc ſunt præcipua: *Nicænum Concilium I. Generale; De Abſtinentia & Continentia, ſeu de Ieiunio & ciborum delectu, ac de apoſtolico cælibatu; De Quæſtionibus fidei controuerſis; Catholica Reſponſio ad Epiſtolam Niemorenski de Eccleſia & Pontifice; Confutatio breuis XIII. errorum apud ſectarios noſtri ſæculi circa Sacramenta Eccleſiæ; De Sacrificio D. N. I. C. ſecundum ordinem Melchiſedech*, anno 1561. *De Origine ſacræ Scripturæ & Fidei Catholicæ*, anno 1564. *De publicis Supplicationibus, ſeu Proceſſionibus; De creatione mundi; De Verbis Apoſtoli, Galat.* 2. Cum autem veniſſet Cephas Antiochiam &c. *De Fundamentis Eccleſiæ; Explicatio Capitis* 20. *Exod. de primo decalogi Præcepto*, anno 1565.

Egregium ſane doctrinæ ſuæ & pietatis exemplum edidit hoc ipſo anno, die 22. Feb. qui erat pridie Dominica Reminiſcere, apud Ingolſtadienſes Sutor quidam Euangelicus ex pago Eben-

A. 1567.

Ebenhauſen, Palatinatu oriundus. Is libidinis turpiſſimæ æſtu flagrans, cum frequentiſſima ad mercatum hebdomadalem hominum multitudo concurriſſet Ingolſtadium, ſuæ ſe compatrici, vt ita loquar, in Parochia Mauritiana poſt ſummum eius templi Altare, turpiter & nefarie commiſcuit, duplici animam ſuam peccato onerans, adulterio ſcilicet, quia vtraque matrimonio copulata erat perſona, & inceſtu, quod adulteræ compater eſſet. Fructus Euangelii quinti eximius ſcilicet.

Tumultuatum eſt ſub Rectore *Ninguarda*, circa feſtum corporis Chriſti a Studioſis quibusdam, & nobilis cuiusdam Ingolſtadienſis *a Seibelſtorf* ſeruis. Et quia vulnerati quidam ex his de vita periclitabantur, vrbis portæ primo concluſæ, deinde a ſatellitibus obſeſſæ ſtudioſis egreſſum per aliquot dies interuerterunt. Quam iniuriam cum indigne ferrent Studioſi, concurſum eſt ab iis frequenter, magnaque multitudine; tandem deſtinati numero viginti, qui totum negotium moderarentur, & rem Academicis Senatoribus proponerent. Oratoris munere, *Carolus Boiſot.*, inferioris Germaniæ homo, iuuenis doctus, eloquens & intrepidus, apud Academicos fungitur. Et quanquam Academici nonnihil ab initio reſiſtere, grauioresque viderentur, obtinuere tamen Studioſi ab iis tandem, vt quia Sereniſſimus Princeps male a quibusdam informatus (vt plerunque in eiusmodi caſibus fieri ſumus experti) duriorem ſe præbebat, & iratior aliquanto videbatur, ad eius Sereniſſimam Celſ. mitterentur, qui rem candide, & vt acta eſſent omnia, proponerent, falſam Principis opinionem, quam ex relatione quorundam, parum candida, ſynceraque conceperat, refutarent, atque eius Sereniſſimæ Celſ. omnia, quæ eſſent Studioſorum, ipſum & corpus, & vitam, quam vellent pro Principis incolumitate, ſi opus foret, profundere, offerrent liberaliter. Graue enim videbatur Studioſis, ſeſe intra muros vrbis, tanquam carceri incluſos, contineri, ſeruiliterque ſe tractari exiſtimabant, qui eſſent ingenui, qui eſſent liberi, & multi ex iis nobiles. Obtinuerunt ab Academicis facile, quod petebant, ſcholares, & placatus eſt ita Principis animus, vt viciſſim illis maxima quæque, Priuilegiorum & immunitatum grauiſſimam defenſionem, omnem denique & fauorem & clementiam polliceretur.

A. 1567. *M. Sebaſtianus Haydlauf* (Möskirchenſis) Parochus Academicus decimus quartus.

* Recruduit hoc anno bellum Artiſticum, & quidem inter Senatores præcipue eius Facultatis, ſcilicet *M. Vitum Iacobæum* Poeſeos Profeſſorem & illo tempore Decanum, *M. Wolfgangum Zettelium* Ethices, & *M. Fridericum Landauum* Humanitatis Profeſſores, atque inter Reuerendos Dominos de Societate IESV, *M. Henricum Arboreum* Logicæ & *M. Carolum Vrſinum* Phyſicæ Profeſſores. Caput controuerſiæ in eo vertebatur, quid circa rationes acceptorum & datorum Cameræ eiusdem Facultatis, item circa electionem Examinatorum inter vtramque partem eſſet obſeruandum. Sereniſſimus Dux ALBERTVS primo omnium negotium iſtud Senatui academico examinandum commiſit; tum vero ab eodem informationem ac litis dirimendæ modum expetiit. His ita peractis Sereniſſimus cauſſam controuerſam ad priuatos arbitros deuoluendam cenſuit, ad *Martinum* ſcilicet *Eiſengreinium* & *Petrum Caniſium*, quibus mandauit, vt contentiones inter Artium Profeſſores natas quauis ratione tollerent. Inſtitutis hi priuatis inter ſeſe congreſſibus, examinatisque actionum & exceptionum capitibus, in ſtabilienda concordia, omnimodis laborabant. Profeſſores Ieſuitæ, *Arboreus* & *Vrſinus*, cum quid maxime animorum coniunctioni obeſſet, perſpicerent, diſceſſionem a reliquis Artium Profeſſoribus faciendam putabant; ita, vt ſeſe & ſuo & ſucceſſorum omnium nomine, & honoribus & oneribus Facultatis philoſophicæ exuerent, ſenatuque & gremio eiusdem Facultatis abdicarent; nec ad quidquam aliud obligarentur, niſi ad profitendi, legendique munus. Hoc cum illi ſponte ſua, ac contra voluntatem reliquorum de Facultate Profeſſorum conteſtarentur, atque hi ſuum etiam conſenſum adiungerent, pax concluſa & in ſubſequenti cæna, cui omnes ſupra nominatos Artium Profeſſores, vna cum *M. Alberto Hungero* interreſſe *Caniſius* voluit, firmata eſt & roborata. Probauit Dux ALBERTVS eam pacis compoſitionem ſpecialibus ad Facultatem literis; ita tamen diſceſſionem Patrum Societatis a Facultate Artiſtica in adiecta ſchedula limitauit, vt præciſe tantum ad conſilia & res temporales Facultatis ea pertineret; in publicis autem congreſſibus & ſolennitatibus locum ſuum ac priſtinam dignitatem conſeruarent. Hæc omnia fuſius in Actis Decanicis *M. Fridericus Landauus* deſcripſit. In locum *Henrici Arborei* die 28. Octobris receptus eſt ad Facultatem Artium *M. Albertus Hungerus* Phyſices Profeſſor.

AN-

ANNO DOMINI M D LXVIII. A. 1568.

Rect. CXXCIII. M. ALBERTVS HVNGERVS, Philoſ. Profeſſor.
Rect. CXXCIV. M. SEBASTIANVS HAYDLAVF, S. Theologiæ Licentiatus & Parochus Academicus.

Inſcripti 244.

Nobiles, *Georg. Philipp. a Guttenberg.*
Claudius Grandmont, Burgundus.
Fridericus ab Eyb.
Georg. Adam.
Ioan. Adam. } nobiles *Regal* in Kranigsfeld & Freyenſtein, fratres.
Sigismund.
Caſp. Bernhard.
Ioan. Gebhard. } *a Rechberg*, Hohenrechberg, in Aichen, Rechberghauſen & Scharffenberg.
Hugo Erkinger.
Ioan. Chriſtoph.
Caſparus,
Ioan. Walther. } *a Freyburg* (forte *Freyberg*).
Fridericus,
Albertus a Riedhaim.
Achatius
Marcus } *Hohenfelder*, nobiles de Aſterham.
Hieronymus Stor ab Oſtrach, Sueuus.
Ioan. Georg. Stinglhaimer, Can. Ratisbon.
Petrus Herbort de Fulſtin, Baro Polonus.
Sigismund
Hochprand. } *a Sandizell*, fratres.
Guilielm.
Sanislaus Humniczki,
Nicolaus Oſtrowski, } Poloni.
Ioannes,
Wolfg. Iacob. } *Weiſſenfelder*, Bauari.
Petrus Martin, Heluetius, Can. Curienſ.
Anton Ehinger, Patrit. Vlmenſ.
Pancratius
Ioan. David. } *Funk*, Monacenſes.

A. 1568.

Georg. Guilielm. } *Marſchalk a Pappenhaim.*
Arkinger }
Reinhard. a Sicchingen.
Wolfg. Vdalric. a Fenningen.
Ferdinand. } *Ebinger*, Patrit. Vlmenſ.
Ioan. Conrad. }
Wolfgang. Raminger, Saliſburg.
Michael Groſs, alias *Pferſfelder* dictus, Can. Bamberg.
Wolfg. Rüde de Bodiga, Pirgenſ. Can. Bamberg.
Vdalricus } *Comites ab Helffenſtein* & Barones in Gundelfing, *Vdalrici* filii.
Rudolphus }
Conrad. a Pemelberg, iunior.
Frideric. } *Rhelinger* a Rhadaw, fratres.
Iacob. }
Carolus Langenmantel.
Ioan. Iacob. } *Remboldt*, Patrit. Auguſt.
Chriſtophorus }
Matthias Neuſchwerdt, Auſtriacus.
Ioan. Henric. Reich a Reichenſtein.
Bernard. ab Hornſtein in Grieningen.
Henricus Normannus, Rhugianus.
Ioan. Georg. Widman a Mieringen.

Nou. Prof. *M. Paulus Vizanus*, Bononienſ. S. I. *Philoſ.*
M. Ioannes Lyreſius, Cliuenſ. *Ling. Græc.*
Philippus Menzelius, Sandſeenſ. Noricus, *Poetices.*
M. Michael Weſtermarius, Ingolſtadienſ. *Dialect.*

Nou. Doct. *Gercislaus a Citzewitz*, Pomeranus } *Iur. vtr.*
Stephanus Bonerus, Francuſanus }
Iodocus Oethæus, Northuſanus }
M. Melchior Fleck, alias *Flaccus Tripticenſis* } *Medic.*
Georg. Palma, Norimbergenſ. Doct. centeſimus. }
M. Ioachim. Butzlius, Vberlingenſ. }
Eſaias Han, Vberlingenſ. }

Albertus Hungerus die 24. Aprilis abſens eſt in Rectorem Vniuerſitatis electus, id quod non ita multis contigiſſe legimus, imo nemini, quod ſciam.

Rector

A. 1568.

Rector hyemalis *M. Sebaſtianus Haydlauf* ex Sacellano Parochiæ apud D. Mauritium, propter ſingularem, quæ in ipſo ſpectabatur eruditionem factus Parochus apud D. Virginem.

Inter inſcriptos erant I. *Vdalricus & Rhudolphus Comites ab Helfenſtain* &c. fratres Germani. Parens ipſorum erat *Vdalricus Comes ab Helfenſtain*, qui cum fratre *Sebaſtiano* præcipue Ducis Wirtenbergenſis (vt quidam magni nominis, & autoritatis, fideique maximæ vir, dum viueret in ſuo *Latzio* ad marginem notauit) inſtinctu, circa annum 1554. a religione Catholica defecit, & Lutheraniſmum in ſuam ditionem inuexit, expulſis ex oppido Wiſenſtaig, vbi & Comites reſident, & Collegiata eſt Eccleſia, reiectisque Canonicis & Sacerdotibus.

Verum cum poſt Comites illi miſere a mulieribus veneficis diuexarentur, mortuo *Sebaſtiano* in Blabpeürn, anno 1563. *Vdalricus* poſt frequentem, diligentem, & attentam ſacrarum literarum & patrum lectionem, depræhenſis Lutheranorum prædicabilium laqueis, mature animæ ſuæ ſuorumque ſubditorum ſaluti conſuluit, & cum vltra tres ſeptimanas apud Reuerendiſſimum Cardinalem Auguſtanum fuiſſet commoratus, vt ſcribit *Surius*, ſententiam mutauit, profligatisque concionatoribus Lutheranis, & in eorum locum Catholicis accerſitis, ſuæ ditioni religionem Catholicam, & cultum diuinum, Eccleſiaſticis vero templa & bona ſua pie reddidit, aras confractas inſtaurauit, ſacras imagines reſtituit, & vt ſummatim dicam, nihil non fecit, quod Catholica requirit religio, & ad extremum vsque vitæ momentum optimus manſit Catholicus, & in religione Catholica exhalavit animam. De qua re in Epithalamio Illuſtris Domini *Antonii Fuggeri* Baronis in Kirchberg & Weiſſenhorn &c. & illuſtris Dominæ *Barbaræ Comitiſſæ ab Helfenſtain* &c. cum de parente ſponſæ *Vdalrico Comite ab Helfenſtain* ſcriberem.

Huius Comitis exemplum ſecutus præſtantiſſimus Medicus, Venerandus *Gablerus*, qui tum praxim apud Tubingenſes profitebatur, & ad Catholiciſmum reuerſus eſt.

Fuit ex hac familia, quod & ipſum ad Helfenſtainenſium laudem facit, qui noſtram Academiam illuſtrarunt, GEBHARDVS Archiepiſcopus Salisburgenſis, & Epiſcopatus Gurcenſis fundator.

Ex

A. 1568. Ex iis, quos dixi, Comitibus ſenior, qui eſt *Vdalricus*, rei militari dat operam. Sed nec illud ſilentio prætereundum arbitror, cum ad familiæ Helfenſtainenſis pietatem conteſtandam plurimum facit, quod illuſtris Comes *Schweickhardus*, *Georgii* Comitis, qui *Vdalrici* frater erat, filius, & præfectus in Landſperg, in eodem oppidulo egregium Collegium Reuerendis patribus de Societate, ſuis expenſis maxima ex parte conſtitui ædificarique curauit.

II. *M. Paulus Vizanus* Bononienſis, Societatis IESV, Profeſſor Philoſophiæ. III. *Martinus Dum*, qui cum anno 72. Magiſterii gradum eſſet adeptus, Romam Studiorum gratia conceſſit. Inde reuerſus an. 78. Licentiatus titulo in S. Theologia apud Ingolſtadienſes inſignitus eſt: Vir pius & eruditus, Canonicus apud D. Virginem Monaci, & Sereniſſ. Boiorum Ducis ALBERTI Eccleſiaſtes & Conſiliarius. IV. *M. Ioannes Hildeprandus Meckher*; qui nunc temporis I. V. D. in Conſiſtorio Imperiali Rotuillæ Cancellarii munere fungitur: Vir admodum eruditus, & poeta perquam ingenioſus.

* Inuenio hunc *Meckherum* etiam Cancellarium Eichſtettenſem fuiſſe.

V. Sub eodem Rectoratu (*Alberti Hungeri*) *Bartholomæus Viſcherus* (Eckenſis Bauarus) Logicæ Studioſus, de quo poſtea anno 78.

* VI. *Theodorus Viepeck* Landishutanus, poſtea *ab Haimhauſen* dictus, variis muneribus inclaruit, Conſiliarii, Præſidis Cameræ; tandem in militia Capitanei, Colonelli, ac Commiſſarii, vt vocant, generalis. VII. *Iacobus Oetheus* Northuſanus Medicinæ Doctor, paulo poſt, anno ſcilicet 1570. in Medicinæ Profeſſorem apud nos receptus. VIII. *Ildephonſus de Ledeſma* Hiſpanus & *Ioannes Dominicus Heſs* FF. Ord. min. Artium Studioſi.

Hoc anno menſe Maio obiit *M. Vitus Iacobæus* P. L. & Poëſios Profeſſor, & Vniuerſitatis Notarius, cum ex pedibus infirmus ad thermas Göppingenſes, valetudinis recuperandæ gratia, proficiſceretur; moritur in itinere. Scripſiſſe dicitur *Auſtriades*, quarum mentionem facit, & ſingulorum librorum argumenta deſcribit clariſſimus vir D. *Georgius Ederus* in ſuo Rectorum Viennenſium Catalogo. *Hyænam*, figmentum perquam artificioſum, quod partim ex inuentione Domini *Staphyli* hauſerat, partim Dominus *Eiſengreinius* ſubminiſtrauerat, abſolutam videre me memini, ſed intercidit, forte ab aliquo ſubtracta.

* Affir-

A. 1568.

* Affirmauit diligentiſſimus antiquitatum Cultor p. m. *Ignatius Cyriacus Schmidius*, ſe ſcriptum illud penes ſe habere; quod ſi ita quidem eſt, tranſiit illud ſine dubio ad Pollingenſe Canonicorum Regularium Collegium, quod omnem Schmidianorum Manuſcriptorum ſupellectilem; ab illius heredibus emtam ſibi comparauit.

Scripſit præterea *Iacobeus Elegiam de Agno paſchali*, Witteberg. 1556. *Triumphum Filii Dei aſcendentis ad Patrem*, ibid. 1556. *Carmen in laudem Academiæ Viennenſis*, Viennæ 1558. *Carmen de veteri & noua Pentecoſte*, ibid. 1558. *Carmen contra Poëſin*, ibid. 1559. *Feſtum Corporis Chriſti*, Ingolſt. 1562. *Academiam Ingolſtadienſem carmine illuſtratam*, Ibid. 1562. *Elegiam* in mortem *Annæ*, Vxoris *Wolfg. Seyttentalleri* I. V. D. Cauſidici & Ciuit. Syndici Landishutæ, Ibid. 1564. *Propempticon* in Profectionem rom. *Eiſengreinii*, Ibid. 1566. *Epithalamium* in nuptias *Wolfg. Zettelii* & *Margarethæ Hereszellerin*, ibid. 1566. &c.

Succeſſit in locum *Iacobæi* in Profeſſione Poëtica *Philippus Menzelius*, nihil tale cogitans, iamque itinere in Italiam apparato, anteceſſori in Poëſios cognitione minime ſecundus.

Cal. Martii, intempeſtuoſo cælo, Pharmacopæus quidam Bauaricus (nomen ſciens prætereo) violentam ipſe ſibi manum intulit, & vitam laqueo finiuit, in eam deſperationem ab hæreſios & perplexa errorum natura coniectus, miniſtrantibus egregie ad eam rem Concionatoribus Euangelicis. Nec multo poſt inſecutus eſt eundem, ſimili violentæ mortis genere, Concionator Euangelicus (ita enim iſti ſeſe appellant ſectarii) in Weihering Palatinatus, qui præcipuus iſtius nefandi ſceleris autor fuiſſe dicebatur.

Eodem anno de feriis canicularibus, quæ antea trium quidem ſeptimanarum, ſed interruptæ, octo diebus legibilibus interpoſitis, ſeruabantur, pro commodiori & Profeſſorum Facultatis Philoſophicæ, & auditorum eiusdem ratione decretum eſt, vt 3. illæ ſeptimanæ in poſterum continuarentur. Verum quia nec illud temporis ſpatium cum Profeſſoribus tum Scholaribus ad abeundum peregre, laresque patrios petendum, redeundumque ad Scholam, ſufficere videbatur, cum nouam Sereniſſ. Princeps anno 76. Facultatis, totiusque Scholæ reformationem inſtitueret, feriæ illæ caniculares in quartam vſque hebdomadam ſunt prolongatæ.

A. 1568. Nequaquam illud prætereundem arbitror, quod ab illuſtriſſimo Principe FERDINANDO factum, noſtra Facultas memoriæ prodidit. Eius Illuſtriſſima Celſitudo, cum hoc ipſo anno, menſe Auguſto, venandi gratia Ingolſtadii commoraretur, 22. die Auguſti, qui erat dies, quo in aula Albertina diſputatio Baccalaureorum habebatur, forte fortuna, inuiſura Collegium, in eam incidit, nec puduit Illuſtriſſ. Principem, re intellecta, cum eius Illuſtriſſ. Celſitudini aſſurrexiſſet Decanus, Præſes diſputationis, in locum eiusdem conſidere, & diſputationis vſque ad finem, magno cum comitatu, non ſine aulicorum admiratione, & Studioſorum, diſputantiumque delectatione, attentum ſe præbere auditorem. Hanc ego humanitatem Sereniſſ. Principis & benignitatem non potui non ſcriptis æternitati commendare. Decanus autem tunc erat *M. Fridericus Landauus*, Latinæ linguæ Profeſſor.

Triceſimo die Iulii reſignauit lectionem dialecticam *M. Michael Weſtermarius*, & in eius locum ſubrogatur *M. Ioannes Widmerius*.

* Abiit *Weſtermarius* ad Comitem Oettingenſem, Cancellarii ab eodem dignitate exornatus.

Notarius Vniuerſitatis *M. Ioannes Khager* (Abuſiacus ſiue Füeſſenſis) *Vito Iacobæo* ſubrogatus, qui etiamnum magna cum diligentia & induſtria eo munere fungitur.

Anno eodem die 25. Ianuarii in Conuerſione D. Pauli, *M. Caſparus Franckh* (nunc Doctor Theologus & Profeſſor &c.) qui antea in Comitatu Hagenſi Lutheranum Concionatorem egerat, publica profeſſione fidei iuxta Bullam S. P. PII IIII. palinodiam cecinit, idque in æde D. MARIÆ Virginis, præſentibus Reuerendo Suffraganeo Aichſtadiano (*Leonardo Hallero*) Legatis tum Reuerendiſſimi Epiſcopi Aichſtadiani, tum Sereniſſimi Boiorum Ducis ALBERTI, & frequenti Spectatorum cætu, vereque ſeſe ab hæreſi ad Catholicam redire viam, re ipſa, viuaque declarauit voce. Poſt factam fidei profeſſionem Sacramentum Confirmationis ſuſcepit, & ſtatim detecto capite, vittaque redimito ſuggeſtum conſcendit, ſuæque conuerſionis cauſſas latius explicauit. Ediderunt ſimul fidei profeſſionem complures alii viri primarii; D. *Lautherius* Illuſtriſſimi Principis AL-

BERTI

BERTI Concionator & legatus: Dominus *Ioannes Aegolphus a Knöringen*: Pater *Ioannes Greſſenicus* Dominicanus Illuſtriſſimi Principis Concionator & Legatus: *Martinus Eiſengreinius*: *Rodolphus Clenckbius*: *Theodorus Peltanus*: *Hieronymus Torrenſis*: Item complures alii, tum Sacerdotes, tum diuerſorum Ordinum religioſi, diuerſarumque Facultatum Studioſi. Aderant & Senatores ciuici, ſed illi iam antea in curia ſua, exceptis duobus, profeſſi fuerant. A. 1568.

* *Ioannes Aegolphus a Knöringen* Canonicus tum Auguſtanus intererat huic actui tanquam *Caſpari Franci* patrinus; *Rudolphus* vero *Clenkius* tanquam Legatus Reuerendiſſ. Principis & Epiſcopi Eichſtettenſis.

Die 23. Martii promulgata eſt in Academia noſtra S. Pontificis PII IV. Bulla de profeſſione fidei, idque in Senatu, præſentibus omnibus & Senatoribus, & Profeſſoribus. Promulgationi præfuere nomine Reuerendiſſimi Epiſcopi Aichſtadiani, Vicarius eius Reuerendiſſimæ Celſitudinis (*Iacobus Kuechnerus*) & D. *Rudolphus Clenckhius*, ad eam rem a Reuerendiſſimo deſtinati. Neque Reuerendiſſimi tantum Epiſcopi Aichſtadiani ea facta eſt promulgatio, ſed etiam, & quidem præcipue mandante Sereniſſ. Boiorum Duce ALBERTO, qui paulo ante Breue Apoſtolicum ea de re acceperat. Data ſunt ſingulis Facultatibus, & Profeſſoribus ſingulis exemplaria.

Theologi officii ſui neutiquam immemores, cum anno 64. ſub Decanatu *Peltani*, tum hoc ipſo ſub Decanatu D. *Martini Eiſengreinii*, multa ſalutaria cum pro auditoribus Theologiæ, tum etiam Candidatis ſtatuta fecerunt, de quibus illud, præſertim, qui aliunde adueniunt, prudenter & pie ſancitum eſt, nulli concubinario, de quo res conſtet, gradum aliquem in Theologia conferendum eſſe.

* Sub extremam æſtatem huius anni Viennam abiit *Martinus* noſter *Eiſengreinius*; ſcilicet, vt *Engerdus* refert,

Anno 1567. defuncto pie in Chriſto, eruditione pietateque præſtantiſſimo viro Domino *Zittardo*, Maieſtatis Cæſareæ Concionatore eloquentiſſimo, cum Auguſtiſſimus Imperator MAXIMILIANVS ſecundus ex diuerſis Germaniæ prouinciis ad ſe Theologos vocaſſet, vt ex iis eligeret, qui concionandi præ-

 eſſet

A.
1568. eſſet muneri; ex omnibus vnum *Eiſengreinium*, quem multis precibus a Sereniſſimo noſtro Principe impetrauerat, mirifice approbauit. Et ſane, niſi & Sereniſſimo noſtro Duci aliter viſum, & aulæ pertæſus fuiſſet *Eiſengreinius*, omnem in eo ſeruitio conſumpſiſſet vitam.

Imperator vt gratum ſibi *Eiſengreinii* noſtri officium ſeruitiumque fuiſſe oſtenderet, ſuamque viciſſim in eundem propenſam animi voluntatem teſtaretur; præter alia regia munera, quibus labores ipſius quaſi compenſare voluit, dignitate quoque Palatini Comitis Imperatoria poteſtate eum ornauit. Circa eadem fere tempora (neque enim vſque adeo ad vnguem tempora refert examinare) ad Præpoſituram Patauienſem eſt euectus, cum tamen Canonicatum ibi haberet nullum.

Nec illud ſane tacere poſſum, quod in aula Imperatoria, dum Eccleſiaſtæ fungeretur officio, tantam ſibi non apud plebem, nec apud aulæ proceres tantum, quibus omnibus erat gratiſſimus, ſed ipſos etiam Archiduces Auſtriæ Seniores, vtpote Imperatoris fratres, exiſtimationem virtutis, pietatis & eruditionis pepererit, vt Epiſcopatu digniſſimus omnium iudicio cenſeretur.

Itaque cum ad alios quidem, tum vero ad Laibacenſem Epiſcopatum humaniſſimis literis Sereniſſimi Principis CAROLI, Archiducis Auſtriæ & Stiriæ ac Carinthiæ Domini &c. inuitatus eſt. Quam quidem dignitatem ſubmiſſe renuit, tum quia ſe tanto honoris faſtigio indignum modeſte cenſuit, onusque maius, quam humeris ſuis impoſitum ferre poſſet; tum etiam quia minori contentus, minoribus cum curis (quanquam nec hæ illi pro ratione officii vnquam defuere) maluit eſſe, quam ad tantam euehi dignitatem, curisque grauiſſimis & negotiis inexplicabilibus intricari, & antiquius illi erat inter Muſas cum mediocritate viuere, quam in ſplendore apud Barbaros.

Neque illud ſane ad ipſius pietatis exiſtimationem parum facit, quod cum Sereniſſima Duciſſa MARIA, Sereniſſimi Boiorum Ducis ALBERTI filia &c. ad nuptias ſuas proficiſceretur, ſe omnemque ſuam fortunam *Eiſengreinii* noſtri precibus commendarit. Vidi ego tanquam oculatus teſtis vtriusque literas, tum Sereniſſimi Archiducis, quibus ad Epiſcopatum

eum

eum euocauit, tum Archiduciſſæ MARIÆ, quibus eius preces petiuit. A. 1568.

Obiit hoc anno *Oſualdus Fiſcherus* Arnſpergerus Friſingæ: cui Theologica Facultas eiuſmodi monumentum in ſuo auditorio fieri curauit: *Oſualdus Arnſpergerus Nariſcus*, (alibi Variſcus) *SS. Theologiæ Doctor atque Profeſſor; Paſtor ad D. Virginem, qui ſummis in Schola Ingolſtadiana, Rectoris, Decani, & Procancellarii honoribus functus eſt, idque dignitatis faſtigium, ſtrepente etiam belli Schmalcaldici tumultu, obtinuit, in quo tantum abeſt, patientiſſimum virum, qui præſidiarios in domo Parochiali alebat, frangi, aut terreri, vt perpetuo ardentiſſimis precibus, pro pietate, aris, & focis vota faceret. Hinc eius fama ad alios perlata, illius commercium poſtea nobis inuidit. Friſingæ igitur Suffraganeus Optimi Epiſcopi plenus dierum vitam cum morte commutauit, Anno M. D. LXVIII.*

* Scripſit *Oſwaldus Fiſcherus de vera ſtudendi S. Theologiæ ratione*, Libros III. anno 1564. typis Ingolſtadienſibus impreſſos.

Ioannes Lyreſius, Cliuenſis, publica ac ſolenni diſputatione, pro ſcholæ conſuetudine, præmiſſa, die 26. Octobr. h. a. non in gremium ſolum, ſed ad Conſilium quoque Facultatis Artium tanquam quartus Collega cooptatus, ac paulo poſt pro *Friderico Landauo* in Decanum electus eſt.

Die 24. Decembris matutino tempore graue & periculoſum exortum eſt apud Ingolſtadienſes incendium. Ruinoſæ enim propter vetuſtatem ædes, quæ & Parochiæ Mauritianæ, & curiæ ciuili, quaſi veſtibulum quoddam, erant contiguæ, dum lentius reparantur, incuria famulæ, quæ hypocauſtum calefecerat, a Vulcano corripiuntur, deſtruuntur, & in fauillas rediguntur. Inſtauratæ ſunt ſequenti æſtate magnifice, alioquin diutius ruinam minaturæ, niſi id beneficii ex incendio eſſent conſecutæ.

ANNO DOMINI M D LXIX. A. 1569.

Rect. CXXCV. IOANNES COMES AB ORTENBVRG, Baro in Freyenſtein & Carlsbach &c.

Prorect. *M. Chriſtianus Khripperus*, noui Collegii Regens.

A.
1569. Rect. CXXCVI. IOANNES RICHARDVS OSSANÆVS Syluæducenſis, Iuris vtriusque Doctor, Imperialium Inſtitutionum ordinarius & Codicis extraordinarius Profeſſor.

Inſcripti 190.

Nobiles, *Guilielm. a Wangen*, Alſata.
Wolfgang. de Hauſen, Sueuus.
Chriſtophor. ⎫ *Comites a Sulz*, fratres.
Rudolphus ⎭
Tobias Laſſer a Laſſereck.
Ioan. Ioach. a Kirmreut.
Ioan. Chriſtoph. de Egloffſtain, Can. Bamberg.
Gernandus a Schwalbach, Buſeck. Heſſus.
Carol. Ant. Melegarius, Genuenſ.
Gisbertus Bolſchwing, ⎫
Hermannus Heſs, ⎪ Weſtphali.
Ioan. Gent ex Rauenſtein, ⎪
Ioannes Veltbauſen, ⎭
Franc. Gerbart a Keſtlan, Brixinenſ.
Euſtach. Zeller a Zellerreit, Bau. Can. Paſſau.
Georg. a Iugart, Saxo.
Ioan. Wolfg. a Leonrad (forte *Leonrod*) in Tenlein.
Ioannes a Praſperg in Sumerau.
Georg. Sebaſt. ab Eyb in Tettelsau.
Conſtantin. ⎫
Georgius, ⎬ *Barones a Pollwyller* & in Willerthal.
Rudolphus, ⎭
Sebaſtian. Comes Lodroni, Tyrolenſ.
Eſaias Weitmoſer in Winkel & Sagritz.
Ioannes, ⎫ *Fueger a Tauſers*, Tyrolenſ.
Chriſtoph. Frid. ⎭
Ioan. Iacob. a Buebenhofen, Can. Friſing.
Octauian. Im Hoff, Patric. Auguſt.
Chriſtoph. Nottbaſt in Weiſſenſtein, Can. Wurceburg.
Anton. Schauwenburgh, Colon. ad SS. Apoſt. Canonicus.
Wolfg. Frideric. ⎫ *Buſch* de Vilshaim & Obernlauberbach, fratres.
Ioan. Bernard. ⎭

Vdal-

A. 1569.

Vdalric. a Riedhaim, Can. Auguſt. & Eichſtett.
Nou. Prof. *M. Ioan. Richard. Oſſanæus*, Inſt. Imper. & Cod.
M. Valentin. Rotmarus, lat. liter.

Rector hyemalis *Richardus Oſſanæus* ſucceſſit in Profeſſione D. *Raphaeli Ninguarda*, nec ſucceſſit tantum, ſed & veſtigiis ipſius inſiſtens, tam in legendo, quam diſputando æquauit; nunc temporis Aſſeſſoris dignitaté, ſuo merito, in Camera Imperiali fruitur.

* Videtur *Oſſanæus* ad annum vſque 1574. Iurium cathedram tenuiſſe; inuenio enim varias illius diſputationes, omnes intra annum 1566. & 1574. impreſſas; e. g. *De Emtione & Venditione*; *Ad L. Imperium ff. de Iurisdict. omn. Iud. Ad L. Aſſiduis, Cod. qui pot. in pign. hab. ſingularia quædam*; *Ex Auth. ſacr. puber, C. ſi adu. condit. De Perſonis & bonis, quæ publica authoritate ſiſtuntur*; *Conſilii & opis celeberrima materia*; *De remediis aduerſus iniquam Iudicis ſententiam. De Teſtamentis. De Iure Emphiteut. De forma Inuentarii conſcribendi. De Iureiurando Pronunciata. De Decimis. De Contractu Societatis.*

Raphael Ninguarda quo deuenerit, hactenus comperire ratione nulla potui. Scripſit *de fideiuſſionibus*; *De contractu Mutui*; *De eo, quod inter. prof. ad. L. un. C. de ſent.* anno 1567. *De Sicariis.*

In numero inſcriptorum erant I. *Chriſtophorus & Rhodolphus Comites a Sultz.* Præceptor eorundem *Chriſtianus Braun*, Magiſter Friburgenſis. II. *Conſtantinus, Georgius & Rhodolphus Barones a Polweiler, & in Willerthal*, fratres germani.

* *Rudolphus* mox dictus *Baro Polweilerus* anno 1589. factus eſt huiatis primum vrbis, aliquot vero poſt annis ſupremus Bauariæ Præfectus; id quod recentior quædam manus in Catalogo inſcriptorum adnotauit. III. *Wolfgang. de Hauſen*, nobilis Sueuus, Præpoſitus poſtea Eluacenſis, atque anno 1600. Epiſcopus Ratisbonenſis, obiit an. 1613.

IV. Dedit hiſce temporibus operam legibus Ingolſtadii, egregius vir *Matthias Khromer* Weiſſenhornius, qui nunc temporis Hoſpitale apud Ratisbonenſes vltra pontem, in oppido Bauarico, adminiſtrat, quem veteris commilitii ergo, & quia opportune eſſem admonitus, adſcripſi.

Hoc anno duxerunt militem in Galliam Tribuni militares WOLFGANGI Comitis Palatini, & ad Rhenum circa feſtum Palmarum delectum habuerunt peditum: multi in eo delectu

ſeſe

A. 1569. ſeſe exautorari voluerunt, procul dubio, quod res illis erat ſuſpecta, neque felicem exitum habituram, non falſo augurabantur. Quomodo vero res ei ſucceſſerit exercitui, totus orbis nouit, & multi orphani, viduæque fortaſſis etiamnum loquuntur. Priori vero æſtate equeſtres eiusdem Ducis copiæ inuaſerunt Galliam. Ipſemet Maio menſe peſtifera correptus lue 24. horarum ſpatio diem obiit.

Cum grauiſſimos artuum dolores pateretur Dominus *Wilhelmus Wiſpeckius* Oratoriæ Profeſſor, nec muneri docendi amplius præeſſe poſſet, reſignauit eam, & in eius locum ſucceſſit *M. Fridericus Landauus*. Latinæ vero literaturæ Profeſſioni Sereniſſimi Principis mandato præfectus eſt *Valentinus Rotmarus*, annalium autor.

Die 18. Octobris inſignis Philoſophus, & mira humanitate præditus Dominus *Carolus Vrſinus*, ex illuſtri Romanorum familia natus, Philoſophica ceſſit lectione, eamque *M. Paulo Vizano* Societatis IESV tradidit. *Vrſinus* Romæ poſt obiit, *Vizanus* vero cum apud Ingolſtadienſes Licentiatus gradum in S. Theologia recepiſſet, Dilingam diſceſſit, vbi publice docet.

Eodem anno deſignatus eſt in Suffraganeum Pataujenſem Reuerendus & Piiſſimus vir ac Dominus *Chriſtianus Khripper*, Collegii Georgiani Regens, cuius honoris & officii vt particeps fieri poſſet, II. Calend. Nouembris Baccalaureus formatus in S. Theologia creatus eſt.

* *Ioannes Iacobus de Walthirch*, quem in catalogo inſcriptorum non inueni, hoc anno creatus eſt Magiſter Philoſophiæ.

A. 1570.

ANNO DOMINI M D LXX.

Rect. CXXCVII. M. Ioannes Lyresivs Clinenſis, literaturæ Græcæ Profeſſor.

Rect. CXXCIIX. Bartholomævs Romvlevs, LL. Doctor, & Profeſſor primarius.

Inſcripti 180.

Nobi-

A. 1570.

Nobiles, *Otto a Dettenborn*, *Otto ab Ebeleben*, } Hercinii.
Ferdinand. Vöblin a Frickenhauſen.
Conrad. a Schellenberg.
Albertus Herbort de Fulſtin, Baro Polon.
Georg. Kormanitzki, Baro Polon.
Ioannes Wellenberger, Heluetius.
Daniel Magensreiter in Deiſing, Boius.
Philippus a Taxis, Auſtriacus.
Auguſtin Garibus, Melitenſ. Italus.
Petrus Herborth de Fulſtin, *Andreas Tarlo de Sczekarzowicze*, } Barones Polon.
Ioan. Georg. a Trenbach, Bauar.
Stanislaus Rembiertowski, *Paulus Racbanski*, *Procopius Picmozek de Krutzlowa*, *Valentin. Canzelbergius Podepski*, *Bartholom. Lupſtowski*, *Andreas Brzyſſowski*, } Poloni.
Leuinus a Bülaw, Megapolitan.
Martin. Straſſer de Neudeck, *Erneſtus Pflügl* de Golnſtein, } Salisburgenſ.

Nou. Prof. *Albertus Hungerus* SS. *Theol.* Doct. & Prof.
Rudolphus Clenkius, Bremenſ. Saxo, *Theol. poſitiu.*
Georgius Euerhardus, *Nicolai* ſen. filius, *Iur. vtr.*
Iacobus Oetheus, Nordhuſan. *Medic.*
Laurent. Siffanus I. V. D. *Græc. lit.*
Reynerus Fabricius, Leodienſ. S. I. *Orator.*
Ioannes Vizæus, Anglus S. I. *Philoſ.*

Ceteros inter inſcriptos erant I. *Ioannes Engerdus* (*Neoſtadienſis Thuringus*, *etiam* Steunechton *dictus*) Anno 72. & Profeſſor Poeſios & Poeta Laureatus, & Magiſter factus,

* Qui poſt immaturum *Valentini Rotmari* obitum Almæ Ingolſtadienſis Academiæ Tomum I. accurate fideliterque abſoluit, a pag. 85. exorſus; editurus etiam Tomum ſecundum, qui Iureconſultos, Medicos & Philoſophos ex ordine contineret, niſi, quæ mea quidem coniectura

 eſt,

A. 1570. eſt, translato poſt annum 1581. Pædagogio ad Patres Societatis, ipſe cum reliquis Artium Magiſtris ab Academia diſceſſiſſet.

II. *M. Bartholomæus Scholl*, de quo anno 78. III. Relatus eſt hoc ipſo anno, 19. Ianuarii *Laurentius Mayr* Burghuſianus, in numerum Studioſorum, qui tum ſtatim, cum paulo poſt Magiſterii inſignia reciperet, inſignis dignitatis omen præſeferebat. Euocatus igitur hoc anno, quo hæc ſcribimus, ex Monaſterio Rantzhofenſi, & in Præſulem Baumburgenſem electus, vir eruditus, pius, & ſingulare Cænobitarum ornamentum.

* IV. *Wenceslaus Petrſitz*, Budwicenſis Bohemus, Nobilium primum Epheborum in Aula Bauarica, dein ipſius Sereniſſimi Ducis Maximiliani Præceptor; ac denique Conſiliarius aulicus. Obiit Romæ an. 1591. V. *Ioannes Gabler* Eckershofienſis, poſt Cancellarius Regiminis Straubingani.

Funeſtus hic erat Academiæ, multorumque doctorum virorum obitu annus lamentabilis. Quos caſus noſtra potius culpa & peccandi libidine, quam fato fieri plane credamus. Accipe igitur candide lector, quos hic annus & diuûm inclementia heroes nobis, & bonis ſtudiis, & Religioni Catholicæ eripuerit, & ipſorum manibus bene precare.

E viuis exceſſit 18. die Ianuarii reuerendus & doctiſſimus vir ac Dominus *Georgius Theander*, SS. Theologiæ Doctor & Profeſſor, Parochus academicus annis 12. Procancellarius vero 16. vir incomparabilis memoriæ, qui licet paucis ante annis grauem apoplexiam eſſet paſſus, vt etiam linguæ, rationisque vſum eripuiſſet, diligenti tamen cura ita valetudinem recuperauit, vt rurſum in publicum prodiret, Cathedram conſcenderet, & Profeſſoris Procancellariique fungeretur munere. Legauit ſuam bibliothecam Collegio Georgiano, ſepultus apud D. Virginem in ſacello trium regum, cum Epitaphio lapideo. Orationem funebrem in deductione funeris habuit *Iacobus Feucht* Cooperator apud D. Virginem.

* Fuſius *Theandrum* dilaudat *Ioannes Engerdus* Tom. I. Acad. Ingolſt. pag. 110. b.

Georgius Theander, alias *Gotzman*, Aubingenſis Boius, omnem ſuam ætatem in noſtra conſumpſit Academia, cui proinde

vni

A. 1570.

vni ſuos debet honores, & incrementa omnia: A minimis ad maxima pene omnia, quæ noſtra Schola habet, eſt progreſſus fæliciter, omnibusque perfunctus eſt honoribus, Decanatu ſc. tam Philoſophico, quam Theologico, Vicecancellariatu, dignitate Parochiali, Profeſſoria & Senatoria.

In Parochia diuæ Virginis primo Cooperatoris, ſeu Sacellarii, deinde, anno 1548. digreſſo Domino *Arenſpergero*, Parochi functus eſt officio. Anno vero 53. defuncto *Wolffio* in Vicecancellariatu ſucceſſit, adeo vt ſimul & ſemel Rectoratum, Vicecancellariatum, Profeſſionem Theologicam, & Parochiam adminiſtraret. Reſignauit Parochiæ adminiſtrationem Anno 62. & Profeſſionis ac Vicecancellariatus munere, exiguaque apud Ingolſtadienſes præbenda contentus, reliquum ſuæ vitæ curſum abſoluit

Docuit Theologiam ab anno 54. quo tempore doctoralibus eſt auctus inſigniis, cum iam tum Procancellarius eſſet conſtitutus, vſque ad annum 70. Memoriæ tam fælicis fuit, vt quotiescunque illi eſſet perorandum, id memoriter, nullo omnino ſcripto in ſubſidium adhibito, ſumma omnium cum admiratione faceret, etiam anguſtiſſimo quandoque ad cogitandum faciendumque, nedum memorandum ſpatio temporis relicto.

Cum ad iuſtam perueniſſet ſenectutem, ecce in apoplexiam ita grauem incidit, vt & rationis & ſermonis vſu priuaretur. Verum labenti tempore, diligenti fælicique Medicorum cura & accurata diæta valetudini priſtinæ ita reſtitutus eſt, vt & abolitum pene rationis & ſermonis vſum (quanquam ab initio confuſus, & intellectu difficilis erat: viſa enim & audita refero) & memoriam vehementer labefactatam recuperaret, priſtinis iterum fungeretur muneribus, cathedram aſcenderet, ex ea doceret, diſputaret, peroraret, Candidatis Scholaſticos honores conferret, & Senatum ingrederetur. Quicquid vel ex profeſſione, vel præbendis, vltra quotidianum vſum, vitæque neceſſaria, erat pecuniarum illi reſiduum, id partim in ſuos cognatos, affines & amiculos conferebat, partim Bibliothecæ ſuæ augendæ, locupletandæque impendebat, parum de aceruando theſauro ſollicitus, Bibliothecam abunde ſatis pro Theologo inſtructam Collegio Georgiano legauit. Magnæ fuit lectionis, in conuer-

A. 1570. ſationibus & colloquiis, vt minime mutus, ita doctus, humanus & iucundus: Id quod in perorando ſingulariter elucebat.

Vſus eſt eius opera Sereniſſimus Princeps ALBERTVS quintus In viſitatione ſuæ Bauariæ, de qua re in Annalibus noſtris anno 58. Scripſit, vt arbitror in aliquot Pſalmos Dauidis commentarios. Obiit tandem plenus dierum, anno 70. Sepultus apud D. Virginem in Sacello trium Regum cum eiusmodi Epitaphio:

Georgius Theander Aubingenſis Bauarus, Artium & SS. Theologiæ Doctor, vir incomparabilis memoriæ, cum in hac Schola Rectoris, Procancellarii, Paſtoris & Profeſſoris munere vltra 20. annos ſumma cum laude functus eſſet, pie & placide annos 62. egreſſus, in Chriſto obdormiuit, pridie Sebaſt. Martyris. Honorificium quoque monumentum & quaſi teſtimonium habet idem *Theander* in Schola Theologorum, quod eſt eiusmodi: *Georgius Theander, vulgo Gotzman, Aubingenſis Vindelicus, artium & Theologiæ Doctor, Vicecancellarius & Canonicus Aichſtadianus, ſua eademque tenui ſorte contentus vixit, cui cum optio benignioris fortunæ & conditionis lautioris ſæpe offerretur, maluit frugalis vir in Schola cum literatis modico contentus degere, quam inuita Minerua aliena ſectari ſtudia. Claruit his eximiis dotibus: nam præterquam Theologus acutus, ita ingenium habuit in numerato, vt quacunque de re ex tempore fere diſerte verba faceret, memoriter cuncta ad admirationem vſque pandendo: quæ quidem dona multis negata, viro infinitæ lectionis decus perenne & nomen immortale pepererunt. Ex hac Schola ad cæleſtem translatus eſt, Anno M. D. LXX. die XIX. Ianuarii.*

* In die ſeptima exequiarum defuncti honoribus oratione panegyrica litavit *Fridericus Landauer* Oratoriæ Profeſſor; in die autem triceſima *Ioannes Richardus Oſſanaus* I. V. Doctor, ac p. t. Vniuerſitatis Rector.

Die 6. Martii obiit apoplexia venerandus ſenex, & vir longe doctiſſimus, Dominus *Ioannes Peurle Ammonius*, primo Græcæ literaturæ, poſt Doctor Medic. & Profeſſor, & multis annis Academiæ Camerarius, cui cum in funeris deductione & in ſeptima oratione funebri litarem, eiusmodi αὐτοσχεδιάσει feci Epitaphium, quod licet & ſit abſurdum, & mihimetipſi diſpliceat, aſcribere tamen volui.

Qui

A. 1570.

Qui modo Diuinis toti notiſſimus orbi
Siderei ſcriptis pervolat aſtra poli:
Gloria Bauarici præſtans, & fama Lycæi,
Atque artis Medicæ cognitione potens.
Hic iacet Agricola: hac ſeſe ille recondier vrna
Iuſſit, & eſt corpus vermibus eſca datum.
Mens tamen æthereas felix ſuper incola ſedes,
Aſpectu fruitur candidiore DEI:
Sic ſua quemque manent, & debita fata morantur,
Et pariter iuuenes mors rapit atque ſenes.

* *Ioannes Peurle*, ſeu *Agricola* latino, & *Ammonius* græco nomine, dictus, patria Gunzenhuſanus, de quo ad annum 1515. nonnulla retuli, celeberrimus fuit ævo ſuo Medicus; & ſi laudatores, quas & domeſticos & externos quam plurimos habet, alii deeſſent, ſcripta in lucem edita luculentum exhibent induſtriæ ipſius atque doctrinæ teſtimonium. Deſcribam illa ex *Grienwaldii Albo Bauariæ Iatricæ*, pag. 14. & eorum in gratiam, quibus libellus hic ad manum non eſt, his annalibus inſeram, *Scholia in Therapeuticam methodum Galeni*, Auguſt. 1524. 8. *In Artem Medicinalem Galeni Commentarii*, Baſil. 1541. 8. *Commentarii noui in Claudii Galeni Libros ſex de locis affectis*, Norimb. 1537. 1538. *Hippocratis Coi Aphoriſmorum & Sententiarum Medicarum libri ſeptem* &c. Ingolſt. 1537. 4. *Annotatiunculæ in Nicolai Alexandri, Medici Græci librum de Compoſitione Medicamentorum* &c. Ingolſt. 1541. Venet. 1543. 8. 1556. 4. *De herbis Vet. & Recent ſeu Herbariæ Medicinæ libri duo.* Baſil. 1539. 8. Ingolſt. 1541. 4. *Commentarii in Claudii Galeni Artem medicinalem* &c. Baſil. 1541. 4. *Epiſtola Medica*, Ingolſt. 1543. Item alia ad *Iac. Gengerum Halenſem Medicum de vua Theriaca.* Baſil. 1538. *Ad Sholiomaſtiga quendam enumeratio cauſarum, cur in therapeuticam methodum Galeni Scholia ſcripſerit. Commentarii in libellum Galeni de inæquali intemperie. Index ſimplicium Pharmacorum omnium a Dioſcoride proditorum. Concordantiæ in authores præcipuos ſimplicium Medicamentorum* &c. *Oratio de præſtantia corporis humani.* Exſtat Tom. I. Orat. Ingolſt. Part. III. p. 295.

Die 21. Iulii vir ſenio, pietate, eruditione, rerum experientia & prudentia venerandus & clariſſimus, Dominus *Nicolaus Euerhardus* ſenior, LL. Doctor & Profeſſor poſt multos exantlatos labores, Aſſeſſoris dignitate in Camera Imperiali functus, & poſt plurima in Academiam beneficia, placide in Chriſto abdormiuit. Statuerunt illi filii ſuperſtites, Dominus *Nicolaus* & *D. Georgius Euerbardi*, pietatis ergo in parentem,

 in-

A.
1570. inſigne monumentum, quod columnæ Boreali prope ſummum altare in choro eſt affixum:

Si poterat fatum, non exorabile, cuiquam
Parcere, te Boiis haud ſubtraxiſſet Athenis
Aſpectuque patrum: ſenio venerande, ſacrique
Cognitione pater iuris: tua funera gnati
Aſpexere tamen; placidaque in morte repoſto
Omnia, quæ iuſſit pietas præſtare parenti,
Fecerunt, tumulumque tibi ſtatuere perennem,
Ad tumulumque ferunt votis ardentibus omnes
Inferias, quoties completur menſibus orbis
Annuus exactis, ex quo chari oſſa parentis
Viderunt terra condi: nunc incola cæli,
Viue pater ſuperis: ſalue æternumque, valeque.

* Venit *Nicolaus Euerhardus* ſenior ad Academiam anno 1529. Abiit Spiram, Cameræ Imperialis Aſſeſſor anno 1535. Rediit Ingolſtadium ad Iurium Cathedram anno 1542. Doleo ſane, de tanti viri ſcriptis nullam me notitiam acquirere potuiſſe.

His in Profeſſionibus ſucceſſere Dominus *Albertus Hungerus*, Dominus *Georgius Euerbardus*, & *Iacobus Oetbeus* Medicus.

* *Albertus Hungerus*, inde ab anno 1567. Philoſophiæ Profeſſor, cum quarta Martii, abſente *Eiſengreinio* Theologiæ Licentiatus crearetur, *Hieronymus Torrenſis* tum ſacræ Facultatis Decanus, munus Procancellarii obiuit, ſpecialiter ſcilicet a Reverendiſſ. Epiſcopo Eichſtadiano ad id conſtitutus.

Exceſſit eodem anno e viuis vir nobilis, eruditusque Dominus *Paulus Prunner* Friſingenſis, poſteaquam & Profeſſoris in Philoſophia munere functus eſſet, Rectoratum geſſiſſet, & Illuſtris Comitis *Ernfridi ab Ortenburg* præceptorem egiſſet. Obiit Friſingæ, rediturus Ingolſtadium. Ei ego, eiusque manibus oratione funebri apud D. Mauritium litaui.

Eandem ſortem & vitæ humanæ conditionem ſubiit excellentiſſimus vir *Ioannes Gottbardus*, *Wolfgangi Gottbardi* filius: duorum ille Epiſcoporum, primo Ratisbonenſis, deinde Pataúienſis egit Cancellarium: a quo cum ad Comitia Imperialia Spiram eſſet miſſus, peſtifera ibi correptus febri, fato eſt functus,

A. 1570.

ctus, ibidemque ſepultus. Epitaphium habet Ingolſtadii pietate, diligentia, cura & expenſis ſuæ coniugis erectum apud Franciſcanos, quæ & ipſa paucis annis poſt maritum eſt inſecuta.

Deſeruit Parochiam & Academiam reuerendus & eruditus vir ac Dominus *Sebaſtianus Haydlauf*, S. Theologiæ Licentiatus, ad Suffraganeatum Friſingenſem euocatus.

* Succeſſit in Parochi munere *Iacobus Feuchtius*, inde a Fundata Speciosæ Virginis Eccleſia Parochus decimus nonus, academicus, decimus quintus.

Regens noui Collegii conſtituitur, Reuerendus D. *Rhodolphus Clenkh* Saxo, LL. Licentiatus, & S. Theologiæ Doctor, Collegii Aichſtadiani Præſes & Profeſſor.

Procancellarius nonus *Martinus Eiſengreinius* S. Theologiæ Licentiatus, Præpoſitus Patauienſis & Oetingenſis. Subſtituitur is *Georgio Theandro*, miro tum Sereniſſimi Boiorum Ducis Alberti *quinti*, tum etiam Reuerendiſſimi Aichſtadiani Epiſcopi conſenſu & applauſu, & Canonicatu in Eccleſia Aichſtadiana Cathedrali augetur. *Engerd. pag.* 124.

Die 12. Iulii cum abſolutis candidatorum Philoſophiæ tentaminibus, examineque publico, de locatione ageretur, *Cyprianus Lyreſius*, iam Philoſophiæ Licentiatus, & Profeſſor Aichſtadianus, presbytero eſt prælatus, non tam quia frater eius *M. Ioannes Lyreſius* tum temporis rectorali fungeretur dignitate, quam quod doctior, quod Licentiatus Philoſophiæ, quod denique Scholæ Aichſtadianæ Profeſſor eſſet, indignumque cenſeretur, Profeſſorem (quia Aichſtadianum Collegium Facultati noſtræ incorporatum eſt) & Licentiatum Baccalaureo, & ſimplici poſtponi Sacerdoti: denique quod Facultas liberam ſibi diſponendi poteſtatem reſeruare vellet. Verum ea res, cum a quibusdam ægre ferretur, & ipſe Presbyter tumultuaretur, nec tamen Facultatis Profeſſores a ſententia ſemel lata vellent diſcedere, tandem ad Senatum Academicum deuoluta eſt.

Habita igitur conſultatione, decreuit Senatus Academicus, liberum eſſe Facultati artiſticæ, ea in parte diſponere, quod illi videretur. Modeſtiæ tamen cauſſa ceſſit Dominus *Lyreſius* Presbytero, & primum ei reliquit locum.

Hæc

A. 1570. Hæc idcirco annotaui, non in cuiusquam odium, cum & Presbyteri, & eorum, qui cauſſæ ipſius fauebant, nomina ſilentio prætercam, ſed vt intelligant poſteri quoque Facultatis Philoſophicæ Profeſſores, quid illis in re ſimili, quales caſus ex hominum ambitione & φιλοδοξία ſæpe oriuntur, ſit agendum, & Sacerdotes ipſi ſciant, Sacerdotali quidem dignitati honorem a Facultate artiſtica deferri, ſed ita tamen, vt illa ignorantiæ patrocinari non poſſit.

Idem Statutum de Sacerdotum in promotionibus ordine ac collocatione, anno 78. per Facultatis Artiſticæ Profeſſores, ſub Reuerendo Patre D. *Ioanne Pelecyo*, tum temporis Decano, repetitum eſt, & ab omnibus vnanimiter de nouo concluſum & confirmatum.

Eodem anno, 24. die Iunii clauſit ſupremum diem ſolers & induſtrius Typographus *Alexander Weiſſenhorn*, *Alexandri* ſenioris filius, vir candidus, liberalis, omnibus gratus, & de re literaria bene meritus, reliquit poſt ſe viduam, quæ etiamnum in viuis eſt, tertio nupta viro, & filiam quæ *Ioannis Euerhardi* coniunx, & vnius filioli parens anno 75. in ipſis Paſcalibus matutinis humanis valedixit.

* *Fridericus Landauus* in Autumno huius anni Profeſſionem oratoriam abdicauit, a Reuerendiſſ. & Illuſtriſſ. Principe BALTHASARE, Abbate Fuldenſi in Conſiliariorum numerum cooptatus. Fatetur ipſe in Actis Decanicis, quæ diligenter & accurate, quoties ad ipſum hoc negotii pertinebat, conſignauit, ſe inuitum ab hac prouincia diſcedere; ſed victum patriæ charitate (Fuldenſis erat indigena) aliter facere non potuiſſe. Succeſſorem habuit *Reynerum Fabricium*, qui primus ex ordine Ieſuitarum Oratoriam in publico Vniuerſitatis Pædagogio ex mandato Principis profitebatur.

A. 1571.

ANNO DOMINI M D LXXI.

Rect. CXXCIX. M. IACOBVS FEVCHT, apud D. Mariam Paroch.

Rect. CXC. GEORGIVS COMES IN MONTFORT.

Proreſt. *Rhodolphus Clenckh* Theologus, Profeſſor, & Collegii noui Regens.

In-

A.
1571.

Inſcripti. 95.
Nobiles, *Ioan. Sigismund. Baro a Degenberg.*
Wolfg. Frideric. a Cloſen.
Georg. Vdalric. de Wumbach.
Ioannes Schrenk, Patrit. Monac.
Fridericus Keck, Nobil. Monacenſ.
Ioan. Chriſtoph. Minch, Can. Friſing.
Bernard. Bartenhauſer, Patrit. Monacenſ.
Hieronym. a Geyritz, in Walda.
Ioan. Eiſengrein, Nobil. Stutgard.
Georgius / *Ioannes* } *Comites in Montfort* &c. fratres.
Andreas Bart, Patrit. Monacenſ.
Henricus ab Hoen.
Chriſtoph. a Granrod, Can. Metropol. Mogunt.
Nou. Prof. *Cyriacus Luzius* de Clas, Landsbergenſ. *Medic.*
Georgius Schornius, Andernacus, S. I. *Rhet.*
Nou. Doct. *Martinus Eiſengreinius* &c. / *Albertus Hungerus* &c. } *Theol.*

Iacobus Feucht, Rector æſtivalis, apud D. Mariam Parochus, & fortunæ & labori proprio, induſtriæque plurimum debet. Ex pago enim, vbi aliquandiu Parochum egerat, in Diœceſi Aichſtadiana, nullo adhuc graduum titulo inſignitus, venit Ingolſtadium, vbi dum Cooperatoris in Parochia Diuæ Virginis, munere fungitur, laboribus ſuis frequentibus Philoſophiæ Studium coniungebat. Ea enim illi vnica in vrbem commigrandi fuerat cauſſa, qui ruri diteſcere poterat. Poſteaquam igitur non pœnitendum in Philoſophia progreſſum feciſſet, & Magiſterii titulum eſſet conſecutus, totum ſe ad Theologiam, quam etiam Philoſophiæ ex parte coniunxerat, ſe applicuit. In qua, quid & quantum profecerit, teſtantur pulcherrimi, doctiſſimi & diſſertiſſimi ab eo editi ſermones. Deinde Licentiatus titulo condecoratus ad Suffraganeatum Bambergenſem, a Reuerendiſſimo eius Epiſcopo vltro accerſitur.

Cum igitur Romam anno 1572. pro confirmatione profectus, itidemque a Reuerendiſſimo & Illuſtriſſimo Principe OT-

A. 1571. THONE Cardinali & Epiſcopo Auguſtano in Epiſcopum eſſet conſecratus, in reditu per Italiam Doctorali dignitate inſignitus eſt. Etiamnum Suffraganeatum Bambergenſem tenet, neutiquam, cum per valetudinem licet, otio deditus, ſed concionatur, ſcribit, docendo & ſcribendo Eccleſiam & Religionem Catholicam iuuat, propugnat & amplificat. Hoc tacere non debeo, quod illius laboribus vſque adeo auguſtiſſimus Imperator RHODOLPHVS II. ſit delectatus, vt ei Conſiliarii Cæſarei titulum & dignitatem ſit largitus.

Inter inſcriptos I. *F. Albertus Eiſenreich* Conuentualis & Decanus Monaſterii Vnderſtorfenſis: nunc vero eiusdem Præpoſitus. Vir omnino induſtrius, literarum amantiſſimus, præterque opinionem doctior, & pene, quod admiratione dignum, αυτοδίδακτος. Non enim illi (pace tanti herois dixerim) quod aliis multis, contigit iuuentutem in literis & inter literatos conſumere. Quod ſi idipſum propitio DEI beneficio illi eueniſſet, doctiorem Præpoſitum, Præſulemue Bauaria non haberet. II. *M. Martinus Brenner*, qui hoc ipſo 78. & 79. anno Illuſtris Comitis Domini *Wolfgangi a Montfort*, Rectoris Vniuerſitatis in adminiſtratione Scholæ vices ſuſtinet: Vir maturus, grauis, humanusque ſimul, & hiſtoriarum ſtudioſiſſimus.

* Poſtea Theologiæ Doctor, & tandem anno 1584. Epiſcopus Secconienſis, mortuus anno 1616.

III. *Ioannes Eiſengrein* Stutgardianus, LL. Studioſus, *Martini Eiſengreinii* frater Germanus: & cum eo *M. Oſualdus Freuel* Tubingenſis, qui etiamnum vxoratus Tübingæ Catholicus inter Lutheranos agit. IV. *Ioannes Sigismundus Baro a Degenberg*. Degenbergenſium familia & antiqua & perdiues eſt apud Boios inſeriores: & ex ea duo Scholam noſtram exornarunt, Anno ſcilicet 1514. Dominus *Ioannes a Degenberg* Baro; & Anno 1570. *Ioannes Sigismundus a Degenberg* Baro, qui etiamnum in viuis eſt, & hoc ipſo anno magnificas celebrauit nuptias Straubingæ.

* V. *Melchior Kleſelius* Viennenſis, Artium Studioſus, Epiſcopus poſtea Neoſtadienſis & S. R. E. Cardinalis, famoſum in Auſtriæ hiſtoria nomen. VI. *Petrus Stenartius* Leodienſis, Theologiæ Studioſus, de cuius inſignibus in hanc ciuitatem atque Academiam meritis deinceps plura.

M.

A. 1571.

M. Ioannes Lyreſius Phyſicæ Profeſſor ſua, Præceptoris domeſtici, officia Comitibus *de Montfort* addixit; quare Philoſophica ceſſit lectione, ſubſtituto in eius locum *M. Ioanne Vizeo*, Anglo.

Hoc anno, 6. Id. Quintil. in magna Auditorum frequentia, *Martinus Eiſengreinius*, cum ſuperiori tempore Canonicatum in Eccleſia Pataulenſi nullo labore impetraſſet, vna cum Reuerendo & incomparabili viro ac Domino *Alberto Hungero*, nunc temporis Procancellario, Doctoralia in SS. Theologiæ ſtudio recepit inſignia. Nolo hic commemorare, quam auguſtus ille fuerit actus, quam omnia magnifica & ſplendida, ne, qui omnia in deteriorem interpretantur partem, ſuppeditatum ſibi a me habeant, quod calumnientur, & in Theologis perperam ac malitioſe reprehendant. *Engerd. Tom. I. Acad. Ingolſt. pag.* 124.

Anno eodem, circa feſtum Natiuitatis D. Ioannis Baptiſtæ, Reuerendus, nobilis & ampliſſimus vir D. *Martinus Eiſengreinius* D. Theologus, Protonotarius, Comes Palatinus Apoſtolicus & Cæſareus, primum creauit, & laurea coronauit Poetam: Is fuit doctiſſimus vir ac Dominus *Philippus Menzelius*, tum Poëſios Profeſſor. Anno deinde 72. Poëtica corona exornauit *M. Engerdum* in conſeſſu multorum eruditiſſimorum virorum, in quibus etiam erat Reuerendus & ampliſſimus vir ac *D. Georgius Neüpeckh*, Abbas Schirenſis. Poſt anno 75. *Ioannem Bregelium*, Poëticæ Scholæ apud Strubingenſes Rectorem, præmiſſo examine debito. Quarto, anno ſcilicet 76. Annalium Autorem, & anno eodem tempore hyberno *Bartholomæum Hueberum* Landishutanum poëtica dignitate decorauit.

Obiit hoc anno Iurium & Philoſophiæ Doctor inſignis *Sebaſtianus Reiſacher*, in medio ætatis flore, Burckhuſii, vbi ducalis iudicii per aliquot annos Aſſeſſor fuit; poteſt vere inter αὐτοδιδάκτους numerari. Ac propterea, cum Doctoratus gradum peteret, feciſſe illi negotium dicitur *Franciſcus Zoannettus*, ſed fruſtra: quia impedire non potuit.

Menſe Nouembri tranſmiſit ad Facultatem Theologicam Sereniſſimus Boiorum Dux ALBERTVS, *Agendam* quandam Eccleſiaſticam trium ſtatuum Auſtriæ, hoc eſt, *Illuſtrium*, *Generoſorum* & *Nobilium*, non autem Ciuitatum & Eccleſiaſticorum, a Lutheranis quibusdam conſarcinatam, & Viennæ typis excuſam,

A.
1571. petiuitque eius Illuſtriſſima Celſitudo, cum per doctas & orthodoxas Theologorum informationes efficiendum intelligeret, ne ab Imperatoria Maieſtate ea *Agenda* Statuum illorum Eccleſiis concederetur, vt Collegium Theologicum illico transmiſſam *Agendam* examinaret, ſuamque cenſuram quamprimum ſuæ Sereniſſimæ Celſitudini transmitteret. Itaque Dominus *Hieronymus Torrenſis* iubente Collegio ſtatim generalem iſtius *Agendæ* confutationem facile confecit, eamque cum literis Facultatis ſine mora ad Sereniſſimum Principem remiſit. Poſt vero *D. Rhodolpho Clenckhio* ab eadem Facultate iniunctum, vt ſigillatim omnes impii iſtius libri errores conſignaret, & refelleret; Quod ille breui præſtitit.

* *Iacobus Oetheus*, quem ſuperiori anno medicæ admotum Cathedræ diximus, hoç anno eandem iterum reliquit, deſignatus ſcilicet Reuerendiſſ. Eichſtettenſis Epiſcopi Medicus Cubicularius. Erat is teſte *Rotmaro* omni genere literarum excellentiſſimus, & ſcripſit, quod ex *Grienwaldio* p. 104. diſcimus, *Gründlichen Bericht, Lehr, und Inſtruction von rechten und nutzlichen Brauch der Arzney* &c. Diling 1574. *Theſes de Methodo Therapeutica* &c. Ingolſt. 1569. 4. *Orationem de optima Medicorum Secta*, habitam, cum lectionem Medicam apud Ingolſtadienſes auſpicaretur. Exſtat. Tom. I. Orat. Ingolſt. *Orationem de laudibus Diætetica*. Ibid. Part. III. p. 310. *Obſeruationem Medicam de Teſticulo in inguine latenti Herniæ opinionem facienti.* *Oetheo* ſucceſſit *Cyriacus Lutzius* Landsbergenſis Bauarus, de cuius laudibus ac fatis alias ſermo erit.

* *M. Valentinus Rotmarus* Sereniſſimo Duci ad lectionem Poeſeos ab Senatu academico commendatus, atque ab eodem in illo munere clementiſſime confirmatus eſt. *Vid. Annal. Acad. Part. IV. Num. L.*

3 2044 017 939 075